NICOLAI VIGELII PRACTICA FORENSIS EX VETUSTISSIMIS ET PROBATISSIMIS IURISCONSULTIS AC RHETORIBUS EXCERPTA,

Certam litium legitimo tempore expediendarum rationem continens.



HUIUS PRACTICAE FORENSIS TRES SUNT PARTES:

Prima, de Actionis genere inuestigando.
Secunda, de Exceptionibus, Replicationibus, &c.
Tertia, de Statibus causarum, & de Probationibus, necnon de Referendi & iudicandi ratione.

BASILEAE.

NOBILITATE ET OMnigena uirtute clarißimo uiro D. Melchiori Schwartzenbergio LL. Doctori, Iudicij Cameræ Imperialis aduocato & procuratori uigilantißimo, Domino suo,

NICOLAVS VIGELIVS

S. D.



ON deerunt, Vir clarissime, qui hāc meam Practicam, prȩter iudiciorum morē simul & cōmenta doctorum conscriptā sint reprehensuri, quanquam ratione probabili nō caret. Talis nunc iudiciorum nostrorum status est, tantaq; litium longæuitas, ut multi quamlibet optimas fouentes causas de iure suo cedere: multi quoq; uel minimè mali, ui & armis res suas repetere malint, q̄ perpetuis & sumptuosis processibus experiri. Ista litium longȩuitas & bonos à iure suo legitimè perse-

quendo deterret, & malos in malicia sua confirmat. Hæc res ꝗ̃ damnosa priuatis sit, ꝗ̃ perniciosa rebuspub. quot & quantos tumultus passim concitet, reipsa quotidie magis experimur, ꝗ̃ uerbis eloqui possumus. Istam litium longæuitatem iuri, iusticiæ, & tam priuatæ ꝗ̃ publicæ tranquillitati infensissimam, scriptis meis persequi, causam eius scrutari, aduersus eam remedium inuenire, & inuentum omnib. cõmunicare studeo: quod meum studium, quem meum laborem & conatum nemo uir bonus ducet reprehendendum. Ad eam autem rem nec Doctorum commentarij, nec usitata fori practica quidꝗ̃ proficiunt: imò plus tenebrarum ꝗ̃ lucis adferunt. Cuius rei mihi testes sunt ij, qui & Doctorũ commentarijs diligenter instituti, & iudiciarijs processibus sedulò exercitati, dictum malum è iudicijs tollere

tollere multoties tẽtarunt, sed frustrà & sine fructu. Hæc in hac re mea sententia est: nisi aliquando ab istis commentarijs, & cõsueta practica ad rationem & probatiores authores recurramus, nunquam litium legitimo tempore expediẽdarum rationem nobis apparituram: pertentemus alias quas uelimus uias. Proinde ego in hac mea Practica Iurisconsultos & Rhetores probatos & antiquos, quorum ætate litium quamlibet multarum longæuitas prorsus fuit inaudita, sum secutus: horum cõsilio sum usus, horum ductu processi. Et ea quidem quæ ad iura, ex iuris textibus: quæ uerò ad agendi defendendique formam spectant, ex Rhetoribus deprompsi: securus eorum, quæ uel doctores comminiscuntur, uel iudicij consuetudo obseruat. Nec enim quid in iudicijs fiat, sed quid fieri debeat curaui. Assero igitur in

omni processu causæ certam ab actore actionē ædendam esse, hoc est, ædendum quid petat, ex qua causa, & quo iure. Posthæc certam quoq; à reo opponendam exceptionem, uel negando id quod propositum est, uel distinguendo: pluribus itē uti licere exceptionibus concedo, sed certis, numero non infinitis, apertis, nō incōstantibus. Assero insuper, eo casu quo reus factum non negauerit, sed distinxerit, ut id inutile ac non obligatorium dixerit, certa eius allegata ratione: ab actore contra istam exceptionem similiter certò & constanter replicandum, negando aut distinguendo: et eo casu quo alteruter id quod ab altero propositum est, simpliciter sine distinctione negauerit, dico statum oriri unum articulum probatorium, in quo tota consistat controuersia: quem similiter certis confirmandam esse probatio-

bationibus aſſero: ſiquidem iuris ſit, legibus, conſtitutionibus, moribus certis, non incertis doctorum commentis: ſin uerò ſit facti, inſtrumentis, teſtibus, & alijs huiuſmodi probationibus. Quibus omnibus ita certò & conſtanter actis, certò quoq; & conſtanter iudicem, ſi ad ſtatum cauſæ & eius probationes tantùm, non ad ſingula actionis & exceptionis requiſita reſpicere uelit, iudicaturum nõ dubito. Aſſero inſuper aliam rerum & iuris, aliam uerborum & formularum rationẽ habendam: illam quidem ex Iuris textibus, hanc autem ex Rhetorũ præceptis hauriendã. Cauſæ narrationem non ſolùm non damno, ſed eam omnimodo neceſſariã eſſe aſſero, ad inſtruẽdũ ſcilicet iudicẽ, non ad ſingula ſingulariter diſputãda: nec confundendũ eſſe munus Narrationis & Propoſitionis, cum illius ab huius munere longè, ut
 patet,

pater ex Rhetorib. distet: nec probo ut reus singulariter singulis respondeat, sed ut simpliciter utrum neget uel factum uel ius propositum, an distinguat, indicet. Nam illa quidem responsione intricatur, hac uerò extricatur negocium. Requisita causæ substantialia ab actore probanda esse non abnego, sed ea tantùm quæ reus per certas exceptiones causę interuenisse negauerit. Iudicem in examinanda probatione, non ad singula actionis & exceptionis requisita, utrum ea omnia sint probata nec ne, sed ad statum causæ unicum, & eius argumenta respicere malim. Hæc artis meæ, quam in hac Practica profiteor, præcepta sunt: quæ noua esse nemo rectè dixerit, cùm sint ex uetustissimis, & per multa secula probatis autoribus deprompta. Hęc uir clarissime, ut quorundam obiectionib. occurrerē, dissimulare

non

non potui: nec mea solùm, sed tua quoq; interest, ut hęc Practica contra obtrectatores defendatur. Quoniam trium eius partiū prima, quæ de inuestigando actionis genere tractat, magis tua q̄ mea est. Eam tuo hortatu, ex tuis libris, tuis deniq; sumptib. cōfeci. Quàm utile, imò q̄ necessarium tam actori q̄ reo, illi quidem ad rectè agendum & replicandum, huic uerò ad rectè excipiendum & duplicandum sit, genus actionis in quo uersatur nō ignorare, ipse quotidiana experientia edoctus facilè perspiciebas. Ideoq; ad rationem aliquam de ea re cōscribendam summopere me adhortabaris, bibliothecam tuam optimis libris instructissimam mihi ad eā rem patefaciebas, sumptibus deniq; tuis liberalissimis ociū meū isti negocio uacando sustentabas: optimè insuper de alijs studijs meis meritus es. Ideoq; si in

prima hac parte tuo hortatu, tuis libris, tuis denique sumptibus conscripta, quidque quod meum sit, superfit, hoc tibi dedico: sic ea pars tota tua fit: & si qui ex ea commodum aliquod capient, id totum tibi iure ferent acceptum. Capient autem ij, qui in foro uersantur ex ea commodum, ni fallor, nō minimum. Nam cùm iudiciorū actus & solennitates, quæ ante sententiam fiunt, eò tendant omnes, ut ius causæ appareat: actio competens quæ in hac prima parte per omnia factorum genera & actionum circumstantias monstratur à genere per species & omnigenas circumstantias ad ius causæ, quasi à summo per gradus ad imum nos deducit, exceptiones, replicationes, duplicationes, triplicationes (absque calumnia tamen) nobis exhibet. Hanc igitur partem tuam tam utilem, ut spero, multis in negocijs

etiam

etiam grauiſsimis futuram; hac tibi offero Epiſtola, ſimul etiam me meaq́ ſtudia tuo patrocinio commendo.
Vale.



PRACTICÆ FORENSIS PARS PRIMA,

De actionis genere inuestigando.

LIBER PRIMVS.

Propositio & Partitio operis, item officia aduocatorum circa actionem. Cap. I.



Vdiciorum actus, quorum alij quidem litis cõtestationẽ præcedunt: alij uerò eam sequuntur, ante sentẽtiam tamen: alij deniq; sententiæ postponuntur: specie plures sunt. Ex *his autẽ quidã principale cõtingunt negociũ, ut* Actio, Exceptio, Replicatio, Duplicatio, Triplicatio, Status, Probatio, Confutatio, Relatio, *&* Sententia. *quidam uerò principalis negotij tantũ præparatorij sunt, ut* Citatio, Mandatum, Iuramentũ calumniæ, Litis cõtestatio, Dilatio, Cõclusio, Appellatio. Hi *quidem actus nulla indigent arte, sed per nudos procuratores peragi possunt: illi uerò in quibus principale uertitur negotium, sine arte rectè expediri nequeunt: & ob id in* *illis*

illis munus aduocatorum, & iudicis prudentia uersatur. Nam rectè agere, rectè excipere, replicare, statum causæ in disputando obseruare, probare & refutare, necnon acta referre, & de iure causæ rectè pronunciare, hoc opus hic labor est. Et nescio sanè an quidquã magis nunc litium pariat propè immortalitatẽ, quàm quòd pleriq; qui causis agendis, defendendis & cognoscendis præsunt, harum rerum certam rationem & artem nullam tenent, sed pro ea uel quod Doctores somniant, uel quod praua fori consuetudo dictat, sequuntur: quæ sanè incerta sunt pleraq; & à ratione abhorrentia. Illis igitur iudiciorum actibus, qui per nudos procuratores expediri possunt, omißis: aliorum in quibus principale uertitur negocium, quiq; artem desiderant, rationem aliquam in hac mea Practica forensi ostendam. Eius autem faciam tres partes: quarum prima inuestigandæ actionis rationẽ tractabit: altera erit de ratione excipiendi, replicãdi, duplicandi &c. tertia deniq; de statibus, & probationibus, necnon de ràtione referendi & iudicandi. Confutandi ratio sub probationum materia continebitur. Inter ea igitur quæ circa actionem bonum decent aduocatum, tria sunt præcipua. Primum est, ut causa agenda uel defendẽda sibi oblata, animaduertat quæ

competat

cõpetat actio: alterũ, ut quæ ſit actionis competentis, natura ſciat: tertium, ut omnes cauſæ circumſtantias probè habeat cognitas. Quæ tua non ſolùm agenti, ſed excipienti quoq; ſunt omnino neceſſaria, cùm nec agere, nec excipere rectè poßit, qui quæ ſit actionis competentis natura ignorat. Cõpetentis autẽ actionis naturã ſcire nequeat, qui quæ cõpetat actio, nõ intelligit: nec ius cauſæ ei poßit eſſe notum, cui cauſæ circumſtantiæ, in quibus ius latet, ignotæ ſunt. De *hiſce ergo tribus in hac prima parte dicam: de primo tamen potißimùm.*

Quibus modis genus actionis cõpetens inueſtigetur? & quæ competat actio, ſi ex obligatione aliqua agatur. Cap. II.

E*Tſi autẽ nemo ſine actione in iudicio experitur: pauci tamen quo actionis genere experiantur, animaduertũt. Qui autẽ quæ actio intentata ſit non intelligunt, nec agere, nec excipere, nec replicare, nec duplicare etiã rectè poſſunt: cùm nõ cognito actionis genere, naturam eius multo minus cognoſcant.* Proinde *ex proprio & incerto quodam animi ſui motu, magis quàm certo legum conſilio experiuntur. Quod ergo ad primũ aduocati officium attinet, ut quæ cõpetat actio, intelligi poſſit: ge-*

sit: genus causæ ex qua agitur potissimùm attendendum est: item res quæ petitur, & finis in quem agitur, spectari debet: aliquando etiam ius actionis, seu lex ex qua agitur. Sed non rarò actio quæ ab initio competijt, in aliã ex postfacto cõmutatur actionẽ, puta nouando, trãsigendo, cõpromittẽdo &c. quod et ipsum in genere actionis inuestigãdo attendendũ est. quæ omnia qualia sint, specietenus in sequentib. explicabo.

Causa igitur ex qua agitur, aut obligationis speciẽ habet, aut nõ habet: hoc est, agit quis aut cum eo qui ei obligatus est uel ex contractu uel ex maleficio, aut cum eo qui nullo iure ei obligatus est, mouet tamen ei de aliqua re controuersiam. Hoc quidem casu in rem actio est, quæ uindicatio dicitur: illo autem, actio in personã, quæ appellatur Condictio. §. omnium. & §. appellamus. Inst. de actionibus. Qui autem ex obligatione agit, siquidem certam pecuniam petit numeratam, Certi condictionem generalem habet: sin autem alias res præter pecuniam numeratam petit, competit ei Condictio triticiaria: de illa quidem tractatur ff. & C. si certũ petatur: de hac uerò ff. de cõdictione triticiaria. Sed hæ actiones generales sunt. Quæ ergo ex singulis obligationis speciebus, speciales actiones competant, ordine uidendum.

Si contractum sit, quæ competat actio? Cap. III.

Omnis igitur obligatio aut ex contractu oritur, aut ex maleficio, aut ex quasi cōtractu, aut ex quasi maleficio. Contractus omnis fit aut re, aut uerbis, aut literis, aut consensu. §. *sequens.* Inst. *de obligationib.* Re, *ut mutuo, commodato, deposito & pignore.* Inst. *quibus modis re contrahi.* Consensu, *ut* Emptione *et uenditione, locatione et cōductione, societate & mandato.* Inst. *de obligat. ex cōsensu.* Omnis *item contractus aut nominatus est, aut innominatus: item utilis, aut inutilis: in quibus omnibus speciebus quæ actiones competant, inferius ostendā. Sed & ut sciri posit quæ ex contractu competat actio, inspicienda etiā est persona eius cum quo contractum est: utrum cum eo qui sui iuris est, an cum eo qui est iuris alieni: item cuius nomine quis contraxit, utrū suo, an alieno nomine: item antecedentia, utrum alterius contractus species præcesserit, néc ne. Si ergo cum eo qui alieni iuris est, contractum sit, utputa cum filiofamiliâs uel seruo, competit aduersus patrem uel dominum actio exercitoria, institoria, tributoria, de peculio, de in rem uerso, & quod iussu, pro uarietate causæ.* Inst. *quòd cum eo qui in aliena potestate est gestum*

gestũ esse dicetur. Sed etsi cum alio quem quis tabernæ uel naui suæ &c. præposuit, contractum sit: similiter in præponentem dominum actio uel Exercitoria, uel Institoria, uel Tributoria competit. Si quis alterius nomine se obligauit, siquidem pro alio fideiussit, actione ex stipulatu fideiussoria tenetur: sin uerò ut alij crederetur mandauit, mandati: sin pro alio se soluturum constituit, de constituta pecunia: sin deniq; rem suam pro alio pignori obligauit, hypothecaria actione tenetur: quibus omnib. casibus principalis reus prius cõueniendus est. Nouell. const. 4. item const. 136. §. sancimus. Sed & an alia cõtractus species præcesserit, attendẽdũ est & uniuscuiusq; contractus initiũ spectandũ & causa. Vnde si instrumenta apud procuratorem deposita repetat quis, nõ depositi, sed mandati actionem habet. l. si procuratorem in prin. ff. mandati. Sed de singulis contractus speciebus uideamus.

Si mutuum datum sit, quæ competat actio? Capur IIII.

SI mutuùm datum est, resq; ex causa mutui repetitur, regulariter competit Certi condictio: de qua ff. & C si certum petatur. ¶ Planè si mutuum dans pecuniã eandem reddi

stipulatur, non duæ obligationes nascuntur, sed una uerborum: sed si præcedat numeratio, sequatur stipulatio: non est dicendum recessum à naturali obligatione. Verba sunt Pauli Iurisconsulti l. si ita stipulatus. §. superest. ff. de uerborum obligationibus.

Si filiusfamiliás uiaticū suum, cùm studiorum causa Romæ ageret, mutuum dederit: extraordinario iudicio illi succurritur. l. cùm filiusfamil. ff. si certum petatur.

Si seruus crediderit, siquidē concessa fuit ei peculij administratio: condictio mutui domino competit. Sin autem seruus fugitiuus, uel alius contra domini uoluntatem crediderit: tunc nūmi si extāt, uindicari possunt. Si dolo malo possideri desierint: ad exhibendum actio est. si sine dolo malo consumpti sunt, Condictio locum habet. l. rogasti. §. fin. ff. si certum petatur.

Si cùm à me mutuam pecuniam peteres, dedi tibi rem uendendam ut precio utereris: nec tu uendidisti, uel precium non recepisti: præscriptis uerbis actio est. l. 20. in prin. ff. de præscriptis uerbis.

Si com-

Si commodatum sit & precario concessum. Cap. V.

SI commodatum sit, regulariter competit Actio cōmodati directa & contraria, de qua ff. & C. commodati.

Plane si merces interuenit, Locati & cōducti actio est. §. commodata autem. Inst. quibus modis re contr. oblig. Item in factum actio. l. 5. §. nunc uidendum quibus. ff. commodati.

Si gratuitam habitationem dederit, Praescriptis uerbis actio est. l. 17. in prin. ff. de praescriptis uerbis, & in factum actione.

Si pupillo sine tutoris autoritate cōmodatū sit: item si furioso commodatum sit: ad exhibendum actio est, & rei uindicatio. l. 1. §. fin. & l. 2. ff. commodati.

Si filiofamiliâs uel seruo cōmodatū sit: de peculio actio est. l. 3. §. si filiofamiliâs. ff. commodati.

Si scyphos tibi dedi, ut eosdē uel pro ijs pondus argenti tantum, quantum in illis est mihi redderes, Praescriptis uerbis actio est. l. fin. ff. de praescriptis uerbis.

Si seruus meus rem meam tibi scienti nolle me tibi commodatam, commodauerit: & Commodati & furti nascitur actio. Item condictio ex causa furtiua. l. 14. ff. commodati.

Si tutor rem ſibi à patre pupilli commodatam non reſtituat, etiam tutelæ actione tenetur. l. 5. ff. de tutelis & rationibus diſtrahendis.

Si commodatarius re aliter quàm accepit utatur, etiam furti actione tenetur. l. 5. §. quinimò. ff. commodati. Item condictione furtiua. l. 16. ff. de condictione furtiua.

Si commodatarius in re commodata damnũ dederit, uel res deterior facta ſit, etiam legis Aquiliæ actio eſt. l. 7. & l. 18. §. ſiue autem. ff. commodati.

De precario.

Commodati actionis adfine quoq; remediũ eſt, interdictũ de Precario. l. 1. §. fin. ff. de precario. Differunt tamen, quòd in Interdictum dolus tantùm: in Cõmodati actionem, culpa quoque ueniat. l. 8. §. eum quoq;. ff. de precario. Si ergo Precario rogatum eſt, competit Interdictum de Precario. Item actio præſcriptis uerbis. l. 2. §. fin. & l. 19. §. fin. ff. de precario.

Si Titius me rogauerit, ut re Sempronij utatur: deinde ego Semproniũ rogauero, ut concederet: & ille dum mihi uult præſtitũ, mihi conceſſerit: Sempronius Mandati & in factũ actionem habet aduerſus me, non Interdictũ de precario. l. 8. in prin. ff. de precario.

Si ſer-

Si seruus uel filius precario rogauerit, etiã de peculio, & de in rem uerso, actio est. l. 13. ff. de precario.

Si de precario restituẽdo cautũ est: actio est ex stipulatu. l. 15. §. cùm quis. ff. de precario.

Contrariæ Commodati actionis adfinia remedia.

Commodatarius etiam iure compensationis si secum Commodati actione agatur, sumptus & alia conseruare potest. l. 18. §. fin. ff. commodati.

Si seruus commodatus cõmodatario furtum fecerit: etiam furti actio est. l. 22. ff. commodati.

Si cõmodator uel seruus eius cõmodatario rem cõmodatam subripuerit, etiam furti actio est. l. 21. ff. commodati.

Si depositum sit. Cap. VI.

SI depositum sit, regulariter Depositi actio directa & contraria competit: de qua ff. & C. depositi.

Planè si merces interuenit: locati & cõducti actio est. l. 1. §. si uestimenta. ff. depositi.

Si alius rem nostram nostro nomine deposuit, & nobis reddi pactus est: & depositi

actio utilis nobis datur, & Actio ad exhibendum, item Rei uindicatio, si sine dicto pacto suo nomine deposuit. l. 8. C. ad exhibendum.

Si te rogauero, ut rem meam ad Titium perferas, ut is eam seruet: etiam mãdati actio est. l. 1. §. si te rogauero. ff. depositi.

Si tibi rem dedi, ut si Titius eam non recepisset, tu eam custodires: etiã mandati actio est. l. 1. §. quod si rem. ff. depositi.

Si tibi mandauero, ut rem meam ab alio recipias, & custodias, idq; feceris, mandati actio est. l. 1. §. idem Pomponius. ff. depositi.

Si cùm apud te deponere uellem, iussu tuo apud alium deposuerim, & mandati & fideiussoria actio est. l. 1. §. idem Pomponius. ff. depositi.

Si depositarius rem inuito domino cõtrectauerit, etiam furti actione tenetur. l. si sacculum. ff. depositi.

Si depositarius re deposita utatur: etiã condictio furtiua competit. l. 16. ff. de condictione furtiua.

Si depositarius dolo quid in re deposita fecit, etiam cõdictio rei depositæ competit. l. 13. §. fin. ff. depositi.

Si depositarius tabulas apud se depositas pluribus præsentibus legit, uel deleuit, uel alio modo

modo corrupit: etiam Iniuriarum *actio est, item* Actio *in factum, item* Ad *exhibendum, item de dolo actio. l. 1. §. si quis tabulas. ff. depositi.* Et *l. 41. §. penult. & l. 42. ff. ad legem* Aquiliam. *item l. 35. ff. de dolo malo.*

Si depositarius tabulas apud se depositas depositoris aduersarijs prodidit: etiam falsi accusatio est. l. 1. §. is qui deposita. ff. ad le. Cornel. *de falsis.*

Si depositarius rem depositam suo uel alterius nomine mutuo dedit: tunc si nūmi extent, etiam rei uindicatio competit. l. 8. C. *depositi.*

Si depositarius rem imprudens non domino restituit: ad exhibendum & uindicatio datur: planè si consumpta sit, condictio datur. l. 1. §. si rem à seruo. ff. depositi.

Si hæres depositarij falso prætextu fortuiti casus rem nō restituat: etiā ad exhibendū actio, & rei uindicatio cōpetit. l. penult. ff. depositi.

Si tutor rem à patre pupilli apud se depositam non restituit: etiam Tutelæ *actione tenetur. l. 5. ff. de tutel. & rationib. distrahen.*

Si procurator instrumenta apud se deposita non restituat, Mandati *actio est. l. 8. in prin. ff. mandati.*

Si res deposita deterior facta sit: etiam legis Aquiliæ *actio est. l. 42. ff. ad le.* Aquiliā. &

l.18.§.siue autem.ff.commodati.

Si plures eandē rem, de qua cōtrouersia est, in solidum deponant: datur actio depositi sequestraria.l.6.ff. depositi.& l.sequester.ff. de uerbor.signif.

Si seruus tuus cū Titio in sequestro deposuit apud Mæuium, ea conditione, ut ea tibi redderetur, si tuam esse probaßes: aduersus sequestrum incerti actio hoc est, ad exhibendum actio & uindicatio datur.l. penult.ff.depositi.

Si oleum tuum quasi suum defendat Titius, et tu hoc oleum deposueris apud Seiū, donec inter uos dijudicetur cuius oleum esset, neq; Titius uelit iudicium accipere: cum Seio præscriptis uerbis, cum Titio de dolo malo, agi potest.l.9.§. labeo.ff.de dolo malo.

Si sponsionis causa duo annulū apud te deposuerint, nec eum reddas uictori: præscriptis uerbis actio est.l.17. §. fin. ff. de præscriptis uerbis.

Si pecuniam apud te deposui, ut eam Titio, si fugitiuum meum reduxisset dares, & cùm is eum non reduxisset, tu pecuniam mihi non reddas: præscriptis uerbis actio est.l. 18.ff.de præscriptis

Si pignori datum sit.
Cap. VII.

SI pignori datum sit, regulariter Actio pignoratitia tam directa quàm contraria competit: de qua ff. & C. de pignoratitia actione.

Planè si pro te tua uoluntate pignus dedi, mandati actione mihi teneris. l. 5. §. nunc uidendum. ff. commodati.

Rem tibi dedi, ut eam creditori tuo pignori dares: dedisti, non repignoras ut mihi reddas: Commodati actio est. Planè si merces interuenit: uel in factum, uel ex locato & conducto agendum. l. 5. §. nunc uidendum. ff. commodati.

Res pignori data, pecunia soluta condictione certi condici potest. l. 4. ff. si certum petatur.

Si te pignori data, pecunia numerata nō sit: in rem actio est. l. 1. C. si pignoris conuentionem numer. pecu. secuta non sit.

Si res deterior sit facta: etiam l. Aquiliæ actio est. l. 18. §. siue autem. ff. commodati.

Si creditor pignus uendidit, rei uindicatio competit. l. 1. cum sequent. C. si uendito pignore agatur. Item l. 13. ff. de pignoratitia.

Si apparitores prætoris uiliori precio dolo malo uendiderunt pignora, datur domino rei aduersus illos de dolo actio. l. 50. ff. de euictione.

Si uendito pignore inter emptorem & uenditorem conuenit, ut si debitor pecuniam precij offerat, liceret ei rem recipere: datur debitori aduersus emptorem in factum actio. Item pignoratitia aduersus creditorē, ut sibi ex uendito actionem aduersus emptorem cedat. l. 13. ff. de pignoratitia.

Si fidei [illegible]sor pignus emit à creditore, an de dolo act[illegible] sit? l. 1. C. de dolo malo.

Si fideiussor soluto debito pignus à creditore accepit, mandati actione tenetur. l. 2. ff. de pignoribus.

Si creditor seruum pignoratū occiderit, uel uulnerauerit: etiam l. Aquiliæ actio est. l. 18. ff. ad le. Aquiliam.

Si obligato loco puro creditori instrumentum emptionis dederit, & cùm eum locum debitor inædificare uellet, mota sibi controuersia à uicino de latitudine loci (quod aliâs probare non poterat) petijt à creditore, ut instrumentū à se traditum exhiberet: quo non exhibēte, minorem locum ædificauit, atq; ita damnum passus est: petenti creditori pignus opponi potest doli exceptio, ut huius damni ratio habeatur. Item actio de eo quod interest, etiā pecunia non soluta. l. fin. ff. de pignoratitia actione.

Con-

Contrariæ pignoratitiæ actionis adfinia remedia.

Vt nanciſcatur pignus creditor, datur ei actio hypothecaria.

Si ſumptus in rem pignoratam fecit creditor, etiam retentione uti poteſt. l. 8. in princ. ff. de pignoratitia actione.

Si debitor rem pignori datam extinxit: ad exhibendum. Si deteriorem reddidit. l. Aquiliæ actio eſt. l. 27. ff. de pignoribus. & l. 15. C. de diſtract. pignor.

Si cùm æs pignori daret debitor, affirmauit aurū eſſe: uel auro obligato æs in datione ſubiecit: etiam ſtellionatus crimen eſt: item furti. l. 1. item l. ſi quis in pignore. ff. de pignoratitia actione.

Si eandē rem pluribus pignori dedit debitor, diſsimulata priore obligatione: extraordinariū ſtellionatus iudicium eſt. l. 1. & l. 4. C. de crimine ſtellionatus.

Si quaſi recepturus à debitore tuo cominus pecuniam, reddidiſti ei pignus, isq; per feneſtrā dimiſit, excepturo eo quem de induſtria ad id poſuerat: furti agi cum debitore poteſt, item ad exhibendum. lege tertia. ff. de pignoratitia actione.

Si uēdito pignore debitor rē ſollicitauerit: em

ptori

ptori, non uenditori actio datur. l. 15. C. de distract. pignorum.

Principalis debiti actio, pignore dato salua permanet. l. 14. & l. 24. C. de pignoribus. & l. fi. C. de obligat. & actionibus.

Si uerbis & literis contractum est.
Cap. VIII.

SI uerbis contractum est: datur regulariter ex stipulatu actio: de qua ff. C. & Instit. *de uerborum obligationib. & stipulationib.*

Plane si quis certum stipulatus sit: non datur ex stipulatu actio, sed condictio certi generalis. l. si quis certum. ff. si certum petatur. item Instit. *de uerb. oblig. in princ.*

Si quis pecuniam credens, eam reddi inutiliter stipulatur: superest illi certi condictio. l. 3. C. de contrahen. & committen. stipulat.

Si dotis nomine stipulatur quis, de dote actio est. l. 21. ff. de uerb. obliga.

Si iudicatũ solui, rem ratam haberi, rem pupilli saluam fore stipuletur quis: dantur ex stipulatu actiones prætoriæ, de quibus ff. lib. 46.

Si pro alio fideiubendo promittat, datur ex stipulatu actio fideiussoria. de qua Instit. *& ff. de fideiussoribus.*

Si uenditor de euictione cauerit, datur actio ex stipu-

ex stipulatu de euictione: de qua ff. lib. 21. & 2. & C. lib. 8. & 45.

Si quid certo loco dari stipulatus sit, datur actio arbitraria, de eo quod certo loco dari oportet: de qua ff. de eo quod certo loco, &c. Si tamen simpliciter conuenit in bonæ fidei iudicijs, utputa in emptione, deposito, &c. certo loco dati, uenditi, depositi, &c. actio est. l. 7. ff. de eo quod certo loco dari oportet.

Si debitum sine stipulatione promissum sit: de constituta pecunia actio est. §. de constituta. Institut. de actionibus.

Si Ciuitati uel Reipub. promissum sit, datur actio ex pollicitatione: de qua ff. de pollicitationibus.

Si pacto uel contractui pœnæ stipulatio subiecta sit: etiam ex principali causa agi potest. l. 14. C. de pactis. & l. 10. §. si pacto. ff. eo. titul.

Si donauerit quis seruum ut manumittatur, & pœnam si non fuerit manumissus, stipulatus fuerit: ex donationis causa quoq;, ut seruus manumittatur, agi potest. l. qui Romæ. §. Flauius. de uerb. obliga.

Si iudicio sisti promissum sit, datur actio de qua ff. de satisdationibus iudicio sisti. Si pœna adiecta non sit: incerti actio est, de eo quod interest. l. 3. ff. si quis in ius uocatus non ierit, &c.

Si literis

Si literis quis sit obligatus: ex literis condictio, seu actio chirographaria competit: de qua Instit. de literarum obligationibus. Planè si reus neget chirographum, in duplum tenetur condictione ex lege, Nouell. const. 18. §. studiũ uerò.

Si emptum & uenditum sit.
Cap. IX.

SI emptum & uenditum sit, datur regulariter empti & uenditi actio. de quibus. ff. & C. de actionibus empti & uenditi.

Cui empti actio competit, is etiam uenditorem precium petentem exceptione doli mali repellere potest. l. 25. ff. de actionib. empti & uenditi. item l. 5. C. de euictionib.

Si hæres testamento quid uendere damnatus est, etiam ex testamento agi potest. l. 25. ff. de actionib. empti & uenditi.

Si conuenit ut res, quæ uenit, si intra certum tempus displicuisset, redderetur: etiam in factũ actio est. l. 6. ff. de rescindenda uendit. item l. 31. §. si quid ita. ff. de ædilitio edicto.

Si res in diem addicta sit, ut meliore conditione allata res inempta sit: competit actio de qua ff. de in diem addictione.

Si ita res uendita sit, si precium intra certum diem non soluatur, inempta res sit: competit actio ex

actio ex lege commissoria, de qua ff. de lege commissoria.

Si post contractum emptionis conuenerit, ut emptio irrita sit: ex empto agi potest, ut arra restituatur. l. 11. §. is qui uinum. ff. de action. empti & uenditi.

Si annulus datus sit arræ nomine, precio soluto annulus cõducitur, quasi causa data, causa finita. Item, ex empto agi potest. l. 11. §. ego illud. ff. de action. empti & uenditi.

Si quis empta uindemia, uuas in ea post traditionem legere à uenditore prohibeatur: ad exhibendum, & iniuriarum actio est. l. 25. ff. de action. empti & uenditi.

Si rem alij obligatam dissimulata obligatione distraxerit: iudicium stellionatus extraordinarium competit. l. 3. §. ubicunq;. ff. stellionatus. Item, ex empto. l. 5. C. de euictionib. Item, falsi crimen est. l. qui duobus, ff. ad legem Corneliam de falsis. Item exceptio uenditori petenti precium opponi potest. l. 5. C. de euictionib.

Si dedi tibi pecuniam, ut mihi Stichum dares: & tu Stichum dare nolis, uel nolis de euictione cauere, uel Stichus sit mortuus: datur Condictio causa data causa non secuta. l. fin. ff. de condictione causa data causa non secuta.

Si alius qui uenditorem obligatum habet, emptori hæres existit, & suo & emptoris nomine experiri potest. l. 10. ff. de actione empti & uenditi.

Si decipiendi emptoris gratia quid aliter dictum promissum'ue est: de dolo actio est. l. 37. ff. de dolo malo.

Si uicia uenditor celauit, & mentitus est: etiam actio quanto minoris æstimatoria datur. l. 18. in prin. ff. de ædil. edict.

Si res uiciosa uendita est, aliterq; se habeat atque dictum promissum'ue est: redhibitoria actio competit, de qua ff. de ædilitio edicto. item actio ex empto & ex stipulatu. l. sciendum tamen est. § dictum. ff. de ædilitio edicto. item l. 11. §. redhibitionis. ff. de actionibus empti & uenditi.

Si cùm corporis uel animi uicium sciret uenditor, id non expresserit: ex empto & redhibitoria tenetur. l. 1. §. apud Viuianum. § fin. cum ll. sequen. ff. de ædil. edicto.

Qui ex empto potest conueniri: idem etiam redhibitorijs actionibus tenetur. l. 19. §. dictum ff. de ædil. edicto.

Si equum castratum ignoranti uendit: ex empto tantùm actio est. l 38. §. idem refert officialis. ff. de ædilitio edicto.

Si mancipium redhibitum sit: ad precium recuperandum in factum actio competit. l. 31. §. in factum. ff. de ædilitio edicto.

Si procurator sciens uiciosum & morbosum emerit: etiam mandati & negociorum gestorum actio est. l. 51. §. fi. ff. de ædilitio edicto.

Est in arbitrio emptoris utrum redhibitoria, an quanto minoris actione agere uelit. l. 18. in prin. ff. de ædilitio edicto. item l. 25. §. 1. ff. de exceptione rei iudicatæ.

Si res aliena uendita sit, & euicta. Cap. X.

SI hoc casu de euictione cautum est, datur duplæ actio ex stipulatu: sin cautum non est, datur actio ex empto. l. 18. 19. ff. de euictione. item l. 31. §. quia aßidua. ff. de ædil. edicto. item l. 11. §. caßius. ff. de action. empti. item l. 6. C. de euictionibus. Datur item *actio fideiussoria aduersus fideiussores, quibus cautum est. item actio aduersus detentatorem rerum ipsius uenditoris.* Nouell. *cons. 4. §. neq; hoc tantum.*

Si pignore cautum est, datur actio hypothecaria. l. 15. C. de euictionibus.

Si res aliena uendita nondum euicta sit, ex empto agi potest. l. 30. §. final. ff. de actionibus empti & uenditi.

Si lis moueatur ab alio de re empta: uenditori precium petenti exceptio potest opponi. l.14. in prin. C. de euictionib.

Si res alij obligata uendita sit, potest opponi exceptio uenditori. l. 5. C. de euictionibus. item iudicium stellionatus locum habet. Vide paulò superius uers. si rem alij obligatam, &c. cap. eodem.

Si creditor pignus colludente debitore uendidit: falsi crimen est. l. 15. C. ad l. Corn. de falsis.

Si uenditor rem alienam uenditam petierit: exceptione submoueri potest. l. 17. & l. 73. §. fi. ff. de euictionibus.

Si res aliena antequam euincatur perierit: de dolo actio est. l. 21. in principio. ff. de euictionibus.

Si res permutata sit euicta: in factum actio est. l. 1. §. unde si ea res. ff. de rerum permut.

Si seruus legatus euictus sit: ex testamento actio est. l. 58. ff. de euictione.

Dedi tibi Stichum ut Pamphilum manumitteres, manumisisti, euictus est Stichus: præscriptis uerbis actio est. lege septima. §. 1. ff. de pactis. & lege quinta. §. sed si dedi tibi. ff. de præscriptis uerbis. Eum qui rem euicit, emptor de precio conuenire non potest. l. 16. C. de euictionibus.

Venditi

Venditi actionis adfinia remedia.

Cap. XI.

PRæter prædictas actiones uenditi actionis adfinia remedia sunt: ut,

Si conuenit ut emptor aliquid faciat: quo non facto, pœnam promisit: ex uendito & ex stipulatu actio est ad pœnam. l. 28. ff. de action. empti & uenditi.

Si emptor precium non soluat, res uendita uindicari non potest. l. 12. C. de rei uindic.

Si cùm ita bibliothecam uendidisset, si decuriones Campani locum emptori uendidissent, in quo eam poneret: & per emptorem stet, quo minus locum emat: etiam præscriptis uerbis actio est. l. 50. ff. de contrahenda emptione.

Si in uenditione conuenerit, ut emptor uolente uenditore sibi eandem rem reuenderet: uenditi & præscriptis uerbis actio est. l. 2. C. de pactis inter emptorem & uendit. item l. 12. ff. de præscriptis uerbis.

Si res æstimata uendenda datur, competit actio æstimatoria præscriptis uerbis. l. 1. ff. de æstimatoria actione.

Si cùm mandassem tibi, ut excuteres uires hæreditatis: tu quasi minor ea sit, eam à me emeris: etiam mandati actione mihi teneris, & de

dolo.l.42.ff.mandati.item l.9.in principio.ff. de dolo malo.

Si uenditor cùm seruiens prædium tradere deberet, liberum tradidit: incerti etiam actio est. ff. de action. empti.

Si ruta cæsa, quæ specialiter non sunt uendita, tradidit uenditor: ad exhibendum actio est. l.17.§. si ruta cæsa.ff. de actionibus empti & uenditi. item l.5.§. idem Iulianus. ff. ad exhibendum.

Si dolo deceptus uendiderit, uel precium non soluatur: non in rem actio est, sed personalis aduersus emptorem: item, in integrum restitutio.l.1.C.de action. empti.& l.10.C.de rescinden. uendi.

Si insulam tibi uẽdidi, ut aliam insulam reficeres: præscriptis uerbis actio est.l.6.ff.de præscriptis uerbis.

Si seruus uenditus ante uel post traditionem uenditori furtum fecerit, retentio locum habet: item condictio.l.30. in prin.ff. de actionibus empti & uenditi.

Si uerò emptor rem ablatã uendiderit: etiã negotiorum gestorum actio est ad precium soluendum.l.fi. ff. de negocijs gestis.

Si loca-

Si locatum & conductum sit, quæ competat actio? Cap. XII.

SI locatum & conductum est, regulariter ex locato & conducto actio est: de qua ff. & C. locati & conducti.

Planè si res in perpetuũ locata sit: proprius contractus est, emphyteuticus nimirum, de quo C. de iure emphyteutico.

Si non pecunia, sed res pro mercede datur: non est locatio, sed uel ciuilis actio, in hoc quod interest, uel ad repetendum condictio. l. 5. §. at cùm do ut. ff. de præscriptis uerbis.

Si rem aliquam utendam siue fruendam tibi aliquis dederit, & inuicem à te aliam rem utendam siue fruendã acceperit: ueluti si cùm unum bouem haberet quis, & uicinus eius unum: placuerit inter eos, ut per denos dies inuicem boues commodarent, ut opus facerent: & alterius bos apud alterum perierit: præscriptis uerbis actio est. §. præterea. Inst. de locatione & conductione. item l. 18. §. si unum. ff. de præscriptis uerbis.

Si cùm fundum cõmunem haberemus, inter nos cõuenit, ut alternis annis certo precio eum conductum haberemus: & tu cùm tuus annus exiturus esset, consultò fructus sequentis anni

corrupisti: ex locato & conducto actio est, item communi diuidundo.

Idem est si cùm unusquisq; proprium haberet fundum, conuenit inter eos, ut alter alterius fundum haberet conductum, & fructus mercedis nomine compensarentur. l.35.§.final.ff.locati & conducti.

Si seruus custodiendus conijcitur in pistrinum, & conuenit, ut operæ eius serui cum custodia pensentur, &c. præscriptis uerbis actio est.l.1.§.si seruum.ff. depositi. Si uerò de operis nihil conuenit: depositi actio est. l.35.§.fi. ff.locati & conducti.

Si operas fabriles serui sui quis uice mutua dedisset, ut totidem reciperet: præscriptis uerbis actio est.l.25.ff.de præscriptis uerbis.

Si incertum sit, utrum dominus mercium nauem conduxerit, an merces uehendas locauerit: præscriptis uerbis actio est.l.1.§. domino.ff. de præscriptis uerbis.

Si colonus rem celandi animo contrectet, uel amoueat: etiam furti actio datur.l. 46.ff. pro socio.

Si seruum locatum uulnerauerit: etiam legis Aquiliæ actio est.l.43.ff.locati.

Si cùm mulas ad certum pondus oneris locasset: cùm maiore onere eas locator ruperit:

etiam l. Aquiliæ actione tenetur. l. 30. §. qui mulas. ff. locati.

Si colonus arbores exciderit, etiam l. Aquiliæ actio est. item actio arborum furtim cæsarum. item interdictum quod ui aut clam. l. 25. §. culpæ. ff. locati.

Si medicus seruum imperite secuerit: etiam ex l. Aquilia tenetur. l. 7. §. finali. ff. ad legem Aquiliam.

Si magister in disciplina discipulum uulnerauerit uel occiderit: etiam le. Aquilia tenetur. l. 5. §. fi. ff. ad l. Aquiliam.

Si cisiarius dum cæteros transire contendit, cisium euertit, & seruum quassauit: etiam utilis l. Aquiliæ actio est. l. 13. in prin. ff. loca.

Eo casu quo ex locato actio est, competit etiam actio legis Aquiliæ. l. 27. §. penul. ff. ad legem Aquiliam.

Si colonus post lustrum fructus percepit: condici ei possunt. l. 4. ff. si certum petatur.

In naue Saupheij, cùm plures frumentum confudissent, Saupheius uni ex his frumentum reddiderat de communi, & nauis perierat: quæsitum est an & qua actione cæteri pro sua parte frumenti cum nauta agere possent, utrum oneris auersi actione? l. in naue Saupheij. ff. locati.

Si colonus res pignori pro mercedibus obligatas alienauit: interdictum Saluianum domino competit. §. interdictum quoq;. Instit. de interdictis. ff. & C. de Saluiano interdicto. Aduersus possessionem datur actio Seruiana. l. 1. C. de precario & Saluia.

Si uenditor habitationem in uenditione domus exceperit, ut inquilino liceat habitare, uel colono liceat ad certum tempus perfrui: ex empto & uendito actio est. l. 13. §. penultimo. ff. de actionibus empti & uenditi.

Si latente conductore, & pensionem non soluente dominus desiderat aperiri horrea, & ea quæ intus sunt describi, audiendus est. l. 56. ff. locati.

Si fulloni polienda curandáue, aut sarcinatori sarcienda uestimenta quis dederit, nulla statim mercede constituta, sed postea tantum daturus, quantum inter eos conuenerit: præscriptis uerbis actio est. Institut. de locat. & conduct. in princ. item l. 23. ff. de præscriptis uerbis.

Si merces nulla interuenerit: commodati uel mandati actio est.

Si res conductori ablata sit: etiam furti actio datur. l. 60. §. uestimenta. ff. locati.

Conducti

Conducti actionis adfinia remedia.

Si testator testamento dãnauit hæredẽ, ut conductores liberaret: ex testamẽto actio est. l. 24. §. fin. ff. locati.

Colonus uel inquilinus, si non præstetur ei debitũ à locatore officiũ, potest relinquere conductionem: de mercedibus quoq; si cum eo agatur, reputationis ratio habendæ est: quæ intelliguntur etiam si ostium fenestrás ue nimiũ corruptas locator non restituerit. l. si merces. §. si uicino. ff. locati.

Si inquilinus arcã æratam in ædes intulerit, & ædium dominus aditum coangustauerit: etiã ad exhibendum actio est. l. 19. §. si inquilinus. ff. locati.

Si seruus locatoris cõductori in domo conducta furtum fecerit, uel damnum dederit: noxalis actio est. l. 45. ff. locati.

Si plus debito soluerit cõductor: cõdictio indebiti competit. l. 19. §. si quis cum. ff. locati.

Si fullo uestimentis, quæ lauanda cõduxerat, amißis domino precium ex locato conuentus præstiterit: posteáq; dominus uestimenta inuenerit: etiam condictio sine causa de precio restituendo competit. l. 2. ff. de cõdict. sine causa.

Si is qui locum publicum conduxit, eo uti prohibeatur: interdictum de loco publico fruendo.

cõpetit.l.1.in prin.ff.de loco publi.fruen.item actio in rem.ff.si ager uectigalis, id est, emphyteuticarius &c.

Si quis superficie cõducta frui prohibeatur: etiam competit interdictum de superficiebus. ff.de superficiebus.

Si conductor res pro mercede nõ obligatas, uel obligatas quidem, sed soluta mercede auferre prohibeatur: interdictum de migrando competit.ff.de migrando.

Si quis agrũ à municipibus uel in perpetuum uel ad tempus conduxit: in rem actionem habet.ff.si ager uectigalis &c.

Si mandatum sit. Cap. XIII.

SI mandatum sit: regulariter mandati actio directa & contraria competit, de qua ff. & C.mandati.

Si mandatũ non sit; uel inutiliter mandatum: negociorum gestorum actio est.

Si libero homini, qui mihi bona fide seruit, mandẽ, ut aliquid agat: negociorũ gestorũ actio est, non mandati.l.at qui natura.§. si libero homini.ff.de negocijs gestis.

Si merces interuenit: locati & cõducti actio est. Si te rogauero, ut rem meam ad Titium perferas, ut is eam seruet: etiam depositi actio est.

l.1.§.

l.1.§.si te rogauero.ff.depositi.

Si res alicui æstimata uendenda datur: actio est æstimatoria præscriptis uerbis, etsi merces interuenit. ff. de æstimatoria actione.

Si tibi rem certo precio uendendam dedi, ita ut quo pluris uendidisses, tibi haberes: præscriptis uerbis actio est.l.13.in prin.ff.de præscriptis uerbis.

Si margarita tibi uendēda data sit, ut si eam uendidisses, redderes mihi decē: si pluris, quod excederet, tu haberes: pro socio actio est. item præscriptis uerbis.l.44.ff.pro socio.

Si margaritas æstimatas tibi dedero, ita ut aut easdem mihi deferres, aut precium earum, & eæ ante uenditionem perierint: præscriptis uerbis actio est.l.17.§.1.ff.de præscriptis uerbis.

Si Titius rem suam uendi mandauit, & emptori hæres extiterit: etiam ex empto actio est. l.49.ff.mandati.

Si mihi Titium commendaueris, quasi idoneum cui crederem: de dolo actio est.l.7.§.fin. &.l.8.ff.de dolo malo.

Si cùm pro parte hæres esses, mandaui tibi, ut prædium hæreditarium mihi emeres: emisti, pro cohæredum quidem partibus mandati actio est: pro tua parte actio ex empto.l.34.§.

cùm hæres. ff. mandati.

Si seruus meus fugitiuus apud furē ex peculiari pecunia rem comparauit, quæ Titio rogatu fugitiui tradita est: mihi domino aduersus Titium mandati actio est. Si nō rogatu fugitiui Titius emptam rem accepit: aduersus uenditorem mihi ex empto actio datur. l. 22. §. fugitiuus. ff. mandati.

Si curator bonorū uenditionem fecerit, absentibus creditoribus datur aduersus eum Negociorum gestorum actio: aduersus præsentes creditores, actio in factum. l. 22. §. si curator. ff. mandati.

Si tutores contutori suo mancipiū emendum pupillo mandauerint: etiam tutelæ actio est. l. 8. §. si tutores. ff. mandati.

Si pacti sumus, ut tu à meo debitore Carthagine exigas, ego à tua Romæ: uel ut ego in tuo, tu in meo solo ædifices: et ego ædificaui, tu nō: ego exegi, tu non: etiam præscriptis uerbis actio est. l. 5. §. fin. ff. de præscriptis uerbis.

Titius Sēpronio triginta dedit, pactiq; sunt, ut ex reditu eius pecuniæ tributū, quod Titius debet, pendat Sempronius &c. l. 24. ff. de præscriptis uerbis.

Si mādatarius rem celandi animo cōtrectat uel amouet: etiā furti actio est. l. 46. ff. pro soc.

Si cùm tibi centũ dedissem, ut ea Titio dares, tu ea non dederis, sed consumpseris: etiam furti actio est. l. 22. §. si tibi centũ. et l. 55. ff. mandati.

Si procurator instrumenta causæ nõ reddat: non depositi, sed mandati actio est. l. 8. in prim. ff. mandati.

Si per collusionẽ procuratoris aduersarius est absolutus, & procurator soluendo non sit: de dolo actio est aduersus absolutum aduersarium. l. 8. §. 1. ff. mandati. & l. 7. §. si dolo. ff. de dolo malo.

Si quis ea quæ procurator suus gerebat ita demũ rata haberi uoluit, si interuentu Sempronij gesta essent: Sempronius mandati actione nõ tenetur: sed si quid dolo fecit, de dolo actione tenetur. l. 10. §. si quis ea. ff. mandati.

Contrariæ mandati actionis adfinia remedia.

Si sine mandato alium quis defenderit: negociorũ gestorũ actio est. l. 58. in prin. ff. mãdati.

Si mãdante uel fideiubẽte alio alij crediderit: etiam Condictionem aduersus eum cui credidit habet. l. 60. in prin. ff. mandati. item l. 7. C. eod. item pignora obligata persequi potest & uendere. l. 52. in prim. & l. 63. ff. de fideiussoribus. item l. 2. 17. C. eod. item l. 8. C. mandati.

Si fi-

Si fideiußor debitorem filio suo tutorem dederit, & pupillus soluerit: etiam tutelæ iudicio debitor tenetur. l. 9. §. 1. ff. de administr. & periculo tutor.

Si fideiussor creditori reo stipulandi hæres extiterit: ex stipulatu actio ei est. l. hæres. §. fin. ff. de fideiussoribus.

Fideiussor qui soluit, etiam aduersus confideiussores actionem habet. §. si plures sint. inst. de fideiussoribus. item. l. 17. 19. 41. §. fin. ff. eod. tit. item l. 11. C. eod tit. de fideiussor.

Si seruus inscio domino pro alio fideiusserit & soluerit: rei uindicatio competit: item condictio: l. 19. ff. de fideiussoribus. Idem dicendũ est domino soluente. l. 20. ff. de fideiussorib.

Si filiofamiliâs mãdauero, ut pro me soluat, & emancipatus soluerit: filio in factum actio datur: patri autem si soluerit post emancipationem, negociorum gestorum actio datur. l. 12. §. si filiofamiliâs. ff. mandati.

Si cùm mandasses filio meo, ut tibi fundum emeret, uel pro te fideiuberet, ego id fecerim: nunc mandati, nunc negociorũ gestorum actio mihi tecum est, tibi mecum actio de peculio. l. 46. ff. de negocijs gestis.

Si cùm mãdasses Titio, ut pro te fideiuberet, ego pro te fideiusserim: negociorũ gestorũ mihi com-

hi cōpetit actio.l.46.§.fin.ff.de negocijs gestis.

Si salarium procuratori constitutum sit: extra ordinē petitur.l.7.item l. 56. §.fin.ff. mandati. & l.1.§. in honorarijs. ff.de extraordinarijs cognitionibus.

Si societas contracta sit, quæ competat actio? Caput XIIII.

SI societatis contractus est: regulariter pro socio actio competit, de qua ff.& C.pro socio.

Si res sine societate cōmunis sit, puta, si duobus res sit legata, uel à duobus simul empta &c. inter hæredes familiæ erciscundæ, inter cæteros communi diuidundo iudicium est.l.31. cum sequentibus.ff. pro socio.

Si in res ex societate communes quid impensum est, uel fructus percepti: cōmuni diuidundo & pro socio, actio est.l.38.§.fin.ff.pro socio.

Si post distractā societatem quid in rem cōmunem impendit: non pro socio, sed communi diuidundo iudicium est.l.65.§.si post distractam.ff.pro socio.

Si pœnæ stipulatio interuenit: ex stipulatu, nō pro socio, actio est.l.41.& l.71. in prin. ff.pro socio.

Si in rem communem cum socio pecuniam mutuam sumpsit, atq; solidum soluit: socio certum con-

tum con-

tum condicere potest.l.12.C.si certum petatur.

Socius qui cessantis portionē insulæ restituit, socio intra quatuor menses sortem cum usuris non soluente: potest rem propriam habere. l. 52. §.idem respondit.ff.pro socio.

Si cùm socius putaret socij defuncti hæreditatem ad Seium pertinere, cum eo res uendiderit, & partem precij Seius perceperit:uerus socij hæres, non cum socio defuncti, sed cum Seio hærede putatiuo aget.l.62.ff.pro socio.

Cùm societas ad emendum coiretur, & conuenerit, ut unus reliquis epulas præstaret, eosq; à negocio dimitteret, si eas res non soluerit: etiam ex uendito cum eo agendum est.l. 69. ff. pro socio.

Si socius rem cōmunem dolo malo amouit, uel cœlandi animo contrectauit: etiam furti actio cōpetit.l.45.cum sequentib.ff.pro socio.

Si damnum in re communi socius dederit: etiam l.Aquiliæ actio est.l.47.cum sequentib. ff.pro socio.

Si socius plagium fecit, uel suppreßit: Fauia tenetur.l.51.ff. pro socio.

Si ne-

Si negocia absentis sine mandatu gesta sint, quæ competat actio? Caput XV.

Sequitur de quasi contractibus, quorũ primus est, si quis negocia absentis sine mandatu gesſit: quo casu regulariter negociorum gestorũ actio est, de qua. ff. & C. de negocijs gestis.

Si cùm mandasses filio meo uel alij, ut pro te fideiuberet, uel aliquid aliud ageret, ego id feci: nunc mandati, nunc negociorũ gestorum actio est. l. 46. ff. de negocijs gestis.

Si pro fratre cohærede pecuniam soluisti: etiam familiæ erciscundæ iudicium est. l. 3. C. de negocijs gestis.

Si is qui gesſit negocium, rem amoueat uel cõtrectet: etiã furti actio est. l. 46. ff. pro socio.

Si cum negociorum gestorum actione agatur, incertum sit quantum ab actore negociorũ gestori debeatur: arbitratu iudicis cauendum est; quod ei eo nomine absit. l. 3. ff. de tutel. & rationib. distrahen.

Si funeris causa quis sumptus fecit: competit actio funeraria, de qua. l. 12. §. prætor ait. ff. de religiosis & sumptibus funerum.

Si tutela uel cura alicuius gesta est.
Caput XVI.

SI tutela alicuius gesta est, regulariter actio tutelæ directa & contraria competit: de qua. ff. de tutel. & rationibus distrah. & C. arbitrium tutel. & de cōtrario tutel. iudicio.

Planè si tutor posthumo datus sit, nón nato posthumo: de eo quod gestum est, negociorum gestorũ actio est. l. 19. §. fin. ff. de testamentaria tutela. item l. 1. §. si quis. ff. de eo qui pro tutore &c. & l. 28. ff. de negocijs gestis.

Si quid post finitam tutelam gessit uel deliquit tutor, negociorum gestorum actio est. l. 5. §. post complexum. & l. 37. in prin. ff. de administrat. & periculo tutorum. item l. 13. & l. 14. ff. de tutel. & rationib.

Cum curatore furiosi, negotiorum gestorũ actio est. l. 4. §. fin. ff. de tutel. & rationibus.

Si cùm quis tutelam administrasset, idem curator adolescenti fuerit datus: negociorum gestorum actio est. l. 13. §. fin. ff. de tutel. & rationib. distrah.

Si quis quasi tutor negócia eius qui iam pubes est, uel alia ratione tutorem habere non pô test, gessit: negociorum gestorum actio est. l. 1. §. si quis quasi. ff. de eo qui pro tutore.

Si auia testamento nepotibus suis curatorem

dederit, fideicommisso ei relicto: ex fideicommisso actio est. l. 11. ff. de confirmando tutore.

Si à matre tutor testamento datus, cùm putaret se tutorem esse, res pupilli distraxerit, & non soluendo decessit, pupillus res potest uindicare. l. 47. §. à matre. ff. de administra. & periculo tutor.

Si tutor rem pupilli amouet uel contrectat, uel intercipit: actio de Rationibus distrahendis competit, item furti, item condictio furtiua. l. 1. §. in tutela. item l. 2. ff. de tutel. & rationib. & l. 46. ff. pro socio.

Si pupillus tutore colludente, à Titio deceptus sit: de dolo actio aduersus Titium etiam datur. l. 5. ff. de dolo. itē l. 45 ff. de minorib. 25. an.

Si quis nūmis datis tutelā occupauit, uel precio accepto operam dedit, ut non idoneus tutor daretur, uel consultò in edendo patrimonio qualitatem minuit, uel euidenti fraude pupillorum bona alienauit: extra ordinem punitur. l. 9. ff. de testamentaria tutela. & l. 10. C. de administratione tutorum.

Si fœnus pupillaris pecuniæ per contumaciam non exercuit, aut fundos non cōparauit: si tutor non sit soluendo, extra ordinem coërcetur. l. 49. ff. de administra. & pericu. tutor. item l. 4. C. eod. tit.

Vt tutor tutelam gerat & administret: etiã extra ordinem coërcetur. l. 1. in prin. ff. de administrat. & pericul. tutor.

Etiam in ijs quæ minorum tutores uel curatores geßisse probari poßunt: minores in integrum restitui poßunt. l. 3. & l. 5. C. si tutor uel curator interuenit.

Si certum sit rem pupilli saluam fore: datur etiã ex stipulatu actio prætoria, de qua. ff. rem pupilli saluam fore: item l. si pupillus. ff. de nouationibus.

Habet item pupillus actionem hypothecariam in res tutoris, quæ tacitè pignori obligatæ sunt. l. 41. & l. 43. §. fin. ff. de administrat. & periculo tutorum. item l. fin. ff. de tutel. & ration. distrah.

Si tutor suspectus sit: suspecti postulatio locum habet, de qua Inst. lib. tit. 26. ff. lib. 26. tit. 10. & C. lib. 5. tit. 43.

Si tutor non sit soluendo: actio subsidiaria aduersus magistratum, qui tutorem dedit, competit. §. sciendum. Inst. de satisdatione tutorum. item. l. 1. C. de magistratib. conueni.

Si pupillus hæres extiterit ei, cuius tutelam tutor suus geßit: ex hæreditaria causa cum tutore suo habet actionem. l. 7. ff. de tutel. & rationib. distrah.

Si cum patre tutore transactum sit, & pupillus sit læsus: in factum actio est. l. 5. C. de dolo malo.

Si quis pro tutore negocia gesserit: pro tutelæ actio est, de qua. ff. lib. 27. tit. 3.

Contrariæ tutelæ actionis adfinia remedia.

Reputari & retineri potest, si tutelæ iudicio agatur. l. 1. §. præterea. ff. de contraria tul. actione. item l. fin. C. eod. tit. item l. 2. C. de in litem dando tutore.

Si tutelæ iudicio agatur, & sit incertũ quantum ab aduersarijs tutori debeatur: arbitratu iudicis cauendum est, quod eo nomine absit. l. 3. ff. de tutel. & rationib. distrah.

Si legatum uel fideicommissum sit. Cap. XVII.

SI legatum uel fideicommissum sit: in personam, in rem & hypothecaria actio est. §. sed olim quidem. Inst. de legatis. item. l. 1. & l. 2. §. & si quid tale. C. de legatis.

Si hæreditas per fideicommissum relicta est: competit fideicõmissariæ hæreditatis petitio, de qua. ff. de fideicommis. hæredita. petitione.

Si depositarũ rerũ electio legata est: ad exhibendum cum depositario agi potest, & cum

hærede ex testamento, ut depositi agendo facultatem mihi eligendi præstet. l. 8. §. fin. ff. de optione uel electione legata.

Si in diem uel sub conditione legatum est, etiam ut legatorum seruandorum causa caueatur, agi potest: & ut si non caueatur, mittatur in possessionem. de qua actione ff. & C. ut legatorum seruandorum nomine caueatur: item de mittendo in possessionem legatorum nomine. Quòd si non admittatur missus, competit interdictum Ne uis fiat ei qui in bonorum possessionem missus est, item extraordinarium auxilium & manus militaris. l. 5. §. missus. ff. de mittendo in poss. legatorum nomine: item l. 3. in prin. ff. ne uis fiat ei qui in bonorum poss. missus est. Sed & deponi res possunt tanquam apud sequestrum. l. 5. §. Imperator, cum §. fin. ff. ut legatorum uel fideicom. nomine caueatur.

Si hæres rem legatam ignorans in funus consumpsit: non ad exhibendum, sed in factū actio est. l. 63. ff. de lega. sec.

Si centū amphoræ, quas uellet, legatæ sunt, ex testamento consequi potest, ut degustare sibi liceat, aut quanti interest degustare sibi licere, ad exhibendum agere potest. l. 2. ff. de tritico, uino uel oleo legato.

Si uni hæredum prælegatum sit, familiæ ercifcun

ciſcundæ actio eſt.l.7.C.familiæ erciſcundæ,& l.16.§.fin.ff.de legatis.1.

Si ex aſſe hæres inſtitutus, rogatus ſit mihi partem aliquam reſtituere:utile familiæ erciſcundæ iudicium rectè inter nos agetur. l.40. ff.familiæ erciſcun.

Si donatarius uel is cuius fideicōmiſſum eſt, donatori uel teſtatori ſtipulanti promiſit ſe reſtituturū cui uellet:ex ſtipulatu quoq; actio hæredi donatoris uel teſtatoris datur. l. cùm quis decedens. §. pater.ff.de legatis.3.

Si ſeruus legatus ab alio uenditus mortuus ſit,precium legatarius condicere poteſt à uenditore.l.23.ff.ſi certum petatur.

Si cùm quis Stichum aut Pamphilum ſtipulatus eſſet,legauerit Stichum:incerti actio legatario aduerſus hæredem datur, ut experiatur cum debitore.l. 75.§.fin.ff.de legatis.1.

Si legatarius in poſſeßione legati ſit, uel liberatio ei ſit relicta : exceptione & retentione tutus eſt. l.77.§. mater.ff.de legat.2.l.37.§. nuptura.ff.de legat.3.l.16.C.de legatis.l.17.C.de fideicomiſſ.l. 3. §.nunc de effectu.ff. de liberatione legata.

Si hæres uendere damnatus uendiderit : etiā ex empto actio competit. l.5.ff. de actionibus empti & uenditi. Item certi condictio. l.9.in

prim. ff. si certum petatur.

Si usus uel ususfructus uiæ, itineris, actus, uel aquæductus legatus sit: incerti actio in hæredem datur, ut legatarium ire, agere &c. permittat. l. 1. ff. de usu, usufructu & reditu & habitat. legata.

Dote relegata quod minus ex fideicommisso mulier consequitur: dotis actione petere potest. l. 1. §. item quærit. ff. de dote relegata.

Si ei cui fundum in quinquennium locaueram legaui: quidquid eum mihi dare facere oportet &c. Si hæres illum uti frui prohibuerit: ex condicto. si iure locationis quid retinet: ex testamento agere potest. reliqua quoque in iudicio locationis ueniunt. l. 16. & l. 17. ff. de liberatione legata.

Si filiusfamiliâs, quem quis hærede͂ instituere uolebat, alium suum amicum rogauerit, ut se hæredem institui pateretur, sibiq; patrifamiliâs facto hæreditatem restitueret: mãdati actio est. l. 46. ff. de hæredibus instituend.

Si cùm quis mihi decem sub conditione legasset, alij eorundem decem usumfructum purè legauerit, & hæres fructuario decem non accepta cautione soluerit: hæres mihi ad exhibendum tenetur: fructuarius, in factum actione. item ex stipulatu agere possum, si legatornm

seruan-

seruãdorum nomine cautum sit. l. 9. §. si tibi decem. ff. ad exhibendum.

Contra eos qui Rempublicã *administrant, si cautionem* Reipublicæ *nomine non exegerunt, actio datur. l. fin.* C. *ut in possessionem legatorum nomine, &c.*

Si relicta Ecclesiis *uel alijs uenerabilibus locis dare distulerit: in duplum actio datur. §. ui autem bonorum. Instit. de actionibus. item. §. sed furti quidem. Instit. eo. titu.*

Si hæres seruum legatum occiderit. l. 7. §. si seruum. ff. de dolo malo.

Si hæredis seruus rem legatam ignorante domino substraxit & uendidit: in factum actio est. l. 48. in prin. ff. de leg. 1.

Si dominus proprietatis insulam, cuius usufructus legatus est, incenderit: non est de dolo actio. l. 18. §. si dominus. ff. de dolo malo.

Si incertum sit an l. falcidia locum habeat: item si peculium legatum sit: inter legatarium & hæredem communi diuidundo iudicium est: item incertæ partis uindicatio. l. 8. §. 1. ff. communi diuidundo.

Contrariæ legatorum actionis, quæ datur hæredi aduersus legatarium adfinia remedia.

Si usufructu legato & dato, cautio de redden-

da re usufructu finito sit omissa: in factum actio est. l. 10. ff. de præscriptis uerbis. item ad exhibendum & ex stipulatu. l. 9. §. si tibi decem. ff. ad exhibendum.

Si legatarius rogatus seruum legatum, si rationes hæredi reddiderit manumittere: is cũ non redditis rationibus manumiserit: de dolo actio in legatarium datur. l. 32. ff. de dolo malo.

Si plus quàm per l. falcidiã, licet soluerit hæres: quod ultra solutũ est, repeti potest. l. 1. §. si legatarius. & l. 26. ff. ad l. Falcid. item l. 77. §. mater. §. Mæuio. ff. de legat. 2. item l. 23. ff. de dolo malo. Planè si cautio præceßit: de eo quod amplius quàm per l. Falci. licet acceperit restituendo: ex stipulatu actio est, de qua ff. si cui plus quàm per le. Falcidiam licet, &c.

Si plus debito soluit hæres, incerti cõdictione repetet. l. 60. ff. de leg. 1.

Si legatarius rem propria authoritate ante diem uel conditionem legati existentem occupauit: hæredi uindicatio competit. l. 32. §. 1. ff. de leg. 2. item interdictum quorum legatorum, de quo ff. & C. quorum legatorum.

Si seruus legatus hæredi furtum fecerit: item si fundus legatus fundo hæredis seruit. l. 70. & l. 116. §. fi. ff. de legat. 1. item l. 78. §. dominus. ff. de legatis 2. item l. 66. ff. de furtis.

Si hæres

Si hæres in rem legatam sumptus fecit.l.58. cum sequentibus.ff.de legatis 1. item l.8.§.fina. l.9.l.42. §.à me. ff.de legatis 2.

Si hæredi quid debeatur deducere, id potest. l.25.in princip.& l.105.§.final.ff. de legatis 1.item l.79.§. Titio fratri.l. 90.§. testator.l.92.§.quatuor.ff.de legatis 2.item l.29.§. cùm ita.ff.de legat.3.

Si legatarius qui agnouit legatum, conditioni & modo non paruerit.l.21.§.Lucius. ff. de annuis legatis & fideicommißis: item l. 17.ff. de usu, usufructu & reditu & habitatione, &c.item l.90.ff.de conditionibus & demonstrationibus.

Si hæreditas inter aliquos communis sit. Cap. XVIII.

SI hæreditas inter aliquos communis sit, regulariter familiæ erciscundæ iudicium competit, de quo ff. & C.familiæ erciscundæ.

Planè si semel familiæ erciscundæ iudicio actum sit, amplius eo agi non potest: sed si quædam res indiuisæ relictæ sunt, communi diuidundo de eis agi potest.l.20.§. familiæ.ff.familiæ erciscundæ.

Inter cohæredes etiam cõmuni diuidundo iudicio

dicio agi potest.l.44. in prin.ff.familiæ erciscundæ. & l.34.§.fi.ff.pro socio.

Pro familiæ erciscũdæ iudicio petitione hæreditatis agi potest.l.51.§.fi.ff.familiæ erciscundæ. Di*fferentiam horum iudiciorum uide.l.7. ff. de petitione hæreditatis.*

Si postquàm unus hæredum, qui cohæredem apud hostes uel sub conditione, uel nondum natum habet, hæreditatem petierit & uicerit, superuenięti quoq; cohæredi, iudicati actio competet.l.7.ff.famil. ercisc.

Si unus hæredem solidum creditoribus soluerit: etiam per doli exceptionem consequi potest, ut sibi à creditoribus aduersus cohæredes actiones mandentur.l. 18.§. si filiusfamiliâs.ff. famil. erciscundæ.

Si pater bona inter filios diuidens, onus æris alieni pro modo possessionum distribuit: si creditoribus pro portionibus hæreditarijs agentibus unus placita detrectet, cum eo præscriptis uerbis agi potest. l. 20.§.si pater. ff. familiæ erciscundæ.

Si inter cohæredes conuenit, ut pro hæreditarijs portionibus conueniantur: si stipulatio interuenit, ex stipulatu: sin minus, præscriptis uerbis actio est.l.23.C.famil.ercisc.

Si diuisionem factam traditio secuta est: rei uindi-

uindicatio: si non est secuta, familiæ erciscundæ actio est. l. 15. C. familiæ erciscundæ.

Si sumptus hæres fecit, uel pro cohæredibus soluit: etiam doli mali exceptione, si reliqui suas portiones ab eo petant, sumptus conseruare potest. l. 39. in princ. ff. familiæ erciscundæ. item negotiorum gestorum actione. l. 3. C. de negocijs gestis. & l. 18. C. familiæ erciscundæ. & l. 25. §. non tantùm. ff. familiæ erciscundæ.

Si quis antequàm hæres esset, uel ante aditã hæreditatem, uel antequàm sciret se hæredem, aliquid gessit: de eo familiæ erciscundæ iudiciũ non est, sed negociorum gestorum actio. l. 49. ff. familiæ erciscundæ.

Si hæres rem communem uendidit: siquidem cum mandatu aliorum: mandati actione tenetur. sin uerò sine mandatu, negociorum gestorum actione: sin demum uelut propriam distraxit, petitio hæreditatis competit. l. 20. C. familiæ erciscundæ.

Si hæres rationes hæreditarias deleuerit, uel interleuerit: etiam l. Aquiliæ actione tenetur. l. 16. §. deniq; ait. ff. famil. ercisc.

Si testator unum facere monumentum iußit: etiam præscriptis uerbis cum eo actio est. l. 18. §. sed & cum. ff. famil. ercisc.

Si res

Si res ex alia quàm ex hæreditaria causa inter aliquos communis sit.
Cap. XIX.

Si res ex alia quàm ex hæreditaria causa inter aliquos communis sit, communi diuidundo iudicium est: de quo ff. & C. communi diuidundo. item pro socio actio, de qua ff. & C. pro socio.

Planè si per eundem locum uia nobis debeatur, & in eam impensas fecerim: negociorum gestorum actio est. l. 19. §. si per eundem. ff. communi diuidundo.

Si cùm tecum communi diuidundo iudicio agere uellem; partem tuam alienaueris iudicij mutandi causa: actio prætoria in factum, de eo quod iudicij mutandi causa alienatum est, mihi contra te competit. l. 24. §. final. ff. communi diuidundo.

Si quasi in rem suam propriam socius impendit: negociorum gestorum actio est. l. 14. §. diuersum. ff. communi diuidundo.

Si ex causa damni infecti, duo in possessionem missi sunt: rei uindicatio competit. l. 7. §. item si duo à prætore. ff. communi diuidundo.

Si incertum sit an l. Falcidia locum habeat, inter legatarium & hæredem communi diuidundo, aut incertæ partis uindicatio datur: similiter

similiter fit si peculium sit legatum.l.8.§.1.ff. communi diuidundo.

Si cùm communes ædes tecum haberem, pro tua quoq; parte damni infecti uicino cauere: negociorum gestorum actio potius est.l.40.ff. de negocijs gestis.

Si socius suam partem sine parte socij rectè administrare potuit, negociorũ gestorum actio est.l.6.§.cæterum.ff.communi diuidundo.

Si inter te & socium tuum conuenit, ut alternis annis fructus perciperetis, & socius non patiatur te tui anni fructum percipere.

Item si socius commisso pecore effecit, ut futuri anni fructus corrumperentur: etiam incerti actio ciuilis datur.l.23.ff. communi diuidundo.

Si in locum communem mortuum intuleris, in factum actio est.l.6.§.si quis in.ff.communi diuidundo.

Si ædes communes, aut communem parietem reficere, demoliri, uel in eum quid immittere opus sit: etiam interdictum uti poßidetis locum habet.l.12.ff. communi diuidundo.

Si de

Si de finibus controuersia sit, quæ actio competat? Cap. XX.

SI de finibus controuersia sit, finium regundorum actio est, de qua ff. & C. finium regundorum.

Si terminos auulsit uicinus, uel loco mouit, uel faciem loci cõuertit, utputa si ex arbore fecit arbustũ, ex sylua nouale, &c. iudicium extxaordinarium de termino moto datur: item actio ex l. agraria. ff. de termino moto.

Si nauis leuandæ causa merces in mare iactæ sunt. Cap. XXI.

SI metu naufragij nauis leuandæ causa merces in mare iactæ sunt: datur actio ex l. Rhodia de iactu, ut sarciatur damnum. ff. ad l. Rhodiam de iactu.

Qui seruandarũ merciũ suarũ causa, alienas merces in mare proiecit, nulla tenetur actione: sed si sine causa id fecit, in factũ: si dolo, de dolo actione tenetur. l. 14. in prin. ff. de præscr. uerb.

Si innominatus contractus sit, quæ competat actio? Cap. XXII.

QVoties deficit uulgare & usitatũ nomen contractus & actionis, in factum & præscriptis uerbis actio est. l. 1. cum sequentibus. ff. de præscriptis uerbis. item l. 1. §. 1.

§.1. ff. de æstimatoria actione. item l.7.§. sed & si in aliam.ff. de pactis. item actio utilis.l. 21.ff. de præscriptis uerbis. Rebus certa lege traditis si legi non pareatur, præscriptis uerbis actio est.l. 6. & l. 8. C. de rerum permutatione.

Innominati contractus species quatuor sunt: nam aut do ut des, aut do ut facies, aut facio ut des, aut facio ut facias. l.5.ff. de præscriptis uerbis.

Si quis precij explorãdi causa rem tradat.l. 1. §.fi.ff.de præscriptis uerbis.

Si quis rem uendẽdam alicui det: datur actio æstimatoria præscriptis uerbis.ff.de æstimator.

Si decem dedero ut Stichum manumitteres, & non manumisisti.l.5. §. quòd si tal.l.7.ff. de præscriptis uerbis.

Si ex conuentione filium tuum, qui mihi seruit, manumisi, ut & tu meum filium qui tibi seruit manumitteres, nec manumittis.l.5.ff.de præscriptis uerbis.

Si accepto liberatus sit ut nomen debitoris delegaret, nec delegat.l.9.ff.eod.tit.

Si insulam uendidi, ut aliam meam insulam reficeres.l. 6. ff. eod. tit.

Si cùm pro te prædium obligassem, conuenit inter nos ut fideiussores dares, nec de-

deris.l.20.§.fin.ff.eodem titulo.

Si areæ meæ dominium tibi dedero, ea lege ut insula ædificata mihi partem redderes.l.13.§.Iulianus.ff.eod.tit.

Si puerum docendum nutriendum'ue, uel pecus pascendũ tibi dedero, ut si post certum tempus uenisset, precium inter nos communicaretur.l.13.§.Iulianus.ff.de præscriptis uerbis.

Rem tibi dedi, ut creditori tuo pignori dares: dedisti, non repignoras: ut mihi reddas, cõmodati actio est.l.si ut certo.§.nunc uidendum in quibus.ff.commodati.

Si rem inspiciendam dederis, eaq; perijt.l.28.in prin.ff.de præscriptis uerbis.

Si cùm uestimenta mihi uendere uelles, rogauero ut ea apud me relinquas, ut petitionibus ostenderem, eaq; apud me perierit.l.18.§.si cùm mihi.ff.de præscriptis uerbis.

Si cùm argentum emere uelles uascularius ad te detulerit & reliquerit, tuq; postea cùm displicuisset seruo tuo referendum dedisti & perijt.l.21.§.fi.ff.de præscriptis uerbis.

Si equos uenales tibi experiundos dedero, ut si displicuisset redderes, tuq; desultor in his cucurreris & uiceris, deinde emere nolueris.l.21.in prin.ff.de præscriptis uerbis.

Si mulas tibi experiundas dedero, ut si displi

cuissent

cuissent redderes, ita ut in singulos dies aliquid præstares: deinde mulæ à grassatoribus fuerint ablatæ. l. 21. §. idem apud. ff. de præscript. uerb.

Cùm duo secundum Tyberim ambularent, alter rogatus alteri annulum ostendit ut respiceret, & excidit illi annulus in Tyberim. l. 24. ff. de præscriptis uerbis.

Permisisti mihi cretam eximere de agro tuo, ita ut eum locum unde exemi repleam: si exempta creta non repleam, uel repleta fossa cretam me non permittas tollere. l. 16. in prin. ff. de præscriptis uerbis, & l. 34. ff. de dolo malo.

Permisisti mihi ut sererem in fundo tuo: postea me fructus tollere non permittis. l. 16. §. fi. ff. de præscriptis uerbis.

Si ob iudicium serui fugitiui mercedem pactus est. l. 15. ff. de præscriptis uerbis.

Titius Sempronio triginta dedit, pactiq; sunt ut ex reditu eius pecuniæ tributum, quod Titius pendere deberet, Sempronius solueret, &c. l. 24. ff. de præscriptis uerbis.

Si inter te & eum, qui in contubernio suo ancillam tuam sibi coniunxit, conuenit, ut is tibi aliud mancipium pro ea traderet, eamq; ex hac causa manumisisti, nec ille postea mancipium tradat: de dolo actio est. l. 4. ff. de dolo malo.

Si dedi tibi Stichum ut Pamphilū manumitteres, & manumisisti, euictusq; est Stichus: præscriptis uerbis actio est. l. 7. §. sed & si in aliā. ff. de pac. & l. 5. §. sed si dedi tibi. ff. de præs. uerb.

Si ob causam tibi dedi quid, causa non secuta uel finita, condictio competit causa data causa non soluta uel finita.

Si huiusmodi innominatis contractibus stipulatio interuenit, ex stipulatu actio est. l. 7. §. quod ferè. & l. 10. §. si pacto. ff. de pactis. item l. 14. & l. 27. C. eod. tit.

Si donatum sit: item de dote & ante nuptias donatione, necnon de paraphernalibus: quæ competat actiones? Cap. XXIII.

SI donatū sit, donatario cōpetit cōdictio ex l. si quis argentū. §. fi. C. de donationib. item in rem actio. l. 1. C. eo. tit. Donatori similiter ad repetendā rem donatā, condictio & uindicatio cōpetit. l. 5. §. fi. cum l. seq. ff. de donationib. inter uirū & uxor. item. l. 1. C. de donat. quæ sub modo & cond. uel certo temp. itē l. 18. §. 1. & l. 29. 30. 35. §. 1. ff. de mortis causa dona.*

Si donatarius donatori se rem donatam cui uellet restituturum promisit: etiam ex stipulatu actio hæredi donatoris datur. l. cùm quis decedens. §. pater. ff. de legat. 3.

Si mortis causa donatũ sit, donatario in rem actio cõpetit. l. 29. ff. de mortis causa donat. item donatori condictio simul & uindicatio cõpetit. l. 18. §. 1. l. 29. 30. 35. §. 1. ff. de mortis causa dona.

Si ita donatum sit, ut altero mortuo portio eius ad alterum pertineat, fideicommißi actio est. l. 1. C. de mortis causa donationibus.

Si de dote agatur, siue stipulatio interuenerit, siue non interuenerit: actio ex stipulatu competit. C. de rei uxoriæ actione in ex stipulatu, &c. item §. fuerat antea. Instit. de actionib.

Eadẽ dicẽda esse existimo, si de antenuptiali donatione agatur: quoniam ea pactis dotalibus supponenda, æquisq; paßibus tam dos quàm donatio antenuptialis ambulant. l. fi. §. si igitur. C. de donationibus ante nuptias.

Si paraphernalia uxor repetat: nunc condictio, nunc depositi uel mãdati actio, nunc actio rerum amotarum, item ad exhibendum & rei uindic. cõpetit. l. 10. §. dotis: usq; ad finẽ legis. ff. de iure dotium. item actio hypothecaria. l. 11. C. de pactis conuentis tam super dot. &c.

Si permutatum sit. Cap. XXIIII.

SI *permutatum sit, in factum actio competit. l. 1. §. unde si ea res. ff. de permutatione. & l. 5. §: & si quidem. ff. de præscriptis*

uerbis. item l. 4. C. de rerum permutatione.

Si stipulatio interuenerit, ex stipulatu actio est. l. 4. C. de rerum permut.

Si res ex causa permutationis non traditur: condictio causa data, causa non secuta cōpetit. l. 4. §. final. cum l. sequenti. item l. 7. C. d. titulo. Non competit in rem actio. l. 4. in principio. C. d. titulo.

Si inutiliter contractum est, & ad rescindendum id quod gestum est, & ad in integrum restituendum agitur: quæ competunt actiones?

Cap. XXV.

QVæ competant actiones si uel nominatus uel innominatus, uel quasi contractus sit, ex præcedentibus patet: sequitur de ijs quæ dantur, si inutilis sit cōtractus & ad in integrum restituendū agatur. Igitur si contractus inutilis est, & non obligatorius: in integrum restitutio petitur, & si quidem ex tali contractu solutum est, res repetitur uel condictione uel uindicatione: sin autem promissum tantùm sit, uel ad liberandū agitur, uel exceptio agenti ex tali contractu opponitur.

Sanè causæ propter quas contractus inutiles censeri solent, & in integrum restitutio peti, multæ

ti, multæ ſunt. Nam aut in perſonis contrahentium conſiſtunt, aut in rebus quæ in contractum ueniunt, aut in contractus cauſa & modo, aut in alijs circunſtantijs: nec ſolùm ob inutiles contractus, ſed & propter alias cauſas in integrum reſtitutiones dandæ ſunt: puta ſi res abſentis uſucaptæ ſint, uel dies actionis eius elapſus, &c. nec poſſunt omnes huiuſmodi cauſæ legibus comprehendi. Proinde, ſi quis ex iuſta cauſa, quæ tamen legibus comprehenſa non eſt, in integrum reſtitui deſiderat, ei ex generali clauſula hæc, ſi qua mihi alia iuſta cauſa uidebitur, &c. ſubuenitur l. 1. §. fin. ff. ex quibus cauſ. maior. uigintiquinque annis in integrum reſtituatur.

Planè eo quod inutiliter & uicioſè contractum uel alio modo geſtum eſt, aut alter contrahentium læditur, aut alius aliquis tertius qui iniuria ex eo quod inter alios geſtum eſt afficitur, primo illius, poſtea huius exempla uideamus.

Cùm autem omnis cauſa inutilis contractus in aliqua eius circunſtantia, ut dixi, conſiſtat: propter perſonas quidem inutilis cenſetur contarctus, uel aliud geſtum ſi uel pupillus ſine tutoris authoritate, uel furioſus uel alius cui bonis interdictum eſt contraxit uel geßit. Si mi-

nor uigintiquinque annis gesſit, ſi mulier pro alio interceſſit, & interdum perſona (inquit Vlpianus) locum facit repetitioni: utputa ſi pupillus ſine tutoris authoritate, uel furioſus, uel is cui bonis interdictum eſt, ſoluerit uel contraxerit. Et *ſi nũmi extant, uindicari poſſunt: pro conſumptis condictio locum habet. l. interdum. ff. ſi certum petatur. & l. 29. ff. de condictione indebiti.*

De pupillo, furioſo, & alijs quib. bonis interdictum eſt.

De minorib. uigintiquinque annis.

Si minor uigintiquinq; annis quid geſſit, quo læſus eſt: datur illi in integrum reſtitutio, quæ ex mero iudicis officio pendet, nulla actione nec cautione interpoſita. l. 1. & l. 24. §. fin. ff. de minoribus uigintiquinq; annis.

Planè ſi alia actio minori poſſit competere, & alia ratione cõtractus non ualeat: hoc in integrum reſtitutionis auxiliũ extraordinarium illi non datur. l. 16. in prin. ff. de minoribus uigintiquinq; annis.

Si moram fecit in agendo uel ſoluẽdo minor, etiam ſine reſtitutione non currit contra eum præſcriptio. l. 2. 3. & l. 5. C. *in quibus cauſis in integrum reſti. neceſ. non eſt.*

Si mortem defuncti parẽtis ſui, minor nõ eſt ultus: non ei obſtat hoc etiã ſine in integ. reſtit.

Si cum pupillo ſine tutoris authoritate cõtractum eſt: ipſo iure nõ ualet quod actum eſt. Item

Si quis

Si quis cum Titio restituere iussus esset, hæredi eius cauisset restituturũ: etiam incerti condictio ei datur. l.16. in prin.ff.de minorib. uigintiquinq; ann.

Si falsus tutor, uel qui non cauit, quid geßit: ipso iure non tenetur minor.l.4.C. in quib.causis in integ. resti.neceß.non est.

Etiam tutorem uel curatorẽ suũ minor conuenire potest.l.1.3. & l.5.C.si tutor uel curator interuenit.

Si creditor rem patris pupilli sibi obligatã uendidit: nõ in integrũ restitutio minori datur, sed actio aduersus creditorem uel tutores.l.2.C. si aduersus uenditio.pignor.

Minor qui colludente tutore aduersariũ suum dicit absolutum: etiam cum tutore tutelæ iudicio potest experiri.l.45.ff.de minorib. uiginti quinq; annis.& l.5.ff.de dolo malo.

Si manumisit minor, aduersus libertatẽ nõ restituitur, sed agere aduersus tutorem potest, uel aduersus manumissum. l.1.cum sequentib. C.si aduersus libertatem, &c.

Porrò si mulier pro alio interceßit, exceptione senatuscõsulti Velleiani tuta est: de qua uide ff. & C.ad senatusconsultum Velleianum. De muliere pro alio intercedente.

Condicere item potest mulier ut liberetur, uel ut ei soluatur quod ei propter interceßionẽ

abest.l.8.§.Marcellus autem.§.interdum.ff.ad senatusc.Velleianum.

Potest etiam mandati actione experiri cùm eo pro quo intercessit.l.31.ff.ad senatusc.uelleia. pignus etiam quod pro alio dedit, uindicare potest. l.39.ff.de rei uindicatione.

Sed & ipso iure tuta est mulier sine exceptione.l.23.§.fin.C.ad senatusc.Velleianum.

Si alius sine uoluntate mulieris res eius pro se obligauit: ipso iure non ualet quod actũ est. l.5.& l.17.C.ad senatusc.Velleianum.

De capite deminuto.

Praeterea si is cum quo contractum est, capite sit deminutus: si quidem salua ciuitate, capite deminutus est: datur in illum actio praetoria in factum: sin ciuitatem amisit, datur in illos actio ad quos bona ipsius peruenerunt. l.2.ff.de capite deminutis.

De falso tutore, & eo cuius tutela finita est.

Si quis falso tutore authore contraxit, in integrum restitutio locum habet, item actio aduersus falsum tutorem: de qua ff.de eo quod falso tutore autore gestum est.

Si tutor uel curator deposito officio cum fisco contraxit, poena falsi coërcetur.l.1.§.ex illa quoq;.ff.ad l.Corneliam de falsis.

Quando

Quando propter cauſam & modum inutilis cenſeatur cōtractus? Cap. XXVI.

Sed & cauſa & modus contractus, ſæpe id quod geſtū eſt inutile facit. Vnde ſi ſine cauſa quid datū uel promiſſū ſit: condictio ſine cauſa competit. l.1. in prin. ff. de con. ſine cau. Si ſine cauſa uel ex cauſa inutili & non obligatoria promiſſū uel ſolutum ſit.

Sed & ſi cōueniatur quis ex promiſſione ſine cauſa facta, etiā exceptione tutus eſt qui promiſit. l.2. §. circa. ff. de doli mali & metus excep.

Si ex cauſa inutili & non obligatoria promiſſum uel ſolutum ſit, idem dicendum eſt condictione ſine cauſa locū habere. l.1. in prin. ff. de cond. ſine cau. & condictionē indebiti, cuius adfinia remedia uide infrà cap.26. lib. eod. item datur cōdictio ob turpem uel iniuſtam cauſam, de qua paulò inferius.

Si cauſa ob quā datū uel promiſſū eſt, ſecuta non ſit: competit cōdictio cauſa data cauſa non ſecuta. l.1. §. ſed etſi ob. & l. 4. ff. de cōdictione cauſa data cauſa non ſecuta. Sed & exceptio doli mali locum habet. Si ex promiſſo cōueniatur. l.2. §. certa. ff. de doli mali et metus exceptione. Si cauſa ſecuta non ſit.

Si cùm habitationē in annū conduxiſſet, penſionem totius anni ſoluerit, deinde poſt ſex menſes inſula ſit exuſta: ad repetendum reſiduū ex conducto actio eſt. l.19. §. ſi quis cum. ff. locati.

Si cauſa ob quā datū eſt uel promiſſū finita ſit: da- Si cauſa finita ſit.

sit: datur condictio causa data causa finita. l. 11. §. ego illud. ff. de action. empti.

Si fullo uestimenta conduxerit, & amißis ijs domino preciũ ex locato conuentus præstiterit, posteaq; dominus uestimenta inuenerit: etiã ex conducto actione solutũ preciũ à domino potest repetere. l. 2. ff. de cõdict. sine causa.

Si dominus seruum, cùm furti ageretur, quæstionis habendæ gratia dedit, & seruus quæstione habita non reddatur. l. 15. ff. de condictio. causa data causa nõ secuta. & l. 8. ff. de præscriptis uerbis.

Si causa turpis uel iniusta sit.

Si ob turpem uel iniustam causam datũ uel promissum sit, competit condictio ob turpem uel iniustã causam. l. 1. & l. 8. in prin. ff. de condictione ob turpem uel iniust. causam.

Si promiserit ob turpẽ uel iniustã causam: etiã exceptione tutus est. l. 1. C. de condi. ob tur.

Si depositario uel cõmodatario pecuniã dedit, ut rem depositam uel cõmodatam restituat: depositi & commodati actio est, item condictio ob turpem causam. l. 5. ff. de tutel. & rationibus distrahendis.

Si ob rem locatam tibi uel uenditam mihi à te uel mandatã, ut redderes pecuniã acceperis, datur ex locato, ex uendito & mandati actio. Si uerò pecuniã tibi dedi, ut mihi redderes quod mihi ex

mihi ex testamento uel ex stipulatu debes: condictio tantum pecuniæ datæ competit. l. fin. ff. de condictione ob turpem uel iniustam causam.

Si ne mihi negocium facesseres, uel ut mihi negociũ facesseres pecuniã acceperis, uel stipulatus sis: in factum actio datur, de qua ff. de calumniatoribus. item condictio pecuniæ datæ. l. 5. ff. de calumniatorib. itẽ publicũ iudiciũ repetundarum competit. l. 1. §. 1. ff. de calumniatoribus. item concußionis iudiciũ. l. 2. ff. de concuss.

Si ui metus ue causa.

Si ui, metus ue causa contraxit, uel dedit, uel aliquid aliud geßit: cõpetit actio quod ui metus ue causa. l. 1. cum ll. sequentib. ff. quod ui metus ue causa.

Competit item exceptio, quod metus causa: de qua. l. 4. §. metus causa ff. de dol. mal. & metus &c. & l. 9. §. sed quod prætor ait. ff. quod metus causa.

De dolo quoq; actio est. l. 14. §. eum qui mecum. ff. quod metus causa.

Competit etiam iudicium publicum de ui publica & priuata. l. 5. in prin. & l. 10. in prin. ff. ad l. Iuliam de ui publica.

Actio quod ui metusue causa, in personã & in rem est. l. 9. §. uolenti. ff. quod metus causa. et l. 3. C. eod. tit.

Si alia actio sit: quod metus causa actio non datur.

datur.l.14.§.1.ff.quod metus causa.

Si is cui uis facta est,decessit,hæres petitionem hæreditatis habet.l.14.§.alia autem actio.ff.quod metus causa.

Si seruus metũ intulerit,cum domino & noxalis & quod metus causa actio est.l.16.§.1.ff. quod metus causa.

Si quis coactus hæreditatem adijt,etiam utilis actio tanquam hæredi datur.l.21.§.fin.ff. quod metus causa.

Si quis debitori suo ut solueret,uim adhibuit:lege Iulia de ui tenetur,& ius crediti amittit.l.12.§.fin.ff.eod.tit.

Si quis ei à quo in adulterio deprehẽsus quid dedit,ne prodat:etiam l.Iulia de adulterijs accipiens tenetur.l.8.in prin. ff. quod metus cau.

Si per uim possessionem tibi tradidero,item si posteaquã armati in fundum ingressi sunt,discessit: interdictũ unde ui,& quod metus causa actio locũ habent.l.9.§.1.ff.quod metus causa.

Si adhibita manu per uim in solo meo ædifices:etiam interdictum quod ui aut clàm,locum habet.l.9.§.1.ff.quod metus causa.

De reliquis uide infrà cap.3.lib.2.

Si dolo deceptus contraxit.

Si dolo deceptus cõtraxit quis:de dolo actio est,de qua ff.& C.de dolo malo. item doli mali exceptio cõpetit,si conueniatur: sed & condictio

ctio quoq; ut liberetur. l. 7, cum sequen. ff. de doli mali & metus exceptione, uide infrà lib. 2. cap. 11.

Si decipiatur quis ultra dimidium iusti precij, competit ei condictio ex l. 2. C. de rescindenda uendit.

Si per errorem quis contraxit uel soluit: cõpetit condictio indebiti, cuius adfinia remedia: uide paulò inferius.

Si errore interueniente contractum sit.

Si hæres falsò putans se uendere damnatum uendiderit, incerti condictio competit: item exceptio aduersus agentem. l. 5. ff. de actionib. empti & uenditi.

Si quis quòd uel is uel aduersarius eius absens uel in uinculis hostium'ue potestate, uel in seruitute fuerit, uel quod aduersarius secũ agendi potestatẽ non fecerit, uel eum inuitum in ius uocare non potuerit, uel propter aliam similem causam ius suum quod habuit amisit, uel quod non habuit adquisiuit: competit actio rescissoria. de qua §. rursus ex diuerso. Inst. de actionibus, item ff. & C. quibus ex causis maiores in integrum restituantur. Sed & extra ordinem hisce subuenitur, & ex principalibus constitutionibus. l. 2. ff. ex quibus causis maiores &c. Exceptio quoq; actori possessionem nacto competit. l. 28. §. exemplo. ff. ex quibus causis.

Si propter absentiam uel aliã causam in integrum restitutio postuletur.

Si ex

Si ex alijs causis præter prædictas, inutilis sit contractus, quæ competat actio? Cap. XXVII.

SEd & si in fraudem & iniuriã tertij quid alienatum est, id quod gestum est rescinditur: de quo infrà cap. 28. In re quoq; interdum causa est, ob quam cõtractus rescindendus sit. Sic si res aliena uendita sit: ex empto actio est. l. 30. §. fin. ff. de action. empti. Similiter si res alienata euicta sit, euictionis actio competit, de qua re uide suprà cap. 9.

Si rem suam quis emerit, ex empto actio competit ad precium restituendum: item exceptio contra agentem ex uendito. l. 16. ff. de contrahenda empt. item. l. 84. §. qui seruũ. ff. de leg. 1.

Si res alienata uiciosa uel morbosa sit, competit actio redhibitoria & quanto minoris: de quo suprà cap. 8.

Postremò si post contractum in contrarium pactum factum sit: utputa si post contractum emptionis conuenerit, ut uenditio irrita sit: ex empto ad rescindendum contractum agi potest. l. 11. §. is qui uinum. ff. de actionibus empti & uenditi.

Si inde-

Si indebitum solutum sit Cap. XXVIII.

Est & hæc species inutilis contractus ex causa & modo: si quis per errorem indebitum soluerit, competitq; eo nomine condictio indebiti, de qua ff. & C. de condictione indebiti: item cōdictio sine causa. l. 1. in prin. ff. de condict. sine causa.

Si indebitum promissum sit, etiam doli mali exceptione tutus est qui promisit. l. 3. C. de condictione indebiti: item incerti agere potest ut liberetur. l. 5. ff. de actionib. empt. & uend.

Cùm inuicem debitor, idemq; creditor est: in casibus, in quibus compensatio locum nō habet si soluit, sui crediti repetitionē habet, non indebiti condictionē. l. 30. ff. de condict. indeb.

Si nūmos alienos nomine alterius indebitè quis soluit, domino uindicatio competit. l. 46. ff. de condict. indebiti.

Si creditor non numeratam pecuniam, uel numeratam iterum accepit ex re iudicata: stellionatus iudicium extraordinarium est. l. 29. §. in omnibus. ff. mandati.

Si quis putans se hæredem, insulam hæreditariam fulsit: etiam per retentionem impensas seruare potest. l. 33. ff. de condict. indebiti.

Si seruus conditionis implendæ causa, cùm ignoraret testamentum non ualere, soluit: dominus nūmos uindicat. l. 53. ff. de cond. indebiti.

Si pupillus sine tutoris authoritate, uel furiosus, uel is cui bonis interdictum est, soluit: si nūmi extant, uindicabuntur, pro consumptis condictio competit. l. 29. ff. de condicti. indebiti. & l. interdum. ff. si certum petatur.

Si falso procuratori solutum sit, etiam furti actio est. l. 14. ff. de condict. causa data causa nō secuta.

Si fideiussor in causa inutili soluat, etiā mandati actionem habet aduersus suum principalē. l. 47. ff. de condict. indebiti.

Si homo, quem seruus ex peculio apud bonæ fidei possessorem comparauit, possessori serui traditus sit: dominus potest hominem emptum cōdicere aduersus bonæ fidei possessorē. item ex empto cum uenditore agere. l. cùm fundus. §. 1. ff. si certum petatur.

Si alius pecuniam creditam exegit, cui soluí dominus inutiliter est stipulatus: aduersus exigentem negociorū gestorū actionē dominus habet. l. 3. C. de contrahen. & commit. stipulat.

Si dominus ex fideiußione serui sui soluerit, uindicationem & condictionem habet. L. 20. ff. de fideiussoribus.

Si ex causa emptionis, quam seruus, in quo usumfructū habuit, fecit, cùm usufructus ád dominū reuersus est, soluit: nō ex empto, sed indebiti condictionē habet. l. 24. ff. de action. empti & uenditi.

Si cùm seruum prædium tradere deberem, liberum tradidi: etiam incerti actio est. l. 8. ff. de actionib. empti & uenditi.

Si ultra debitam quantitatem l. falcidiæ legatum solutū sit, uel ad legatariam peruenerit. l. 1. §. si legatarius. & l. 26. ff. ad l. falcidiā. & l. 77. §. mater. et §. Mæuio. ff. de leg. 2. item l. 23. ff. de dolo malo. Planè si cautio præcessit, quāto amplius quàm per l. Falcidiā licet acceperit, reddi ex stipulatu actio est, de qua ff. si cui plus quàm per l. fal. &c.

Si ruta cæsa nō uendita tradita sint: ad exhibendum actio est. l. 17. § si ruta cæsa. ff. de actioni. empti & uend.

Si in fraudem & iniuriam tertij quid inter aliquos gestum sit, quæ competant actiones? Cap. XXIX.

QVæ actiones cōpetant quando cōtractus nō cōtrahenti, sed alicui tertio qui nō cōtrahit, est nociuus, nūc uidendū. Proinde si in fraudem patroni quid alienauit libertus, actio Fauiniana & Caluisiana patrono com-

petit, de qua ff. si quid in fraudem patroni factum sit.

Si quid in fraudem creditorum quid alienauit debitor, creditoribus actio Pauliana competit: de qua ff. quæ in fraudem creditorum facta sunt ut re.

Si iudicij mutandi causa quid alienatum est, competit actio prætoria in factum: de qua ff. & C. de alienatione iudicij mutandi causa facta. Planè potest actor & in rem experiri, & possessorem conuenire. l. 1. C. de alienat. iud. mu. causa facta.

Si quis iudicij communi diuidundo mutandi causa rem alienauit, eo iudicio experiri amplius non potest. l. fin. ff. d. tit.

Si in iniuriam cognatorum rem extra familiam alienat quis, datur actio ex iure consuetudinario, quod ius retractus uocant: de quo uide Tiraquellum.

Si inofficiosè testatur quis, non institutis liberis: inofficiosi testamenti querela est, de qua ff. & C. de inofficioso testamento. Planè si aliud superstit remedium, ista quærela non datur. §. tam autem. inst. de inofficioso testamento. item l. 4. §. nam cùm ultimū. C. de lib. præteritis &c.

Si cui minus quàm legitima relictum sit, ad supplementū legitimæ agendum est, nō de inofficioso

ficioso testamento.l. omnimodo.C. de inofficio so testamento.

Si quis impubes adrogatus sit ex his personis, quæ & citra adoptionem & emancipationem de inofficioso queri possunt: is à querela remouendus est, cùm quartam habeat ex constitutione diui Pij.l.8.§.si quis impubes.ff.de inofficioso testamento.

Si pater ad interuertendam inofficiosi querelam, uni totum patrimonium donauit: inofficiosæ donationis actio est.l. 89.§. Imperator. ff. de leg.2.

Si duobus filijs institutis, tertius post testamentum factum nascatur, & mater testamentũ mutare uolens in puerperio decedat: inofficiosi testamenti actio non est, sed petitio uirilis portionis: aliter si extraneus sit hæres institutus.l.3.C. de inofficioso testamento.

Si inofficiosè donatum sit, inofficiosæ donationis actio est.l.89.§. imperator.ff.de legatis 2.item C. de inofficiosis donationibus.

Si mortis causa immodicè donatum sit, legis Falcidiæ ratione legitima conseruari potest. l. 5. C. ad l. falcidiam.


Si pater omne patrimonium suum in filium effudit, qui in potestate remansit: iudicio familiæ erciscundæ quartam frater potest conserua

re.l.2. C.de inofficiosis donationib.

Si immodica dos uni ex liberis data sit, cæteris inofficiosæ dotis actio datur, de qua C. de inofficiosis dotibus.

PROCESSVS IVDICIALIS LIBER SECVNDVS.

Si maleficium uel crimen sit commissum. Cap. I.



Voniam omnis, ut ab initio dixi, obligatio uel ex contractu uel ex quasi contractu, uel ex maleficio uel ex quasi maleficio nascitur: quæ actio si uero, uel quasi nominato uel non nominato, utili uel inutili contractu contractum sit, competat: in præcedenti libro specietenus est demõstratum. Sequitur ergo, ut quæ actiones si maleficium uel crimen, uel quasi maleficium commissum sit competant, dispiciamus.

Si ergo delictum priuatum est, competit ciuilis actio interdum pœnalis, interdum mixta: hoc est,

hoc est, partim pœnæ, partim rei persequendæ gratia comparata. §. ex maleficio uerò. Inst. de actionibus. Si uerò crimen publicum commissum sit: datur accusatio publica criminalis. Planè de delictis quoq; criminaliter, & de criminibus ciuiliter agi potest. l. 1. C. quando ciuilis actio criminali præiudicet &c. item l. 15. ff. de accusationibus & inscriptionibus: item l. 7. in prin. C. ad l. Iuliam de ui publica & priuata. item l. 7. §. atqui solemus. ff. de iniurijs.

Sanè quod ad speciales actiones attinet, & delicti species inspicienda est, & delinquentis persona, & persona in quam delictum uel crimen committitur, & res in qua uel circa quam delinquitur &c. Delicti species plures sunt, scilicet furtum, rapina, damnum, iniuria, item adulterium & stuprum, homicidium, mendacium, &c. item aliud nominatum est, aliud innominatum: de quibus singulis ordine agemus.

Persona quoq; delinquentis, genus actionis uariat: nam si seruus delinquit, in dominum noxalis actio datur: de qua Instit. ff. & C. de noxalibus actionibus. Planè si filiusfamiliâs deliquit, in patrem actio non datur, ne de peculio quidem, sed ipse filius rectè conuenitur. §. fin. Instit. de noxalibus actionibus.

& l. ex pœnalibus. ff. de reg. iuris. Si quadrupes deliquit, uel damnum dedit: datur actio si quadrupes pauperiem fecisse dicatur, de qua Inst. & ff. si quadrupes paup. fecis. dica. cuius actionis adfinia remedia uide infrà cap. 7. lib. eod. Si in rempub. Principem uel alium magistratum crimen commissum sit: competit iudicium ex l. Iulia maiestatis. l. 1. ff. ad l. Iuliam maiestatis. Si legatos, oratores, comités ue quis pulsauerit, siue iniuria affecerit: tenetur L. Iulia de ui publica. l. 7. ff. ad l. Iuliam de ui publica. Si in re publica, sacra, sancta &c. quid cõmissum sit, alia quàm si in re priuata contigerit, actio datur. Si in re apud se deposita, commodata, pignori data, locata &c. quis deliquerit: etiam depositi, commodati, pignoraticia, locati &c. actio competit. l. 18. §. siue autem pignus. ff. commodati. Sed hæc diligentius sub unaquaq; delicti specie inferius tractabuntur.

Si furtum factum sit, & res aliena inuito domino contrectata?
Capvt II.

Si furtum factum sit, uel res ablata & cõtrectata, domino inuito: regulariter Furti actio cõpetit, item cõdictio rei furtiuæ, item ad ex-

ad exhibendum actio & rei furtiuæ uindicatio. §. fi. Institu. de oblig. quæ ex delicto nascũ. item l. 1. in princ. ff. de priuatis delictis. item l. 12. & 15. C. de furtis. Sed distinguitur uarie.

1 Ex persona furtum facientis, & rem auferentis.

Si dominus rem suam, creditor rem sibi debitam auferat: hic ius crediti, ille rei dominium amittit. §. ita tamen. Instit. ui bonorum raptorum. & l. creditores. ff. ad legem Iuliam de ui priuata.

Si commodator, uel commodatoris seruus rem alij commodatam abstulerit: furti & contraria commodati actio est. l. 21. §. commodati. item l. 54. §. 1. ff. de furtis.

Si seruus commodatus commodatario furtum fecerit, furti & commodati actio contraria est. l. 22. ff. commodati.

Si seruus cõmodatarij domino suo rem commodatam abstulerit, commodati tantùm actio est. l. 54. §. 1. ff. de furtis.

Si commodatarius rei commodatæ furtum committat: & furti & commodati cum eo actio est. l. 72. in prin. ff. de furtis.

Si seruus uenditus uenditori furtum fecerit, retentio locum habet: & condictio. l. 30. in prin. ff. de action. empti & uenditi. Et si emptor res

ablatas uendidit, etiam uegociorum gestorum actio de precio est.l.fi.ff.de negocijs gestis.

Si seruus emptus, qui est in causa redhibitionis, emptori furtum fecerit: furti & redhibitoria actio competit.l.63.§.his etiam.ff.de furtis.

Si seruus locatus conductori furtum fecerit, furti & ex conducto actio est.l.45.ff.locati.

Si seruus pignori datus creditori furtum fecerit, etiam contraria pignoratitia actio est.l.63.§.his etiam.ff.de furtis.

Si seruus hæreditarius, propriam rem hæredis auferat: familiæ erciscundæ, & communi diuidundo actio est. l.16. §.final. ff.familiæ erciscundæ.

Si seruus communis uni ex dominis furtum fecerit, cõmuni diuidundo actio est.l.63. in prin. ff.de furtis.

Si is qui testamento liber esse iussus est, post mortem domini ante aditam hæreditatem quid subripuit uel corrupit. ff.si is qui testamento liber esse, &c.

Si familia furtum fecisse dicatur, datur actio prætoria: de qua ff.si familia furtum. Planè si sciente domino familia furtum fecit, furti actio est.l.5.§.1.ff.si familia furtum fecit.

Si usufructuarius in re cuius usumfructũ habet, furtum commiserit: ex cautione boni uiri arbitratu

arbitratu se usurũ fruiturũ, tenetur: item furti. l. 13. §. de præteritis. ff. de usufructu.

Si tutor uel curator res pupilli uel adolescentis subripuerit, furti & tutelæ uel curæ actio est. l. 33. ff. de furtis. item de rationibus distrahendis. l. 1. §. in tutela. & l. 2. ff. de tutel. & rationib. distrahend.

Si uxor uiri res, uel uir res uxoris subripuerit: rerum amotarũ actio est, de qua ff. et C. rerũ amotarũ. Item condictio & uindicatio rei furtiuæ. l. 24. ff. rerum amotarum. Distinguitur tamen sequentibus modis: constante matrimonio rerum amotarum actio non datur, sed de damno in factum. l. 2. C. rerum amotarum. Rerum amotarum.

Si non diuortij consilio uxor res amouit, sed in matrimonio: cessat rerum amotarum actio, sed condici res possunt. l. 25. ff. rerum amotarum.

Si mulier mortis causa res amouit, deinde mortuus sit maritus: hæreditatis petitione, uel ad exhibendum actione, hæres mariti consequi potest. l. 22. §. final. ff. rerum amotarum.

Si morte mariti solutum sit matrimonium: hæres uiri hæreditatis petitione, uel ad exhibendum actione agere potest: item condictione. l. 6. §. sed si morte. ff. d. tit.

Si mor-

Si mortuo uiro res amouit, uindicatio & hæreditatis petitio datur. l. 6. §. fi. ff. rerum amotarum. & l. 4. C. de crimine expilatæ hæreditatis. & l. 17. C. de furtis.

Si uxor furtum fecerit ei, cui maritus hæres existit, uel marito antequàm nuberet, condictio furtiua competit. l. 3. §. sed & cùm. ff. rerum amotarum.

Si res uiro pignoratas amouit, domino etiam condictio competit. l. 18. ff. rerum amotarum.

Si uxor res uiri tempore nuptiarum in potestate sua habet: non expilatæ hæreditatis, sed ad exhibendum: & si negocia uiri gessit, negociorum gestorum actio hæredi competit. l. 33. ff. de negocijs gestis.

2 Ex persona eius cui subrepta res est.

Si commodatario res commodata subrepta est, furti & commodati actio commodatori datur. l. 22. in prin. C. de furtis.

Si creditori, cui res pignori data est, subrepta sit: incerti condictionem habet. l. 12. §. fi. ff. de condictione furtiua.

3 Ex re subrepta.

Si res publica, sacra, sancta, subrepta sit: lex Iulia peculatus & sacrilegij locũ habet. §. item lex Iulia pecul. Instit. de publicis iudicijs.

Si pecora ex pascuis uel armentis subtrabuntur

buntur,& abiguntur:de abigeis iudicium est, de quo ff.& C.de abigeis.

Si res immobilis sit ablata,unde ui interdictum locum habet:furti actio non est, quoniam rei immobilis furtum non fit.§.abolita.Instit.de usucapio.& lon.

Si liberum hominem,uel seruũ alienum quis supprimit uel uendit,competit iudicium ex l. fauia de plagiarijs.

Si suam rem quis auferat,uel sibi commodatam:uide suprà Ex *persona furtum facientis.*

Si tabulæ subreptæ sunt,etiam ad exhibendum agi potest:& si tabulæ hæreditariæ sunt, quorum bonorum interdicto locus est.l.29.cum l.sequenti.ff.de furtis.

Si rem hæreditariam quis iacente hæreditate subripuit, expilatæ hæreditatis iudiciũ est: de quo ff.& C.*expilatæ hæreditatis.item actio ad exhibendum,& rei uindicatio. l.2.§.fi.& l. 3.ff.expilatæ hæreditatis.*Planè *si à cohærede res hæreditaria sit subrepta,familiæ erciscũdæ actio est.l.3.*C.*familiæ erciscundæ.*

Si uxor uiri defuncti res abstulerit:uide suprà uers.si mortuo uiro,&c.

4 Ex loco ubi & unde subripuit.

Si furtum factum,uel damnum datum sit in naue,caupona uel stabulo:datur actio in factum

aduersus

aduersus nautas, caupones, stabularios: de qua ff. nautæ, caupones, stabularij, &c. item ff. furti aduersus nautas, caupones, stabularios. Datur *item furti actio & damni iniuriæ. l. 1. §. fi. & l. 6. §. possumus. ff. nautæ caupon. &c. item l. 1. §. & in duplũ. ff. furti aduersus nautas, &c.* Planè *si gratis res in nauem, &c. susceptæ sunt: depositi agi potest. l. 3. §. ex hoc edicto. ff. nau. caup. &c.*

Si uerò merces interuenit inter nautam, cauponem uel stabularium, & dominum rei: etiam ex locato & conducto agi potest. l. 3. §. ex hoc edicto. ff. nautæ, caupones, stabula.

Si in balneo subreptum sit, cõpetit extraordinarium iudicium de furibus balnearijs: de quo ff. de furibus balnearijs.

Si è loco sacro rem sacram abstulit quis, sacrilegum est: de quo ff. ad l. Iuliam peculatus.

Si ex incendio, ruina, naufragio, rate, naue expugnata ablatum sit: datur actio in factum prætoria, de qua ff. de incendio, ruina, nauf. etc. item l. 1. §. fi. ff. ad l. Iuliam de ui priuata. item l. 3. ff. ad l. Iuliam de ui publi. Planè *si in littore uel in alio loco rem ex naufragio seruatam iacentem subtraxit: furti actio est. item si id quod de uehiculo excidit, abstulit. l. 3. in princi. & l. 5. in prin. ff. de incendio, ruina, naufragio, &c. item l. 43. §. si iactum. ff. de furtis.*

Si in

Si in turba ablatum sit: uide infrà de damno in turba dato.

5 Ex tempore quo furtum factum est.

Furem nocturnum sine actione quis potest occidere: diurnũ etiam si se telo defenderit. l. 56. §. furem interdiu. ff. de furtis. & l. 9. ff. ad legem Corneliam de sicarijs.

Si iacente hæreditate res ex ea sit ablata, expilatæ hæreditatis iudicium est: uide suprà ex re subrepta.

6 Ex causa propter quam abstulit.

Si ancillam alienam libidinis causa subripuit & suppreßit: furti & ex l. fauia tenetur. l. 39. item l. 82. §. qui ancillam. ff. de furtis. item iniuriarum. l. 25. ff. de iniurijs.

7 Ex specie & modo facti.

Si furti faciendi causa conclaue intrauit, actione iniuriarum: aut si per uim intrauit, de ui accusabitur. l. 21. §. qui furti. ff. de furtis.

Si parietem effregit & expilauit, iudicium extraordinariũ est. ff. de effractorib. & expil.

Si uetitas in sacculis artes exercens, partem subtrahit, partem subducit: item,

Si furandi causa se in aliena domicilia dirigit, extraordinarium crimen est: de quo. l. 7. in prin. ff. de extraordinarijs criminibus. & l. 1. §. expilatores. ff. de effractoribus & expilatorib.

Si scalas

Si scalas fenestris supposuit, ut hostium fenestras'ue effregit, ut alius furtum faciat: item si ferramenta uel scalas ad supponendũ & effringendum accommodauit. §. ope & cõsil. Instit. de obligationibus quæ ex delicto. & l. 56. §. qui ferramenta. ff. de furtis.

Si quis fugitiuum meum tanquam suum à duumuiro uel ab alio, qui de custodia uel carcere dimittendi potestatem habet, accepit. l. 52. §. si fugitiuum. ff. de furtis.

Si uerbis fraudem adhibuit quis, utputa cùm dicit se locupletem, uel in merces se nummos collocaturum, se idoneos fideiussores daturum, se confestim pecuniam soluturũ: non furti, sed de dolo actio est. l. 43. §. si quis nihil. ff. de furtis.

Si mihi Titium cõmendaueris, quasi idoneum cui crederem: de dolo actio est. l. 7. §. fin. & l. 8. ff. de dolo malo.

Si mihi Titium quasi idoneum cui crederem commendaueris, deinde alium quasi Titium adducas: etiam in factum actio est. l. 67. §. si tu Titium. ff. de furtis.

8 Ex antecedentibus.

Si mandatu seruorum tuorum quis tua pecunia prædia comparauit: & mandati & furti actio est. l. 1. C. de furto.

9 Ex

9 Ex consequentibus factum.

Si res subrepta ædibus iuncta sit: de tigno iuncto actio est, de qua ff. de tigno iuncto. item actio ad exhibendum, & rei uindicatio, l. 1. §. fi. l. 2. ff. de tigno iuncto.

Si seruum subreptum uendidit fur, etiam publicum iudicium est ex l. fauia de plagiarijs.

Si fur rem furtiuam uendidit: etiam negociorum gestorum actio ad precium consequendum datur. l. fi. C. ui bonorum raptorum.

Si pecus abductum inclusit ut non pasceretur, & fame periret: etiam l. Aquiliæ actio est. l. 2. §. si publicanus. ff. ui bonorum raptorum.

Si postquàm seruum alienum spoliauit, is frigore perijt: etiam in factum actio danda est. l. 14. §. 1. ff. de præscriptis uerbis.

Si uis alicui facta sit. Cap. III.

SI uis alicui ab aliquo facta sit: iudicium publicum de ui publica & priuata competit. l. hoc iure utimur. ff. de regulis iuris. Ciuiliter etiam de ui agi potest. l. 7. in princ. C. ad l. Iuliam de ui publica. itẽ actio quod ui metus ue causa competit, sed & uim ui repellere licet. l. 1. C. unde ui. Distinguitur insuper multipliciter.

1 Ex specie facti per uim.

Si alicuius bona per uim rapta sunt: ui bo-

norum raptorum actio est: item iudicium publicum de ui publica & priuata.l.2.§. hoc edictū. ff.ui bonorum raptorū.item furti actio,in prin. Instit.ui bonorum raptorū.& l. 1.§.illud utiq;. ff.de ui & ui armata.item l.1.& l.2.§.cæterum neq;.& §.rerum amotarum.ff.ui bonorum raptorū.item res raptæ possunt condici:item uindicari.l.2.§.rerum raptarum.§.fin.ff.ui bonor. raptorum.item l.10.§.ei quoq;.ff.de condicti. furtiua.item ad exhibendum agi potest.l.1.§.illud utiq;.§.si fundus.ff.de ui & ui armata. item damni iniuriæ actione.l.2.§.rerum raptarum. ff.ui bonorum raptorum.

Si quis de fundo uel alia re immobili per uim sit deiectus, interdictum unde ui competit: item l. Iulia de ui publica & priuata.item ex constitutionibus principum actio.l.1. §.ne quid autem.ff.de ui & ui armata. item l.4.C. unde ui. item §.recuperandæ, Institut. de interdictis. item fundus cōdictione triticiaria potest condici. l. 2. ff. de condictione triticiaria. item datur actio quod ui metus'ue causa.l.9.§. 1.ff.quod metus causa.

Si per uim adhibita manu in meo solo ædifices, quod ui metus'ue causa actio est: item interdictum quod ui aut clàm.l.9.§.1.ff. quod ui metus'ue causa.

Si aliud opus per uim factum sit: similiter interdictum quod ui aut clàm competit: de qua re uide infrà cap. 5. lib. eod.

Si per uim ædes expugnauit, expilauit uel effregit. l. 3. §. 1. & l. 11. in prin. ff. ad l. Iuliam de ui publica.

Si cuius domus ui introita est: actio l. Corn. iniuriarum est. §. sed & l. Cornel. Inst. de iniur.

Si damnum per uim datum sit, etiam l. Aquiliæ actio est. l. 2. §. cæterum neq; & §. rerum raptarum. ff. ui bonorum raptorum.

Si incendium fecit. l. 5. in prim. ff. de ui publi.

Si hominē per uim inclusit & obsedit: item,

Si puerum rapuit & inclusit: uide infrà Ex *persona eius cui uis facta est.*

Si puerum uel mulierem per uim retinuerit & stuprauerit. l. 3. §. 1. ff. ad l. Iuliā de ui publica. & l. 3. C. eo. tit. item C. de raptu uirginum.

Si ancillam alienam libidinis causa rapuit, detur actio iniuriarum. l. 39. & l. 82. §. qui ancillam. ff. de furtis.

Si quæstionem de alterius seruo per uim habuerit. l. 4. ff. ad l. Iuliam de ui priuata.

Si aliquem sibi per uim obligauit. l. Iulia de ui publica locum habet. l. 5. in prin. & l. 10. in prim. ff. ad l. Iuliā de ui publi. item actio quod ui metus ue causa: de qua re uide suprà lib. 1, cap. 25. uers. si ui metus ue causa.

Si noua uectigalia per uim exercet.l.12.ff. ad le.Iuliam de ui publica.& l.1.§.penult.ff.ad l.Iuliam de ambitu.

Si fecit quo minus homo ſepeliatur, quo magis funus diripiatur, diſtrahatur.l.5.in princip. ff.ad l.Iuliam de ui publica.item l.8.ff.de ſepulchro uiolato.

Si fecit ne iudicia tutò exerceantur, uel ne iudices ut oportet iudicent.l.10.in princ. ff. ad l. Iuliam de ui publica.

Si fecit quo minus quis in iudicio ſiſtat, uel ſi in ius uocatum ui eximat, &c. uide infrà cap. 11.lib.eodem.

Si uis fiat poßidenti, interdictum uti poßidetis competit.l.1.in princ.ff.uti poßidetis.& l.1.C.eodem titu.item interdictum utrubi ſi res mobilis ſit.

Si ei qui à prætore in poſſeßionem miſſus eſt uis fiat: uide paulò inferius Ex perſona eius *cui uis facta eſt.*

Si quis re uel iure ſuo qualiter uelit uti prohibeatur, uide cap.ſequens 4.

2 Ex modo quo uis facta eſt.

Si cum telis & armis uim fecit.l.3.§.1.ff.ad l.Iuliam de ui publica.& l.3.ff.ad l.Iuliam de ui priu.§.recuperandæ.Inſtit.de interdictis.

Si cõuocatis hominibus uim fecerit quis.l.10.

§.hac

§.hac lege.ff.ad l.Iuliam de ui publica. & l.2. ff.ad l.Iuliam de ui priuata.& l.4.C.eod.titu.

Si sine armis uim fecerit,& aliquem ex agro suo deiecerit.l.3.§.1.ff.ad l.Iuliam de ui publica.& l.5.ff.ad le.Iuliam de ui priuata. item §. item lex Iulia.Instit.de publicis iudic.

Si arma, tela domi suæ agróue uel in uilla coëgerit uel habuerit.l.1.ff.ad l.Iul.de ui publi.

Si homines armatos per ciuitates & agros habuerit.l.3.in prin.ff.ad l.Iuliam de ui publica.& l.10.C.eod.tit.

Si in publico cum telo fuerit.l.3.§.1.ff.ad l. Iuliam de ui publica.

Si cùm telo in concione, aut ubi iudicium publicè exercetur,fuerit.l.10.in princ.ff.ad l.Iul. de ui publica.

Si turbæ seditionisq; faciendæ causa consilium inierit,aut homines in armis habuerit.l.3. in prin.ff.ad l.Iuliam de ui publica.

3 Ex persona uim facientis.

Si dominus per uim possessionem deiecerit, dominio rei priuatur.§.recuperandæ.Instit.de interdictis.Vide insuper infrà Ex causa propter quam uim facit.

Si is qui imperium,potestatem'ue habet aliter quàm ei uis est,decernat,imperet,faciat.l.7. & l.10.in prin.ff.ad l.Iuliam de ui publica.

Si patronus liberto suo uim fecerit, uel parens liberis: interdictum unde ui locum non habet, sed actio in factum. l. 1. §. interdictum hoc. ff. de ui & ui armata.

Si mortuus sit is, qui uim fecit: in hæredes eius datur actio in factũ, de eo quod ad eos peruenit. l. 1. §. fi. ff. de ui & ui armata.

4 Ex persona eius cui uis facta est.

Si Reipublicæ principi uel magistratui uis fiat. l. Iulia maiestatis competit. l. 1. ff. ad l. Iuliam maiestatis.

Si legatos, oratores, comites pulsauerit. l. 7. §. fi. ff. ad l. Iuliam de ui publica.

Si liberum hominem uel seruum alienum rapuit, competit l. Fauia de plagiarijs. l. 1. cum ll. sequentibus. ff. ad l. Fauiam de plagiarijs. item l. 5. in prin. & l. 6. ff. ad l. Iuliam de ui publica. & l. 3. C. eo. tit. de ui publica.

Si uis fiat ei quem prætor in possessionẽ misit, competit interdictum. ff. ne uis fiat ei qui in possess. missus est.

Si quis missus in possessionem fideicommissi seruandi causa, non admittatur: dicto interdicto ne uis fiat, &c. uti potest: item extraordinaria executione, & manu militari. l. 3. in princ. ff. ne uis fiat ei qui in poss. &c.

Venter missus in possessionem, etiam actione in factum

in factum uti potest. l. 3. §. cùm prætor. ff. ne uis fiat ei qui in poss. &c.

5 Ex re in qua uis committitur.

Si rem mobilem rapit, ui bonorũ raptorum actio est: sin ab immobili re per uim deijcit, unde ui interdictum est: de qua re uide suprà Ex *specie facti per uim.*

Similiter si in possessione rei mobilis turbetur quis, interdictum utrubi: sin autem in possessione rei immobilis, interdictum uti possidetis competit. §. sed interdicto. Instit. de interdictis. item l. 1. ff. utrubi.

Si liberum hominẽ uel seruum alienũ rapuerit: uide suprà Ex *persona eius cui uis facta est.*

6 Ex causa propter quam quis uim facit.

Si creditor rem debitoris propria authoritate occupauit, ius crediti amittit. l. 7. ff. ad l. Iuliam de ui priuata. & l. 5. l. 7. C. eo. tit. item tertia parte bonorum mulctatur, & fit infamis. l. 8. ff. ad l. Iuliam de ui priuata.

Si pignus propria authoritate creditor ex pacto occupauit. l. 3. C. de pigno. et hypothecis.

Si quis res alterius, pro alterius debito pignori capit. Nouell. c. 52. in prin.

Si res uxoris pro debito uiri pignori capit. l. 1. C. ad l. Iuliam de ui publica.

Si quis rem suam putans eam rapiat, uel

per uim occupet: tunc si quidem sua sit, ius domini amittit: sin aliena, rem & æstimationem eius restituere tenetur. §. ita tamen. Instit. ui bonorum raptorum. & §. recuperandæ. Institut. de interdictis.

7 Ex loco ubi & unde rapuit.

Si ex incēdio, ruina, naufragio rapuit: datur actio in factum. ff. de incendio, ruina, &c. uide suprà cap. præcedēti. 2. ex loco ubi et unde, &c.

Si in incendio cum gladio, aut telo rapiendi causa fuerit, uel dominum prohibuerit res suas seruare. l. Iulia de ui publica locum habet. l. 3. §. 1. ff. ad l. Iul. de ui publica.

Si in concione uel in iudicio cum telo ambulauerit. l. 10. in principio. ff. ad legem Iuliam de ui publica.

8 Ex consequentibus uim factam.

Si abducto per uim pecore id inclusit ut non pasceretur, uel fame periret: etiam l. Aquiliæ actio est. l. 2. §. si publicanus. ff. ui bonorum raptorum.

Si raptorem raptam uendidit, etiam negociorum gestorum actio est de precio consequendo. l. fi. C. ui bonorum raptorum.

De reliquis huius materiæ uiolentæ uide suprà libr. 1. cap. 25. si ui metus ue, cum sequentibus.

Si quis

Si quis aliquid agere uel facere per uim prohibeatur, quæ competat actio? Caput IIII.

SI quis re & iure suo qualiter uelit uti prohibeatur per uim, interdictum uti poßidetis competit.l. 8. §.penult.ff.si seruitus uim dicetur. & l. 11.ff.de ui & ui armata. Item actio iniuriarum.l. 13. §.si quis me.& l. 14. ff. de iniurijs. planè si quis in poßeßione sua turbetur, siquidem poßeßio rei immobilis sit. Inter*dictum uti poßidetis, sin res mobilis sit: interdictum utrubi competit. §. sed interdicto.* Inst. *de interdictis.& l.1.ff.utrubi.*

Si quis seruitute uel usufructu uti prohibeatur, etiam actione confeßoria & negatoria in rem competit. de qua re uide infrà lib.3.cap. 4.& 5.

Si quis itinere, actuq; priuato uel uia, ut per annum ab alio usus est, uti, uel eam reficere prohibeatur, interdictum.ff.de itinere actuq; priuato competit:item actio confeßoria. l.4. §.si quis mihi.ff.si seruitus uindicetur.

Si quis aquam ut hoc anno ab alio duxit, ducere prohibeatur: competit interdictum. ff. de aqua quotidiana & æstiua.

Si aquæ ducendæ causa riuos, specus, septa

reficere, purgare prohibeatur: datur interdictum ff. de riuis.

Si quis aqua de fonte, lacu, piscina, puteo, uti hoc anno usus est, uti uel fontem purgare & reficere prohibeatur: interdictum ff. de fonte competit.

Si cloacas purgare & reficere prohibeatur, competit interdictum. ff. de cloacis.

Si quis fructus ex suo agro in alienum cadentes legere & auferre prohibeatur, datur interdictum ff. de glande legenda. Item actio ad exhibendum. l. 9. §. glans. ff. ad exhibendum.

Si quis arborem ex ædibus uicini in suas, uel ex frndo uicini in suum pendentem adimere prohibeatur: competit interdictum. ff. de arboribus cædendis.

Si quis seruũ propriũ distrahere prohibeatur, iniuriarum actio est. l. 24. ff. de iniurijs.

Si quis superficie cuius solum alterius est, uti prohibetur: datur interdictum de superficiebus. Item si conduxit superficiem, ex conducto: si emit, ex empto contra dominũ habet actionem: & si quidem à domino prohibitus est, ad id quod interest: sin uerò ab alio, ut dominus ei suas cedat actiones, agere potest. l. 1. §. 1. ff. de superficiebus.

Si quis mortuũ, quo sibi ius est, inferre prohibeatur,

hibeatur, uel sepulchrum ædificare: interdicta ff. de mortuo inferendo, & sepulchro ædificando competunt.

Si quis eum, qui de opere satisdedit, opus facere prohibeat: datur interdictum. l. 20. §. deinde. ff. de operis noui nunciatione.

Si quis loco publico quem cõduxit, frui prohibeatur: competit interdictum. ff. de loco publico fruendo.

Si quis in mari piscari, nauigare prohibeatur: item si quis in campo publico ludere, uel in publico balneo lauare, uel in theatro spectare prohibeatur: item si quis in cauea publica sedere, uel in quo alio loco sedere, agere, conuersari, piscari, aucupari, uehiculum ducere prohibeatur: iniuriarum actio est. l. 13. §. si quis me probib. & l. 14. ff. de iniurijs. item l. 2. §. si quis in mari. ff. ne quis in loco publico.

Si quis ei qui publicam uiam uel iter aperire, aut reficere uult, uim fecerit: competit interdictum. ff. de uia publica & itinere publico reficiendo.

Si quis in flumine publico nauigare, per ripam onerare, exonerare prohibeatur: competit interdictum. ff. ut in flumine publico nauigare liceat: item actio iniuriarum. l. 2. §. si quis in mari. ff. ne quis in loco publi. uel.

Si quis prohibeatur, quo minus pecus ad flumen publicum, ripam'ue fluminis publici appellet: dictum quoq; interdictum competit. l. 1. §. fin. ff. ut in flumine publico nauigare.

Si quis in flumine publico, ripáue eius, opus reficiendi eius causa facere prohibetur: competit interdictum. ff. de ripa munienda.

Si quid in loco alieno, publico uel priuato, aut suo, aliter quàm ei ius est faciat, factum'ue habeat, quæ competat actio? Cap. V.

PRopositis causis ex quibus quis quid agere uel facere iniquè prohibetur: sequũtur nunc causæ, ex quib. quis cõtrà facere uel factum habere per interdicta prohiberi poßit.

Si ergo in loco sacro quid fiat: interdictum ff. ne quid in loco sacro fiat, competit.

Si quis proiectum aut stillicidium in sepulchrum immiserit: quod ui aut clàm interdictum est, item iudicium de sepulchro uiolato. l. 22. §. penult. ff. quod ui aut clàm.

Si in sepulchro alieno terra congesta sit: quod ui aut clàm, item sepulchri uiolati actio est. l. 15. §. si in sepulchro. ff. quod ui aut clàm.

Si in loco uel itinere publico quid fiat, datur interdi-

interdictum. ff. ne quid in loco uel itinere publico fiat.

Si quid in uia publica fiat, datur interdictũ. ff. de uia publica, & si quid in ea &c.

Si per locũ publicum riuus aquæductus priuato nocebit, priuato actio est ex lege 12. tabularum, ut de damno ei caueatur. l. 5. ff. ne quid in loco publico.

Si uiam publicam in agrum uicini reijciat quis, uiæ reiectæ actio est. l. 3. ff. de uia publica & si quid in ea &c.

Si quid in flumine publico, ripáue eius fiat, quo peius nauigetur: competit interdictum. ff. de fluminibus, ne quid in flumine publico &c. uel quo aqua aliter fluat quàm priore æstate fluxit: datur interdictum. ff. ne quid in flumine publico, in' ue ripa &c.

Si in cloaca publica quid factũ uel immissum est, quo usus eius fiat deterior: datur interdictũ l. 1. §. penult. ff. de cloacis.

Si quid ui aut clàm factum est, competit interdictum quod ui aut clàm. Quod ui aut clàm.

Si opere nouo nunciato quid ante remißionem factum est, de eo etiam ex nunciatione tenetur. l. 7. §. ait Iulianus. ff. quod ui aut clàm.

Si fructum ui uel clàm aufert, furti actio est. l. 7. §. notauimus. ff. quod ui aut clàm.

Sista-

Si statuā in municipio in loco publico quis sustulerit, uel ui uel clàm: quod ui aut clàm interdictum est, item furti actio. l. 11. §. 1. ff. quod ui aut clàm.

Noui operis nunciatio.

Si quis in alieno solo, uel in alterius damnū ædificare uelit: potest ei nouum opus nunciari. Item *per* Prætorem, *&* per iactum lapilli prohiberi potest. l. 5. §. meminisse. ff. de operis noui nunciatione.*

Si post opus nunciatum ædificetur, interdictum datur. l. 20. in prin. ff. de operis noui nūciat. item interdictum quod ui aut clàm, item interdictum uti poßidetis. l. 5. §. meminisse. ff. de noui operis nunciatione.

Si antequàm nūciaretur, ædificatū sit: interdictum quod ui aut clàm competit. l. 1. §. 1. ff. de noui operis nunciatione.

Si antequàm ædificatum esset, agitur, ius uicino non esse ædes altius tollere, nec res ab eo defenditur: iudex ex officio debet iubere, ut is cum quo agitur, caueat nō prius se ædificaturū, quàm ultrò egisset ius sibi esse altius tollere. l. 15. ff. de noui operis nunciatione.

Si unus sociorum in communi solo ædificet, communi diuidundo iudicium est: item prohibitio per prætorē. l. 3. §. 1. ff. de noui oper. &c. item. l. 26. ff. de seruitutibus urbanorum.

Vsufru-

Vsufructuarius suo nomine nouum opus nunciare non potest, sed procuratorio nomine potest. item potest usumfructum uindicare. l. 1. §. fin. & l. 2. ff. de noui operis nunciat.

Si quis per uim adhibita manu in meo solo ædificet: quod ui metúsue causa actio est: item interdictum, quod ui aut clàm. l. 9. §. 1. ff. quod ui metúsue causa.

Si quis seruitute uel usufructu aliter quàm ei ius est utatur, actio negatoria competit: de qua re uide in lib. 3. cap. 4. & 5.

Si quid fit uel fiat, ex quo damnum metuatur. Cap. VI.

SI damnum ex aliqua re metuatur: regulariter damni infecti actio est, ut damni infecti nomine caueatur: de qua ff. de damno infecto. Planè si damnum alia actione sarciri poßit, damni infecti actio cessat. l. 32. ff. de damno infecto.

Inquilino non datur damni infecti actio, sed habet aduersus dominum actionem ex conducto; & pignoratitiam. l. 13. §. de illo quæritur. & l. 33. & 34. ff. de damno infecto.

Si fistulæ per quas aquam ducis, ædibus meis applicatæ damnum mihi dent: in factum actio est, & damni infecti. l. 18. ff. de seruitutibus

urban.

urban. *Vſufructuarius non poteſt agere damni infecti earum ædium nomine, quarum uſumfructum habet, nec ſuarum quas uicinas habet: quoniam reficiendi habet facultatem. item contrà nec proprietarius cum uſufructuario. l. 18. §. 1. ff. de damno infecto.*

Si magiſtratus in hac cauſa interpellatus ceſſet, datur in eum actio. l. 4. §. in eum. ff. de damno infecto.

Si ex hac actione cautū ſit, datur ex iſta cautione actio: ſin uerò nō caueatur, mittitur actor in poſſeßionem uicioſarum ædium. ff. de damno infecto.

Aquæ pluuię arcēdæ actio.

Si opus factum ſit, ex quo aqua pluuia uicino nocere poßit: datur aquæ pluuiæ arcendæ actio. l. 1. in prin. ff. de aqua & aquæ pluuiæ &c. Planè ſi quis opus fecerit, quo aqua pluuia nō agro, ſed ædificio uel oppido noceat: agi poterit, ius non eſſe.

Stillicidia & flumina immittere. l. 1. §. item ſciendum. ff. de aqua & aquæ pluuiæ arcendæ. Procurator & colonus, uenditor & donator fundi, & alij qui cùm opes fecerint, id reſtituere non poſſunt: quod ui aut clàm interdicto tenentur. l. 4. §. fin. & l. 5. item l. 13. cum l. ſeq. in prin. ff. eod. tit.

Si is qui opus fecit, id potentiori alienauit, & an-

& annus exceßit: de dolo actio est. l. 14. in prin. ff. de aqua & aquæ pluuiæ arcendæ.

Fructuario loci datur etiam interdictũ quod ui aut clàm. l. 22. in prin. ff. d. tit. de aqua, &c.

De eo damno quod ante sententiã cõtingit, datur interdictum quod ui aut clàm: quod post sententiam futurũ est, damni infecti actio. l. 14. §. penult. ff. de aqua & aquæ pluuiæ, &c.

Si quis in suggrunda uel protecto supra eum locum, quo uulgo iter fit, id positum uel suspensum habeat, quo alicui noceri poßit: in factum actio datur, de qua l. 5. §. prætor ait. ff. de his qui deiecerint uel effuderint. De posito & suspenso.

Si quis canem, uerrem, aprum, &c. eo loco habeat quo uulgo iter fit: cõpetit actio ex ædilitio edicto: item de pauperie quadrupedis. §. cæterum. Institu. si quadrupes pauper. &c. & l. 40. cum ll. sequentibus. ff. de ædilitio edicto. Si quis canem, &c.

Si damnum datum sit.
Cap. VII.

IN *præcedenti capite si damnum nondum datum sit, sed metuatur: quæ actio competat, dictum est: nunc quæ actio, si damnum datum sit competat, uidendum est.*

Si ergo damnũ datum sit: regulariter l. Aquil. actio est, de qua Inst. ff. & C. de lege Aquilia. itẽ certi condictio cõpetit. l. 9. in prin. ff. si cer. pet.

Interdum cōcurrit actio iniuriarū. §. iniuriam. ff. ad l. Aquil. Planè in damnis quæ l. Aquilia nō tenentur, in factum actio est. l. 33. §. fi. ff. ad l. Aquiliam. Proinde distinguitur uarijs modis.

1 Ex persona damnum dantis, & eius cuius dolo uel culpa datur.

Si unus hæredem damnum in re hæreditaria dederit. l. Aquil. & familiæ erciscundæ actio est. l. 16. §. deniq;. ff. famil. erciscundæ.

Si dominus seruū uel aliam suā rem peremerit, bonæ fidei possessori & creditori, qui eum pignori accepit, in factū actione tenetur. l. 17. ad l. Aquiliā. Datur item usufructuario serui occisi actio ad exemplū l. Aquiliæ. l. 12. ff. ad l. Aquil. item ad exhibendum actio. l. 7. §. si seruum. & l. 18. §. si dominus. ff. de dolo malo.

Si plures serui eiusdem damnum dederint, datur actio de qua. l. 1. §. penult. ff. si familia furtū.

Si is qui testamento liber esse iussus est, post mortem domini ante aditam hæreditatem damnum dederit, datur actio in factum: si is qui testamento, &c. l. 1. §. non tantum. ff. si is qui testamento liber, &c.

Si possessor hæreditatis seruum hæreditarium occiderit ante aditam hæreditatem, etiam petitio hæreditatis est. l. 36. §. si possessor. ff. de petitione hæreditatis.

Si fru-

Si fructuarius in re, cuius usumfructum habet, damnum dederit: ex cautione boni uiri arbitratu se usurum fruiturum tenetur. item l. Aquilia. item interdicto quod ui aut clàm. l. 13. §. de præteritis. ff. de usufructu.

Si depositarius in re deposita, cõmodatarius in re commodata, creditor in pignore, colonus uel inquilinus in re locata, uel horũ serui damnum dederint: etiã depositi, cõmodati, pignoratitia & locati actio est. l. 18. §. siue autẽ. ff. cõmo.

Si colonus arbores ceciderit, etiam ex locato actio est. l. 9. ff. arborum furtim cæsarum.

Si seruus coloni insulam, uel seruus inquilini ædes exußit, ex locato etiam agi potest. l. 27. §. proculus. ff. ad l. Aquil.

Si seruus coloni fornacarius ad fornacẽ obdormisset, & uilla fuerit exusta, etiam ex locato agendum. l. 27. §. si fornacarius. ff. ad l. Aquil.

Si creditor seruum pignori acceptum occiderit, uel uulnerauerit: etiam pignoratitia actio est. l. 18. ff. ad l. Aquiliam.

Si seruum locatum uulnerauerit, etiam ex locato actio est. l. 43. ff. locati.

Si magister in disciplina discipulum uulnerauerit, etiam ex locato actio est. l. 5. §. si magister. cum l. sequenti. ff. ad l. Aquiliam. item l. 13. §. item Iulianus. ff. locati & conducti.

Si medicus seruum imperitè secuit, etiam ex locato actio est. l. 7. §. fi. ff. ad l. Aquiliam.

Si quadrupes, &c.

Si quadrupes pauperiem fecisse dicatur, datur actio. Institu. *& ff. si quadrupes paupe. fecisse dicatur.* Distinguitur.

Si quadrupes mihi dolo alterius damnum dederit, de dolo etiam actio est. l. 7. §. si quadrupes. ff. de dolo malo.

Si canem quis irritauit, ut me morderet: in factum actio est. l. 11. §. item cum eo. ff. ad l. Aquil.

Si equus dolore concitatus calce petierit, in factum actio datur aduersus eum qui equũ percußit. l. 1. §. ideoq; si equus. ff. si quadrupes.

Si quadrupes alia quadrupede concitata damnum dederit, ea quæ concitauit tenetur. l. 1. §. ideoq; si equus. ff. si quadrupes.

Si propter loci iniquitatem, aut propter culpam mulionis, aut si plus iusto onerata quadrupes in aliquem onus euertit: legis Aquiliæ *actio est. l. 1. §. quòd si propter. ff. si quadrupes.*

Si quis seruum conductũ ad mulum regẽdum habens, commendauerit ei mulum, & ille ad pollicem suum eum alligauerit loro, & mulus eruperit sic, ut & pollicem euelleret seruo, & se præcipitaret: etiam ex conducto agi potest. l. 27. §. penult. ff. ad legem Aquiliam.

Si pecus depauit, datur actio de pastu pecoris. l.

ris.l. qui seruandarum. §.fi.ff.de præscr.uerb.

Si glans ex arbore tua in fundū meum ceciderit, eamq́; ego immisso pecore depascā: in factum actio est.l.14.§.fi.ff.de præscriptis uerb.

Si quis canem, uerrem, aprum, ursum eo loci habuerit, quo uulgò iter fieri solet, & inde alicui nocitum sit: datur de pauperie actio, item actio ex ædilitio edicto. §.cæterum. Insti.si quadrupes. & l.40.cum ll.seq. ff. de ædilitio edicto.

2 Ex re in qua damnum datum est.

Si dominus in re sua damnū dederit, uel depositarius in re deposita, commodatarius in re cōmodata, creditor in pignore, &c.uide paulò superius Ex *persona damnum dantis.*

Si seruum mihi promissum alius occiderit, de dolo mihi actio datur.l.18.§.fi.cum l.sequenti.ff.de dolo malo.

Si arbores quis succidit, ferit, cingit, deglubrat, subsecuit, radicitus euulsit, extirpauit: datur actio arborum furtim cæsarum, item actio l. Aquil.l.1.& l.5.§.eius.& l.7.§.1.& l.11.ff.arborū furtim cæsarū: item interdictū quod ui aut clàm.l.11.ff.eo.tit.& l.25.§.culpæ.ff.loc.etiam tanquam latrones puniūtur, qui arbores succiderunt, &c.l.2.§.arborum furtim cæsarum. Arborum furtim cæsarum.

Si colonus ceciderit, etiam ex locato agendum.l.9.ff.arbor.furt.cæsa.

Si arbores cedit, & lucrifaciendi causa contrectauerit: etiam furti actio est. lignorum etiam causa, condictio & ad exhibendum actio est. l. 8. §. 1. ff. arbo. furt. cæsar. si per uim sciente domino cecidit, arborũ furtim cæsarum actione non tenetur. l. 8. §. fi. ff. d. tit.

Si oliuam maturã decerpserit, uel segetẽ maturam deseruerit uel uuas, et interceperit: furti actio competit. l. 27. §. si oliuam. ff. ad l. Aquil.

Si syluam cæduã immaturam, uel maturam ceciderit & interceperit: nunc l. Aquiliæ, nunc furti actio & arborũ furtim cæsarum actio est. l. 27. §. si oliuam. ff. ad l. Aquiliam.

3 Ex specie damni dati.

Si seruum alienum occidit, liberum est domino etiam publico iudicio de sicarijs experiri. §. liberum autem. Instit. de l. Aquilia. & l. 23. §. si dolo. ff. ad l. Aquiliam. & l. 3. C. eo. tit. item l. 7. §. si dicatur. ff. de iniurijs.

Si non occidit, sed mortis causam præbuit: in factum actio est. l. 7. §. sed & si quis. ff. ad legem Aquiliam.

Si seruum uel serui animum corrupit, serui cprrupti actio est. l. 4. C. de furtis.

Si seruo meo persuaserit, ut tabulas meas describeret: serui corrupti actio est. l. 53. §. si quis seruo. ff. de furtis.

Si seruum

Si seruum meum compeditum soluerit, ut fugeret. l. 7. §. idem Labeo. ff. de dolo malo. & §. fi. Instit. de l. Aquilia.

Si seruo meo fugam suasit, uel in fugã sollicitauit. l. 36. in prin. & §. idem Põponius. & §. si duo serui. ff. de furtis. item l. 4. C. de furtis. & l. 1. C. ad l. fauiam de plagiarijs.

Si arbores succidit, fecit, cingit, &c. uide paulò superius Ex re in qua damnum datum est.

Si in agrum uicini uiam publicã reiecit, uiæ reiectæ actio est. l. 3. ff. de uia publica, & si quid in ea, &c.

Si tabulas meas deleuit, descripsit, alijs legit: de dolo actio est. si seruo meo persuasit, ut describeret, serui corrupti actio est. l. 52. §. si quis seruo. ff. ad l. Aquil.

Si tabulas meas deleuit, furti & legis Aquiliæ actio est. l. 41. §. fi. ff. ad l. Aquiliam. & l. 27. §. fi. & l. 31. ff. de furtis.

Si lolium uel auenã in segetem alienam inieceríit, quo eam inquinaret: quod ui aut clàm, & in factũ actio est. l. 27. §. inquit lex. ff. ad l. aquil.

Si incendium factum sit. l. 27. §. item si arbustum. ff. ad l. Aquiliam. & l. 1. 2. C. eo. tit. l. 9. l. 11. & l. 12. §. fin. ff. de incendio, ruina, naufragio. item l. 1. in princ. & l. 10. ff. ad l. Corneliam de sicarijs. item l. 28. §. incendiarij. ff. de pœnis.

Si seruum non fecit deteriorem, cessat legis Aquiliæ actio, & datur actio iniuriarum. l. 27. §. rupisse. ff. ad l. Aquiliam.

Si puerũ castrauerit, & puer eo sit preciosior factus: iniuriarũ actio est, uel ex edicto ædilitio, aut in quadruplum. l. 27. §. si puerum. ff. ad legem Aquiliam.

Si damnum nondum datum sit, sed metuatur: damni infecti actio est, &c. uide cap. præcedẽs.

4 Ex modo quo damnum datum est.

Si per uim damnum datũ sit. l. Aquil. actio est: item de ui actio. l. 2. §. ceterũ. §. rerum raptarũ. ff. ui bonorũ raptorum. Si per uim sciente domino arbores cecidit, arborum furtim cæsarum actio cessat. l. 8. §. fi. ff. arbor. furt. cæsa.

Si hominibus coactis damnum dedit. l. 2. in prin. §. cæterum. §. rerum raptarum. ff. ui bonorum raptorum.

Si non corpore damnũ datum sit, nec corpus læsum, sed alio modo alicui damnũ contigerit: ueluti si quis misericordia ductus, alienũ seruũ compeditum soluerit ut fugeret: in factum actio est. §. fi. Inst. de l. Aquilia.

Si quis uenenum pro medicamento dederit, uel gladiũ furenti: in factum actio est. l. 7. §. unde asserit. & l. 9. §. si quis hominem. ff. ad legem Aquiliam.

Si mortis

Si mortis causam præbuit, in factum actio est. l.7.§.sed etsi quis.ff.ad l.Aquilam.

Si tenuit eum quem alius occidit.l.11.§.si alius. ff.ad l.Aquiliam.

Si seruũ meum equitantem concitato equo effecerit in flumen præcipitari, atq; ideo seruus perierit: item si deduxerit in insidias, ubi ab alio est occisus: in factum actio est. l.9.§.si seruũ. ff.ad l.Aquiliam.

Si quis seruũ fame necauerit, in factũ actio est. l.9.§.si quis hominem.ff. ad l.Aquiliam.

Si quis seruum conductum ad mulum regendum habens, commendauerit ei mulum, & ille ad pollicem suum alligauerit loro, & mulus eruperit, sic ut ille pollicem euelleret seruo, & se præcipitaret, etiam ex conducto agi potest. l.27.§.penult.ff.ad l.Aquiliam.

Si quis fumo facto opes alienas necauerit, uel fugauerit: in factum actio est. l.49. in prin.ff. ad l.Aquiliam.

Si oues meas uel boues fugauerit panno rubro, in factum actio est.§. interdum.inst. de obligat. ex delicto.& l.50.§.fin.ff.de furtis. Planè si præcipitata sint exinde pecora fugata, etiam l.aquiliæ actio est.l.51.ff.de furtis.

Si nũmos mihi ex manu excusseris.§.interdum.Inst.de obligationib.ex delicto. item l.27.

§.si quis de.ff.ad l.Aquiliam.

Si boues alienos in angustum locum coëgeris ut deijcerentur, in factum actio est.l.53.ff.ad l. Aquiliam.

Si calicem argenteũ meum in profundũ abieceris, in factũ actio est.l.14.§.sed etsi.ff.de præscriptis uerbis.

Si merces alienas in mare proiecit. l.14. in prin.ff.de præscriptis uerbis.

Si funem quis quo religata nauis erat, præciderit: de naue quæ perit in factum actio est.l.29.§.si funem.ff.ad l. Aquiliam.

Si cui dum circulatores serpentes circumferunt & proponunt, ob eorum metum damnum datum est.l.8.ff.de extraordinarijs crim.

Si furnum secundum communem parietem habuerit, unde paries incensa est: in factũ actio est.l.27.§.si furnum.ff.ad l. Aquiliam. Si nondũ incensus est, damni infecti actio est: ibidem.

Si alterius impulsu quis damnũ dedit: aduersus eum qui impulit, in factum actio est. l.7.§. proinde si quis.ff.ad l. Aquiliam.

Si cisiarius dum cæteros transire contendit, cisium euertit, & seruum quassauit: etiam ex locato tenetur.l.13.in prin.ff.locati.

Si ex ædibus quid deiectum uel effusum sit, quo alicui nocitum est: in factum actio est.ff.de his

his qui deiecerint uel effuderint.

Si quid in suggrunda uel protecto supra eum locum quo uulgò iter fieri solet: quid positum uel suspensum habeat, cuius casus noceat: datur actio de posito & suspẽso.l.5.§.prætor ait. ff. de his qui deiecerint uel.

Si in fundo opere facto aqua pluuia noceat: uide cap. præcedens. De *reliquis modis uide suprà ex specie damni dati.*

5. Ex loco & tempore quo damnũ datũ est.

Si in turba damnum datum sit, competit actio de damno in turba dato, de qua l.4. ff. ui bonorum rapt.

Si in incẽdio, ruina, naufragio, rate, naue expugnata damnum datum sit: datur actio, de qua ff. de incendio, ruina, naufragio &c. uide suprà cap. 2. ex loco ubi & unde subripuit lib. eod.

Si in naue, caupona, stabulo damnũ datũ sit: datur actio aduersus nautas, caupones, stabularios. l.5.§.fin. ff. nautæ, caupones, sta. uide suprà dicto loco cap. 2. ex loco ubi & unde subripuit.

6 Ex antecedentibus.

Si prius subripuit seruũ alienũ, deinde occidit: etiã furti actio cõpetit. l.27. in prin. ff. ad l. Aqu.

Si locatũ prius sit, cõmodatum, depositũ &c. uide suprà ex persona damnũ dãtis. §. si deposit.

Si uiatori locauerit lacum uino plenum curan-

randum, ut uinum sit effusum: in factum actio est. l. 27. §. fin. ff. ad l. Aquiliam.

7 Ex euentu & consequentibus.

Si res non deterior sit facta, uel etiam melior: iniuriarum actio est. l. 27. §. rupisse. & l. etsi puerum. ff. ad l. Aquiliam.

Si rem in qua damnum dedit, postea lucrifaciendi causa cõtrectauerit & interceperit: etiã furti actio est. & c. l. 8. §. 1. ff. arborem furt. cæs.

Si res rei uindicatione petatur, eius quoq; si res deterior facta sit, iudex in rei uindicatione rationem habebit. l. 13. cum l. sequenti: & l. 27. §. si homo. ff. de rei uindicatione.

Si iniuria facta sit quæ competat actio? Caput VIII.

SI iniuria alicui facta sit, iniuriarũ actio est. de qua Inst. ff. & C. de iniurijs. Fit autem iniuria aut re aut uerbis. Item aut in corpus alterius infertur, aut ad dignitatem, aut ad infamiam. l. 1. §. iniuriam. ff. de iniurijs. Re fit iniuria, si pugno pulsatus sit, fustibus cæsus uel uerberatus. Verbis fit, si conuicium fiat. §. iniuria autem. Inst. de. iniuria. & l. 1. §. iniuriam. & l. 15. §. ait prætor ri. ff. de iniurijs. item si famosus libellus in aliquẽ scribatur. §. iniuria autẽ. Inst. de iniuria. & l. 5. §. si quis librum. l. 6. ff. eo. tit.

Et crimina-

Et criminaliter & ciuiliter iniuriarum actio intendi potest. §. in summa Inst. de iniuria. & l. 7. § posse hodie. l. 37. §. fin. ff. de iniurijs.

Interdum l. Aquiliæ, & iniuriarum actio cõcurrunt: sed duæ erunt æstimationes, alia damni, alia contumeliæ. l. 5. §. iniuriã. ff. ad l. Aquil.

Si seruus iniuria occisus sit, iniuriarum & l. Aquiliæ actio est: at in l. Aquiliæ actione principaliter de damno agitur, quod domino datũ est: in iniuriarum uerò actione de ipsa cæde, uel ueneno, ut uindicetur, non ut damnum sarciatur. l. 7. §. 1. ff. de iniurijs.

Omnis iniuria quæ manu fit. l. Cornelia tenetur. l. 5. §. lex itaq; ff. de iniurijs.

Si quis pulsatus, uerberatusq; sit, item si cuius domus ui introita est: ex l. Cornelia, iniuriarum actio datur. §. sed & l. Cornelia. Inst. de iniurijs. & l. 5. l. 23. ff. eod. tit.

Etiam ciuiliter ex l. Cornelia agi potest. l. 37. §. fin. ff. de iniurijs.

Si per metum facta iniuria est, & iniuriarũ actio anno finita: quod metus causa actio est. l. 14. §. 1. ff. quod metus causa.

Si quis aliquem diffamet, dicendo eum esse libertum uel debitorem suum: & iniuriarum agi potest. l. apud Labeonem. § si quis non debitorem. ff. de iniurijs. & ex l. diffamari, ut aut

suam

ſuam actionem diffamator intendat, aut ſileat. l. diffamari. C. de ingenuis manumißis.

Si quis aſtrologus, uel qui illicitam diuinationem pollicetur conſultus, aliquem furem dixiſſet: conſtitutionibus de maleficis tenetur. l. 15. §. ſi quis aſtrologus. ff. de iniurijs.

Si homicidium factum ſit, uel propoſitum. Cap. IX.

SI *homicidium factũ, uel propoſitũ ſit: cõpetit l. Cornelia de ſicarijs & ueneficis. ff. & C. ad l. Corn. de ſica.* Diſtinguitur *tamẽ.*

1 Ex perſona occidentis.

Si magiſtratus aliquid iniuſtè in hominis necem fecerit. l. 4. in prin. ff. ad l. Cornel. de ſicar.

2 Ex perſona occiſi.

Non *habetur differentia, cuius cõditionis homo interẽptus ſit. l. 1. §. et qui hominẽ. ff. eod. tit.*

Si ſeruus occiſus ſit: etiam l. Aquilia locum habet, & iudicium publicum de ſicarijs. §. liberum autem. Inſt. *de l. aquilia. & l. 23. §. ſi dolo. ff. ad l.* Aquiliam. *& l. 3. C. eod. tit.*

Si dominus ſeruum ſuũ occiderit. §. in poteſtate. Inſt. *de his qui ſui uel alieni. item. l. 1. C. de emendatione ſer.*

Si magiſtratus, uel is qui imperium poteſtatémue habet, occiſus ſit. l. 3. §. cuiusue opera. ff. ad l. Iu-

ad l.Iuliã maiestatis.& l.5.in prin.C.eod.tit.

Si parentem,patronum,filium, cognatũ uel adfinem suũ occiderit quis.l.Pompeia de paricid. &c. cõpetit.l.1.ff.ad l.Cornel.de sicarijs. & l.1. ff.ad l. Pompeiam de paricidijs. item C. de his qui parentes uel liberos suos,&c.

3 Ex modo quo accidit.

Si mortis causam præbuit.l.15.ff.ad l.Cornel.de sicarijs.

Si naufragium suppreßit. l.3.§.item qui autor.ff.ad l.Cornel.de sicarijs.

Si mulier partum abegit.l.8.ff.ad l.Cornel. de sicar.& l.4.ff.de extraordinarijs criminib.

4 Ex specie facti.

Si uoluit occidere,sed non perfecit.l.1.§.diuus.& l.14.ff.ad l. Cornel.de sicarijs.et l.8.C. eod.tit.

Si cum telo ambulauerit hominis occidendi causa.l.1.in prim.ff.ad l.Cor.de sicar.& l.7.C. eod.tit.itẽ.§.itẽ lex Corn.Inst.de publ.iudicijs.

Si uenenum confecerit, dederit, uendiderit, habuerit,hominis interficiendi causa.l.1.§.præterea.l.3.in prim.ff.ad l.Corn. de sicarijs. item l.1.2.ff. ad l.pompeiam de parrici.

Si publicè mala medicamenta uendidit. l.3. in prin.ff.ad l.Corn.de sicarijs. item §.sicarij. Inst. de publicis iudicijs.

Si ad

Si adulterium uel ſtuprum factum ſit, item ſi prohibitæ nuptiæ ſint contractæ. Cap. X.

SI adulterium uel ſtuprum factum ſit, competit iudicium publicum ex l. Iulia de adulterijs. de quo ff. & C. ad l. Iuliam de adulterijs. Planè poteſt pater adulterum cum filia, & maritus adulterum cum uxore ſua inuentum in ipſo facto ſine iudicio occidere. l. 24. §. fin. & l. 42. ff. ad l. Iuliam de adulterijs. item. l. 4. C. eod. Licet etiam illis, inuentos adulterũ & adulteram per uiginti horas retinere, & teſtes inducere. l. 25. ff. ad l. Iul. de adul. Sed & alia iudicia de adulterio & ſtupro ſunt pro circunſtantiarum uarietate. Nam diſtinguitur:

1 Ex perſonis inter quas & cum quibus commiſſum eſt.

Si uirginem nondum uiripotentem corrupit quis. l. 25. ff. de iniurijs. & l. 38. qui nondum. ff. de pœnis.

Si mares cum maribus coierint. §. item lex Iulia. Inſt. de publicis iudicijs. & l. 31. C. eod. tit. item Nouell. *c. 141.*

Si inter ſeruas perſonas, & in ſeruam commiſſum ſit ſtuprum. l. aquiliæ actio eſt, item iniuriarum, item ſerui corrupti actio. l. 6. in prin. ff. ad

ff. ad l. Iuli. de adulterijs, item l. 25. & l. 29. C. eod. tit. item l. 25. ff. de iniurijs.

Si seruus adulterium commiserit. l. 26. C. ad l. Iul. de adulte. & l. 5. ff. de accusationibus & inscript.

Si seruus cum uxore domini, uel cum domina sua adulterium commiserit. l. 33. in prin. ff. ad l. Iul. de adulterijs. item C. de mulieribus quæ se pro.

Si cum sorore sua, uel nouerca, uel filia, uel cum alia huiusmodi persona, cum qua illicitè contrahit nuptias, coierit: incesti crimen est: de quo l. 7. §. fin. & l. 38. in prin. l. 39. §. præscriptione. §. incesti. §. fin. & l. 44. ff. ad l. Iul. de adulterijs. item l. 4. cum l. sequenti. ff. de quæstionib. item C. de incestis & inutilib. nuptijs.

Si tutor pupillam suam stuprauerit. l. 1. C. si quis eam cuius tutor fuit, corruperit.

2 Ex antecedentibus, & modo.

Si mulierē rapuit, & per uim stuprauit. l. 3. §. 1. ff. ad l. Iul. de ui pub. & l. 3. C. eod. item C. de raptu uirgin.

Si ancillam alienam libidinis causa rapuit, datur actio iniuriarum. l. 39. l. 82. §. cùm ancillam. ff. de furtis.

Si ancillam alienam suppreßit & celauit, etiam furti actio est. l. 25. ff. de iniurijs.

3 Ex specie facti.

Si illicitas contraxit nuptias, utputa cum sorore, filia &c. incesti crimen est, de quo uide paulò superius Ex personis inter quas &c. §. si cum sorore.

Si tutor pupillam uel curator adultam suam in uxorẽ duxerit. l. 7. in prin. ff. ad l. Iul. de adul.

Si quis damnatã adulterij in uxorẽ duxerit: uel mulier adultero nupserit. l. 11. §. licet enim. & l. 29. §. quod ait. ff. ad l. Iul. de adult. itẽ l. 7. C. eod. tit. & l. 1. §. qui etiam ff. de concubinis.

Si maritus uxorem in adulterio deprehensam retinuerit, uel dimissam reduxerit. l. 2. §. lenocinij. l. 29. in prin. l. 33. §. si quis. l. 39. §. mulierem. l. 40. §. fin. ff. ad l. Iul. de adulter. & l. 2. 7. 17. 30. §. in primis. C. eod. tit. Nouell. c. 134. §. mulier uerò.

Si quis duas uxores simul habeat, uel si quæ duobus simul nupta sit. l. 18. ad l. Iul. de adult. item l. 2. C. de incestis & inutilib. nup.

Si puero stuprum abducto ab eo comite uel corrupto persuaserit, aut mulierem, puellámue interpellauerit, quid ue impudicitiæ gratia fecerit, domum præbuerit. l. 1. §. fin. ff. de extra ordinarijs criminib. item §. iniuria autem. Inst. de iniuria. item l. 1. §. iniuriam. l. 9. 10. 15. §. qui turpibus. §. si quis uirgines. ff. de iniurijs.

Si alienas nuptias sollicitauit & interpellauit. l. 1. in prin. ff. de extraordin. criminib.

Si cum alterius uxore confabulatus sit is, cui antea à marito propter suspicionem denunciatum est. Nouell. c. 117. §. *adhæc uerò.*

Si quis mulierem cupidinis causa in domo sua habeat. l. 34. in prin. ff. ad l. Iul. *de adulte.*

Si domum uel agrum adulterio cõmittendo præbuit. l. 8. cũ ll. sequent. itẽ. l. 29 §. hoc quinquennium. l. 32. §. fin. ff. ad l. Iul. *de adulte.*

Si internuncius uel minister adulterij fuit. Nouell. *c. 134. §. si quando adult.*

Si leno sit. l. 2. §. lenocinij. l. 10. §. fin. ff. ad l. Iul. *de adulterijs. item l. 2.* C. *eod. tit. item* nouell. *c. 14. item l. 6.* C. *de spectaculis & scenicis.*

Si quis adulterum deprehensum dimisit, uel pecuniam eo nomine accepit. l. 14. in prim. l. 29. in prim. l. 32. §. fin. ff. ad l. Iul. *de adulter.*

Si maritus de adulterio uxoris aliquid accepit, uel contrà uxor de adulterio mariti. l. 2. §. lenocin. l. 8. in prim. l. 11. in prim. l. 29. §. plectitur. l. 33. §. fin. ff. ad l. Iul. *de adult.*

Si maritus infamandæ uxoris causa adulterum subiecit, ut is eum deprehenderet. l. 14. §. si uir. ff. ad l. Iul. *de adult.*

Si quid ad fallendum & decipiendum alterũ uel, re uel uerbis, uel literis dolo malo factum est, & falsum commissum. Caput XI.

SI quid ad fallendum & decipiendum alterũ dolo malo factum est: de dolo actio est, de qua ff. & C. de dolo malo. Item exceptio doli mali, de qua. ff. de doli mali & metus exce.

Si alia competat actio, de dolo actio cessat. l. 1. in prin. ff. de dolo malo.

Boni prætoris est potius restituere litẽ, quàm de dolo actionem dare. l. 7. §. fin. ff. de in integ. restitut. De dolo serui, interdũ noxalis actio datur, interdum de peculio. l. 9. §. hæc de dolo. ff. de dolo ma. Liberis aduersus parentes, libertis aduersus patronos, humili aduersus eum qui dignitate excellit, luxurioso et prodigo aduersus hominem emendatioris uitæ, non de dolo actio datur, sed in factum. l. 11. ff. de dolo malo.

Si falsum commissum est, etiam falsi accusatio est, ex l. Cornelia de falsis. de qua ff. & C. ad l. Corneliam de falsis. Planè aduersus matrem falsi accusatio non competit, sed de fide scripturæ ciuiliter aduersus eam queri potest. l. 5. C. ad l. Corneliam de falsis.

Si cuius dolo factum est, ut lis temporibus legitimis

gitimis transactis periret. l. 18. §. si cuius. ff. de dolo malo.

Si dolo acciderit eius qui uerba faciebat pro eo qui de libertate contendebat, quo minus præsente aduersario secundum libertatem pronunciaretur: de dolo actio est. l. 24. ff. de dolo malo.

Si per collusionem procuratoris reus absolutus est uel damnatus. l. 8. §. 1. ff. mandati. & l. 7. §. si dolo. ff. de dolo malo.

Si pupillus à Titio tutore colludente deceptus est, tutelæ actio est. l. 5. ff. de dolo malo.

Planè dolus committitur aut re, aut uerbis, aut scriptura.

Re *dolus fit, utputa,*

Si te Titio obtuleris de ea re quam alius possidebat, in hoc ut possessor usucaperet, quãuis absolutus sit, de dolo tamen actione teneris. l. 39. ff. de dolo malo.

Rei quam uenalem possessor habebat, litem proprietatis aduersarius mouere cœpit, et post quàm oportunitatem emptoris, cui uenundari potuit, peremit, destitit: in factum actio est. l. 33. ff. de dolo malo.

Si tabulas testamẽti suppreßit ne de inofficioso ageretur. l. 9. §. item si tabulæ ff. de dolo malo.

Si instrumentum subripuit, cælauit, amouit, intercidit & resignauit. l. 1. §. qui in rationibus. §. is qui peruertit. l. 2. 16. 23. 26. ff. ad l. Cornel. de falsis. item l. 14. C. eod.

Si instrumēta prodidit. l. 7. §. sunt præterea. ff. de extraordin. crimini.

Si tabulas publicas inspiciendas & describendas dederit. l. 9. §. senatus. ff. ad l. Iuliam peculatus.

Si seruus tuus qui non erat soluendo, hortatu tuo pecuniam à me acceperit mutuam, ut tibi solueret: de dolo mihi teneris. l. 20. in prin. ff. de dolo malo.

Si se pro milite gerit, uel illicitis insignibus utitur, uel falso diplomate uias commeat. l. 27. §. fin. ff. ad l. Cornel. de falsis.

Si sciens falsa pondera cōmendauit uenditori, ut merces appenderet. l. 18. §. de eo. ff. de dolo malo. & l. 53. §. si maiora. ff. de furtis.

Si pondera aut mensuras falsauit, corrupit, uel habuit. l. 32. ff. ad l. Cornel. de falsis. & l. 6. §. onerant. ff. de extraordinarijs criminib.

Si falsam monetā cuderit, emerit, uendiderit, aureos nūmos raserit, tinxerit, finxerit. l. 8. 9. in prin. §. eadem. l. 19. in prin. ff. ad l. Corneliā de falsis. item l. 6. §. qui cùm. ff. ad l. Iul. peculatus. item C. de falsa moneta.

Si ij qui in moneta publica operantur, extrinsecus sibi signant pecuniam forma publica.l. 6.§. qui cùm in.ff. ad l. Iuli. peculatus.

Si in aurum uel argentum uel æs publicum quid indet uel immittat, quo id peius fiat.l.1.ff. ad l. Iuliam peculatus.

Si partum supposuit.l.19.§.fin.l.30.ff. ad l. Corn. de falsis: item l.1.l.10.C.eod. item l.1. in prin, ff. de agnoscendis & alendis libe.

Si terminum mouit, de termino moto actio est.ff. de termino moto: item finium regundorũ.

Verbis dolus fit: utputa

Cùm quis falsa persuasione, uel fraudulenti consilio aliquem decipit.

Si quis nihil in persona sua (inquit Vlpianus) mentitus est, sed uerbis fraudẽ adhibuit: fallax est magis, quàm furtum facit: utputa si dixit se locupletẽ, si in mercẽ se collocaturũ quod accepit: si fideiussores idoneos se daturũ, uel pecuniã confestim se soluturũ: nam his omnib. magis decepit, quàm furtũ fecit: & ideo furti nõ tenetur, sed de dolo.l.43.§ si quis nihil.ff. de fur.

Si quis se creditorẽ simulet, uel procuratorẽ, & ob id pecuniã acceperit.l.43. in pr. ff. de fur.

Si quis se tutorem simulet.ff. de eo quod falso tutore autore ge.

Si mihi Titium commendaueris, quasi ido-

neum cui crederem: de dolo actio est. l. 7. §. fin. l. 8. ff. de dolo malo. itẽ mãdati. l. 24. ff. mãdati.

Si mihi Titium quasi idoneum cui crederem commendaueris, deinde alium quasi Titium adducas: furti & in factum actio est. l. 67. §. si tu Titium. ff. de furtis.

Si creditor pignus uendidit, quasi non soluto debito debitore colludente: falsi crimen est. l. 15. C. ad l. Cornel. de falsis.

Si uenditor in uenditione quædã simulauerit uel dißimulauerit, alterue se habeat atq; ab eo dictum promißumue est; ex empto actio competit, item redhibitoria. l. sciendum tamen est. §. dictum. ff. de ædilitio edicto. itẽ l. 11. §. redhibitionis. ff. de actionibus empti & uenditi. Plane si decipiendi emptoris gratia quid aliter dictum promissum ue est, de dolo actio etiã est. l. 37. ff. de dolo malo.

Si quis minorem hæreditatem affirmauit, et ita eam ab hærede uiliore precio emit. l. 9. in prin. ff. de dolo malo. & l. 42. ff. mandati.

Si quis alicui persuasit, ut hæreditatem quasi minus idoneam recusaret: uel ut optet seruum quasi melior in familia non sit. l. 9. in prin. ff. de dolo malo. & l. penult. C. de dolo malo.

Si quis decepit aliquẽ, ut non idoneã hæreditatẽ adiret: de dolo actio est. l. fi. ff. de dolo ma.

Si frau

Si fraudulentum consilium dedit.l.47.ff. de reg.iuris. Planè si seruo malum cõsilium dedit, serui corrupti actio est.l.26.ff.de iniurijs. & l. 53.§.si quis seruo.ff.de furtis.

Si minor à seruo persuasus eum cum peculio uendidit, uenditusq; ab emptore est manumissus.l.7.§.1.ff.de dolo malo.

Si quis persuasit familiæ meæ, ut de possessione decederet.l.31.ff.de dolo malo.

Si mihi persuaseris nullam tibi fuisse societatem cum illo cui hæres sum, & ideo te absolui passus sum.l.20.§.fi.ff.de dolo malo.

Si mihi persuaseris te seruo meo soluisse, & ob id te absolui passus sum.l.25.ff.de dolo malo.

Si obrepsit quis præsidi, & in precibus est mentitus.l.29.ff.ad l.Cornel.de falsis.

Si falsum nomen uel cognomen assumpsit, uel nomen mutat.l.13.in prin.ff.ad l.Cornel. de falsis. & l.1.C. de mutatione nominis.

Si se pro milite gessit, uel illicitè insignibus usus est, uel falso diplomate uias commeauit.l. 27.§.fi.ff.ad l.Cornel.de falsis.

Si libertinus se ingenuum dicat.l.1.C. ad legem Visceliam.

Si quis priuatus pro potestate, magistratu'ue quid sciens dolo malo gesserit.l.3.§.fi.ff. ad l.Iuliam maiestatis.

Si mensor falsum modum dixerit. ff. si mensor fal. mod. dixe.

Si falsum dixit testimonium, uel repugnãtia.

Si in falsas testationes faciẽdas, testimonia'ue falsa dicenda coierint. l. 1. in princ. l. 9. §. pœna. l. 27. in prin. §. de imprudentia. ff. ad l. Corn. *de falsis. & l. 2. ff. de concußione.*

Si falsa iudicia professus fuerit, profitẽdo'ue curauerit, uel falsum dixit testimoniũ, quo quis innocens circunueniretur, condemnaretur ue. l. 1. in princ. l. 3. §. item quis aut. ff. ad l. Corneliã *de sicarijs.*

Scriptura dolus committitur.

Si falsa instrumenta scripserit, signauerit, recitauerit, subiecerit, signum adulterinũ fecerit, sculpserit, expresserit, uel dolo fieri curauit. l. 1. §. qui in rationibus. l. 2. l. 6. in prim. l. 9. §. pœna. l. 13. 16. 23. 30. ff. ad l. Cornel. *de falsis. item l. 13. 23.* C. *eo. tit. item §. item lex* Cornelia. Institu. *de publicis iudicijs.*

De *fide instrumenti etiã ciuiliter queri potest. l. 5. 9. l. 11. 23. 24.* C. *ad l.* Cornel. *de falsis.*

Si sciens falsum conscripsit uel recitauit in tabulis publicis. l. 2. ff. ad l. Iul. *maiest.*

Si in tabulis publicis minorem quantitatem scripserit quàm quid uenierit. l. 10. in princ. ff. ad l. Iuliam *peculatus.*

Si in

Si in testamento sibi aliquid adscripserit. ff. ad l. Corneliam de falsis.

Quidam debitor epistolã quasi à Titio mitti creditori suo effecit, ut ipse liberaretur, qua epistola creditor deceptus debitorem liberauit: de dolo actio est. l. 38. ff. de dolo malo.

Si quis falsis constitutionibus & rescriptis usus sit. l. 25. l. 33. ff. ad l. Corn. de falsis. item l. 4. C. eo. tit. item l. 1. ff. de concußione.

Si quis instrumentũ subripuit, cælauit, amouit, interleuit, prodidit, &c. uide suprà cáp. eo. inter modos quibus re dolus committitur.

De reliquis delictis & criminibus tam nominatis quàm innominatis. Cap. XII.

Qvod ad reliqua delictorum genera attineri sciendum est: siquidem delictum priuatũ innominatũ sit, et desit uulgare nomẽ actionis: in factum actio est. l. 1. in prin. l. 2. cum ll. seq. item l. 11. 22. ff. de præscr. uerbis.

Si uerò crimen sit innominatum, deficiatq; titulus criminis, stellionatus crimen est. l. 3. §. idẽ si quis. ff. stellionatus.

Si quis ius dicenti non obtemperauerit, competit iudicium. ff. si quis ius dicen.

Si quis parentem uel patronũ sine permissu

prætoris in ius uocauerit: datur actio de qua. §. omnium autem. Inst. de pœna temere litigan. & l. 4. cum ll. sequentib. ff. de in ius uocando.

Si quis in ius uocatus non ierit, datur actio. ff. si quis in ius uocatus non ierit.

Si debitor latitet, & secum agendi potestatem non faciat: creditor in bona eius mittitur. l. 4. §. fi. ff. de libero homine exhi. & l. 18. ff. si seruitus uindicetur: item est pœna contumaciæ.

Si per aliquem factum sit, quo minus quis in iudicio sistat, datur actio in factum, de qua ff. de eo per quem fact. est quo mi. quis in iud. sistat. item l. 8. ff. ad l. Iul. de ui publica. & l. 4. ff. de ui priuata.

Si quis in ius uocatũ ui exemerit, datur actio in factum. ff. ne quis eum qui in ius uocatus est, ui eximat.

Si libellus non edatur, datur actio. ff. & C. de edendo.

Si quis maiorem uera æstimatione quantitatem in libello complexus sit. §. tripli. §. si quis agenti. Inst. de actionib.

Si improbe in alienã litẽ coierint, ut quicquid condemnatione in rem eius redactũ fuerit, inter eos cõmunicaretur. l. 6. ff. ad l. Iul. de ui priuata.

Si euentum sententiæ quis uendiderit. l. 15. §. idem ... eum.

Si accuſator calumniatus ſit falſò accuſando. ff.ad ſenatuſc.Turpilli.item ff.& C.de calumniatoribus.item l.1.§.ſed & ſi quis.ff.ad l.Corn. de falſis.item l.2.ff.de concußione.

Si debitorem in cauſa pecuniaria ſubmiſit, item ſi ob lites falſas inſtruendas pecuniam accepit.l.9.§.fi.ff.ad l.Corn.de falſis.

Si accuſator tergiuerſatus ſit, hoc eſt, ab accuſatione deſtitit.ff.ad ſenatuſc.Turpillianum.

Si procurator præuaricatus ſit.ff. de præuaricatoribus.

Si per colluſionem procuratoris aduerſarius obtinuerit. l.8.§.1.ff.mandati.& l.7.§.ſi dolo. ff.de dolo malo.

Si ad inſtruendam aduocationem, teſtimonium'ue pecuniam accepit, obligatus, pactus'ue fuerit.l.1.in prin.l.20.ff.ad l. Cornel.de falſ.l.2. ff.de concußione.

Si iudici pecuniã dedit, item ſi iudicem corrupit, corrumpendum'ue curauit: uel domum eius ſit ingreſſus.l.1.§.ſed & ſi quis.& l.21.ff.ad l. Cornel.de falſis.item l.6.§.fi.C.ad l.Iuliam repetundarum.item l.1.§.fi.ff.ad l.Iuliam de ambitu.item l.1.ff.repetunda.

Si iudex pecuniam accepit.l.1.§.1.ff.ad legem Cornel.de ſicarijs.

Si iudex litem ſuam fecerit, & per iniuriam ſententiam

ſententiam dixerit.l.13.§.idem Labeo.ff.de iniurijs.item Inſti.de oblig.quæ quaſi ex delicto: in prin.item l.fi.ff.de extraordin.cognition.

Si iudex ſecundũ conſtitutiones principũ non pronunciauerit, uel eas neglexerit.l.1.§.ſed etſi quis.ff.ad l.Cor.de falſis.& l.1.C.ad l.Iul.maie.

Si executor quid ultra quantitatem ſportularum exegerit.§.quadrupli.Inſti. de actionib.

Si album uel id quod iuriſdictionis perpetuæ cauſa propoſitum eſt, corrupit, uel ſuſtulit.l.7. cum ll.ſequenti.ff.de iuriſdictione.item l.32.in prin.ff.ad l.Cornel.de falſis.

Si tabulam æream legis, formam'ue agrorum continentem refixerit, uel quid in illa immutauerit: item ſi quid in tabulis publicis deleuerit uel induxerit.l.8.ff.ad l.Iul.peculatus.

Si publicã maieſtatem læſit, uel quid in detrimentum Reipub.uel principis fecerit: læſæ maieſtatis crimen eſt, de quo ff.& C.ad l.Iul.maie.

Si hoſtem concitauit, uel ciuem hoſti tradidit.l.3.in prin.ff.ad l.Iul.maieſtatis.

Si trãsfuga ſit, & ad hoſtes fugerit.l.3.§.fi.ff. ad l.Cornel.de ſicarijs.& l.2.ff.ad l.Iul.maieſt.

Si principis iudicium in dubium uocetur.l. 2.C.de crimine ſacrilegij.

Si quid contra præceptum diuinum ſit commiſſum.l.1.C.de crimine ſacrilegij.

Si hæ-

Si hæreticus sit. C. de hæreticis.

Si sacrilegium faciat. l. 9. in prin. ff. ad l. Iuliam peculatus.

Si priuata, sacra, uel ædiculas incustoditas tentauerit. l. 9. in prin. ff. ad l. Iul. peculatus.

Si res priuatæ è loco sacro subreptæ sint, furtum est, non sacrilegiũ. l. 5. ff. ad l. Iul. pecul.

Si sepulchrũ uiolauit, sepulchri uiolati actio est, de qua ff. & C. de sepulchr. uiola. item l. Iulia de ui publ. l. 8. ff. eo. tit. item actio pecuniaria: l. 9. ff. eo. tit. item sacrilegij iudiciũ. l. 5. C. eo. tit.

Si sepulchrũ diruit, uel statuã de monumẽto euellit: cessat l. Aquiliæ actio: quod ui aut clàm interdicto agi potest. l. 2. ff. de sepulchr. uiolato.

Si statua patris tui in monumento posita saxis cæsa est, iniuriarũ actio est. l. 2. ff. de iniur.

Si is qui in magistratu, potestate, curatione, legatione, uel quo alio officio uel munere ministerio' ue publico est, pecuniam acceperit: lege repetundarum tenetur. l. 1. ff. ad l. Iul. repetunda. & l. 3. 6. C. eod. titu.

Si pecunia publica apud aliquem resedit, fortè ex causa locationis, emptionis, &c. l. 4. §. lege. ff. ad l. Iul. peculatus.

Si pecuniam publicam in aliquem usum delegatum retinuit, nec erogauit. l. 2. l. 4. §. lege. l. 9. §. senatus. ff. ad l. Iuliam peculatus.

Si is

Si is qui prouincia abit, pecuniam quæ penes se est, ad ærarium professus retinuit. l. 9. §. fi. ff. ad l. Iul. peculatus.

Si quis officium quod gessit repetierit, de ambitu tenetur. l. 1. C. ad l. Iul. de ambitu.

Si contra annonam fecerit, societatem coierit, quo annona carior fiat. l. 2. in prin. ff. ad l. Iuliam de annona.

Si quis nauem nautamq; retinet, aut dolo malo faciat, quo magis detineatur. l. 2. §. fin. ff. ad l. Iuliam de annona.

Si merces supprimit, aut fructus suos æquis precijs uendere nolit, dum minus uberes prouentus expectat. l. 6. in prin. ff. de extraordinarijs criminib. & l. 3. §. fi. ff. stellionatus.

Si merces suppositas, obligatas auertit, uel corrupit. l. 3. §. sed etsi. ff. stellionatus.

Si muros ciuitatis perforauit. l. 11. ff. ad legē Iuliam pecul.

Si Nili aggeres rupit. l. 7. §. fi. ff. de extraor. criminib. & l. 1. C. de Nili aggerib. non rūpend.

Si illicitū collegiū coierint, illicitos et clādestinos cōuentus habeāt. ff. de collegijs et corpor.

Si author seditionis fuerit. l. 3. §. item qui author. ff. ad l. Corn. de sicarijs. & l. 1. ff. ad l. Iul. maiest. item C. de seditiosis.

Si mala sacrificia fecerit, habuerit. l. 13. ff. ad legem

legem Corneliam de ſicarijs.

Si hominem caſtrauerit, uel ſpadonem fecerit. l. 3. §. qui hominem. & l. 4. §. idem diuus. l. 6. ff. ad l. Cornel. de ſicarijs. item C. ne quis per imper. Rom. eunuchos habe.

Si thlibios fecerit. l. 5. ff. ad l. Cornel. de iniur.

Si filium circunciderit. l. 11. in princ. ff. ad l. Cornel. de ſicarijs.

Si ſeruus ad beſtias ſine iudice datus ſit. l. 11. §. ſeruo. ff. ad l. Cor. de ſicarijs.

Si liberum hominem uel ſeruum alienũ quis ſupprimit, rapit, emit, uẽdit, uel alio modo alienauit. l. fauia de plagiarijs tenetur. l. 1. l. 3. in prin. l. 4. 5. 6. in prin. ff. ad l. fauiam de plagiarijs. item l. 1. 2. 5. 6. 7. 9. 12. & 15. C. eod. tit. item competit interdictum de libero homine exhibendo. Planè ſi dubitatur an liber ſit, cauſa liberalis eſt. l. 3. §. planè ſi dubitetur. ff. de libero homine exhibendo. Si quis detineat liberos noſtros, eoſq; non exhibeat, nec ducere permittat: interdictũ de liberis exhibendis competit.

Si uxor à parentibus detineatur, maritus de uxore exhibenda & ducenda agere poteſt. l. 2. ff. de liberis exhibendis. & l. 3. C. eo. tit.

Si cuius inſtinctu ſeruus ad infamandũ dominum ad ſtatuã confugit. l. 5. ff. de extraor. crimi.

Si quis aſinum meum in equas ſuas coëgit &

immisit, furti & in factũ actio est. l. 52. §. si quis asinum. ff. de furtis.

De maleficis, magis, ariolis, augure, diuinatoribus, & ijs qui prohibitas artes discunt uel docent, diuinatores consulunt, &c. C. de maleficis.

Si fimo corrupto aliquem perfuderit, cœno, fimo oblinierit, aquas spurcauerit, fistulas, lacus, quid'ue aliud ad iniuriam publicam contaminauerit. l. 1. §. fit iniuria. ff. de extraordinarijs criminibus.

Si contra naturam luxuriatur, blasphemat, iurat per Deum, &c. l. fin. §. fin. C. de religiosis & sumpt. Nouell. const. 77. item const. 141.

Si peierauit. l. 13. §. fi. ff. de iureiurando. & l. 2. C. eod. titu. item l. 21. 22. ff. de dolo malo. item l. 4. ff. stellionatus.

Si turpibus uerbis utatur quis. l. 15. §. qui turpibus. ff. de iniurijs.

De concußionis crimine. ff. de concußione.

Si quis rem deteriorem soluerit, uel seruum pignoratum noxæ dederit. l. 7. §. non solùm. & l. 9. §. & si seruum. ff. de dolo malo.

LIBRI SECVNDI FINIS.

PROCESSVS IVDICIALIS LIBER TERTIVS.

Si causa ex qua agitur speciem obligationis non habeat, quæ competat actio? & rei uindicationis adfinia remedia. Cap. I.



Libris duobus præcedentibus ostensum est, quæ actiones ex ijs causis competant, quæ speciem obligationis uel ex contractu, uel ex maleficio, uel ex quasi cōtractu, uel ex quasi maleficio habeant: necnon quæ ex publicis competant criminibus. Sequitur nunc de ijs causis dicere, quæ speciem obligationis non habent, cùm quis agit cum eo qui nullo iure ei obligatus est, mouet tamen ei de aliqua re controuersiam. Ex quibus sanè causis in rem actiones sunt: ueluti si rem poßideat quis, quam Titius suam esse affirmet, possessor autem dominum eius se esse dicat. Nam si Titius suam esse intendat, in rem actio est. §. 1. Instit. de actionibus. Planè is qui destinauit rem petere (inquit Caius iurisconsultus) animaduertere debet, an aliquo interdicto poßit nancisci posses-

ſionem: quia lõngè commodius eſt ipſum poßidere & aduerſarium ad onera petitoris compellere, quàm alio poßidente petere. l. is qui deſinauit. ff. de rei uindicatione. Interdicta *autem ad hanc rem utilia ſunt adipiſcendæ quidem poſſeßionis interdictum, quorum bonorum: item* Saluianum. Retinendæ *autem poſſeßionis interdictum uti poßidetis & utrubi,* Recuperandæ *deniq; interdictum unde ui. §. ſequens diuiſio. cum ſequentibus.* Inſtit. *de interdictis.* Porrò *qui non ex aliqua obligatione agit, petit rem aut iure dominij, aut quaſi dominij acquiſiti uel gentium uel ciuili iure. §. ſingulorum.* Inſtit. *de rerum diuiſione.* Si *ergo ex dominio ſuo iure gentiũ ſiue iure ciuili acquiſito agatur: rei uindicatio competit. l. 23. in princ. ff. de rei uindic.*

Si *ex quaſi dominio res petatur, publiciana in rem actio eſt.* Quaſi *autem dominium eſt, ſi actor rem à non domino bona fide comparauit, & nondum uſucepit: quo caſu amiſſa poſſeßione publicianam in rem habet actionem: in qua omnia eadem erunt obſeruanda, quæ & in rei uindicatione. l. 7. §. in publiciana. ff. de publiciana in rem.* Planè *ſi dominiũ nobis ex cauſa hæreditaria contigerit, utputa cùm alicui hæredes uel ex teſtamento, uel ab inteſtato exiſtimus, petitio hæreditatis competit: cuius adfinia*

remedia

remedia uide uide paulò inferius cap. 2.

Sin autem iure legati uel fideicōmißi res petatur, legati & fideicommißi actio est, cuius adfinia remedia, uide suprà lib. 1. cap. 16.

Planè interdum res nec dominij, nec quasi dominij iure uindicatur: sed ex alia causa, utputa ex causa hypothecaria: cùm res nobis pignori obligata est: quo casu actio hypothecaria in rem nobis competit, cuius adfinia remedia uide infrà cap. 3. Item si quis agrum quem à municipibus cōduxit, uel emphyteuticarium uindicare uelit, potest. ff. si ager uectigalis, id est emphyteuticarius uindicetur. Sed & plurimum refert ad genus actionis, in huiusmodi causis quæ speciem obligationis non habent, imò in omnibus causis noscendum, animaduertere quæ res petatur: nam si res incorporales, ut iura, seruitutes, & usufructus petantur, longè aliæ sunt actiones: item si liberum hominem, liberos nostros, &c. uindicemus, de quibus in sequentibus capitibus infrà.

Quæcunq; alijs iuncta siue adiecta accessionis loco cedunt: ea quamdiu cohærent, dominus uindicare non potest: sed ad exhibendum agere potest ut separentur, & separata uindicentur. Planè si statuæ suæ ferruminatione iunctū brachium sit: nec uindicari, nec ad exhibendum agi

potest, sed in huiusmodi casibus, in quibus neq; uindicatio, neq; ad exhibendum actio locum habet: in factum actio necessaria est. l. 23. §. item quæcunq;. ff. de rei uindicatione.

Si tignum alienũ ædibus iunctum sit, nec uindicari, nec ad exhibendum agi potest: nisi aduersus eum qui sciens alienum ædibus suis iunxit: sed de tigno iuncto actio est. l. 23. §. tignum. ff. de rei uindicatione. de qua ff. de tigno iuncto. item l. 6. ff. ad exhibendum.

Quæ religiosis adhærent, religiosa quoq; sunt, & idcirco nec lapides inædificati, postquàm remoti sunt, uindicari possunt: sed per in factum actionem petitori subuenitur, ut is qui hoc fecerit restituere eos compellatur. l. 43. ff. de rei uindicatione.

Si quis in suo solo aliena materia ædificauerit, dominus materiæ de tigno iũcto habet actionem. l. 7. §. cùm in suo. ff. de acquir. rerũ domi.

Si quis rei alienæ suam rem ita adiecerit, ut pars eius fieret: ueluti si quis statuæ alienæ brachium, aut pedem suum adiecerit, aut scypho ansam, aut in charta aliena scripserit, aut in tabula aliena pinxerit: dominus rei principalis, accessorij quoq; dominus fit: sed si rem suam dominus cum accessorio uindicauerit, preciũ accessorij exceptione seruari potest. l. 23. §. 1. ff.

de rei

de rei uindicatione.

Si quid quod eiusdem naturæ est ita confusum atq; commistum sit, ut deduci & separari non poßit: utputa meum & tuum argentum in massam redactum est: erit nobis commune, & unusquisq; pro rata portione, quam in massa habet, uindicabit: item communi diuidundo agi potest: item furti & ad exhibendum actione tenetur, qui dolo malo confundendum id argentum curauit. Alia ratio est, si res diuersæ materiæ & naturæ commisceantur. l. 3. §. final. cum ll. sequentibus. ff. de rei uindicatione.

Ea quæ ui fluminis in fundum alienum importata sunt, condici possunt. l. 4. §. fi. ff. si certum petatur. item ad exhibendum agi potest. l. 5. §. sed & si ratis. ff. ad exhibendum.

Si stercus meum in aream tuam congeßi, ut tollam: per ad exhibendum actionem consequi possum. l. 5. §. item Celsus. ff. ad exhibendum.

Si glans ex arbore mea in fundum tuum ceciderit, ad exhibendum actio, & interdictum de glande legenda competit. l. 9. §. glans. ff. ad exhibendum. & l. 1. ff. de glande legenda.

Si thesaurus meus in tuo fundo sit. l. 15. ff. ad exhibendum.

Si res aliena uendita sit, dominus etiam pre-

cium negociorum gestorum actione uenditori condicere potest.l.3.C.de rei uindicat.

Si is qui res tuas tenebat, eas commodauit, aut deposuit, pactusq; est ut tibi restituantur: etiam utilis commodati & depositi actio tibi datur.l.8.C.ad exhibend.

Si cùm seruus aliquid teneret, inscio domino dolo malo poßidere desijt, uel furti uel doli mali noxalis actio est.l.16.ff.ad exhibendum.

Si nummis alienis quid emptum sit, dominus nũmorum rem emptam mãdati uel negociorum gestorum actione condicere potest.l.8.C.de rei uindicatione. uindicare sanè non potest.l.ad probationem.§.fi.C.de probationib.

Si seruus alienus bona fide ab alio possessus hominem ex peculio cõparauit, homo emptus possessori condici potest à domino serui: sed & ex empto habet actionem dominus. Item nũmos peculiares uindicare potest, si extant.l.31.§.1.ff.si certum petatur.& l.24.§.1.ff.de actionib. empti & uenditi.

Si uendita re emptor preciũ non soluat: precium condici potest, non res uindicari.l.12.C.de rei uindicatione.

Fructus à malæ fidei possessore consumpti, condici possunt.l.3.C.de condictione ex le.

Si fundi possessor ante litem contestatã dolo

malo

malo fundum poßidere desiit & deceßit: hæres eius in rem quidem actione non tenetur, sed in factum actione. l. 52. ff. de rei uindicatione.

Si quis cùm non poßideret, liti se obtulit: rei uindicatione tenetur. Planè *si ideò se obtulit, ut alius qui rem poßidet eam usucaperet: etiam de dolo actio est. l. 25. cum ll. sequent. ff. de rei uindicatione. & l. 39. ff. de dolo malo.*

Si res deterior restituta sit: etiam l. Aquiliæ actio est. l. 13. 14. 23. §. si homo. ff. de rei uindicatione. item l. 7. C. ad exhibendum. & l. 17. ff. ad exhibendum.

Si seruum uerberatũ restituit: etiam iniuriarum actio est. l. 15. in prim. ff. de rei uindicat.

Si hæreditario iure agatur. Caput II.

SI *hæreditario iure agatur, & hæreditas petatur: petitio hæreditatis est, de qua ff. & C. de petitione hæreditatis.*

Pro adipiscenda poſſeßione bonorum hæreditariorum, competit interdictum quorum bonorum. ff. & C. quorum bonorum. Item *remedia C. de edicto diui* Hadriani *tollendo.*

Si bonorum poſſeßio prætoria petatur, posſessoria hæreditatis petitio est. ff. de poſſeſſoria hæreditatis petitione.

Si fideicommissaria hæreditas sit, datur fideicommissaria hæreditatis petitio. ff. de fideicommiss. hæredit. petit.

Patronus ab eo cui libertus hæreditatem in fraudẽ alienauit: eam Caluisiana repetit. l. 16. §. idem scribit. ff. de petitione hæreditat.

Si possessor precia rerum quas distraxit, ex causa fideicommißi soluit: agi cum eo potest, ut suas actiones præstet: itẽ res per in rem actionem possunt uindicari. l. 16. §. fin. ff. de petitione hæreditatis.

Pro rebus pignori datis, etiam actio hypothecaria contra possessorem hæreditatis datur. l. 19. in prin. ff. de petitione hæreditatis.

Pro rebus quas defunctus à non domino accepit, nec usucepit: etiã Publiciana in rem actio est. l. 19. in prin. ff. de petitione hæreditatis. Planè si hæres usucapionem impleuit: non petitio hæreditatis, sed rei uindicatio illi cõpetit. l. 19. §. quòd si pro emptore. ff. de petit. hæred.

Seruitutes hæreditatis petitione peti nõ possunt, sed de ijs confessoria actione agi potest. l. 19. §. fin. ff. de petitione hæreditatis.

Si pars hæreditatis ab altero qui totã hæreditatẽ poßidet, petatur, siquidem actor hæres negetur: petitio hæreditatis est. sin uerò hæreditatis cõtrouersia ei non fiat, sed pars pro diuiso peta-

so petatur: familiæ erciscundæ iudicium est. l. 1. §. proinde. & l. 7. ff. si pars hæreditatis petatur.

Si quis hæredis ex parte instituti, & uiuo testatore defuncti portionem hæreditatis administrauit, & pecunias distractis rebus acceperit: negociorum gestorum actione tenetur. Planè si se hæredem defuncti contenderit, asseratq; defunctũ hæredem ex parte extitisse: etiam petitio hæreditatis est. l. fin. ff. si pars hæredit. pet.

Si possessor hæreditatis seruum hæreditariũ occiderit, etiam l. Aquiliæ actio est. l. 36. §. si possessor. ff. de petitione hæreditatis.

Si iure hypothecario res petatur.
Caput III.

SI rem sibi pignori obligatam petat quis, actio hypothecaria in rem competit.

Planè liberum est creditori, utrum personali actione ad debitum, an hypothecaria ad pignus agere uelit. l. 14. & l. 24. C. de pignoribus. item l. fin. C. de obligationibus.

Si conuenit ut non soluto intra certum tempus debito, creditor possessionem pignoris propria authoritate occupet: an ui huius pacti creditor sine actione hypothecaria & sine iudicis authoritate possit possessionem adipisci? l. 3. C. de pignoribus.

Si conuenit

Si conuenit, ut creditor de pensionibus ædiũ iure pignoris creditum recipiat: etiam utiles actiones aduersus inquilinos creditor accipiet, exemplo cautionis, quam debitor creditori pignori dedit. l. 20. ff. de pignoribus.

Si res pignori data, creditori subrepta sit: furti agere potest. l. 26. C. de pignoribus.

Si colonus in fundum quid pignoris nomine induxit, de eo competit interdictũ Saluianum. ff. & C. de Saluiano interdicto.

Si in fundum communem duorum, pignora sunt ab aliquo inuecta: possessor uincet, & erit eis descendendum ad Seruianum interdictum. l. fin. ff. de Saluiano interdicto.

Si de seruitutibus prædiorum contentio sit. Cap. IIII.

SVprà in principio libri primi dictum est in actionis genere inuestigando potißimum genus causæ, ex qua agitur inspiciendum: item rem quæ in actione deducitur, & finem in quem agitur: necnon legem ex qua agitur. Hactenus ergo per causarum genera genus actionis competens, quoad fieri potuit, ostensum est. Sequitur, ut quæ pro genere et qualitate rei quæ petitur, & de qua controuertitur, actio competat ostendamus. Nec enim pro re corporali & incorporali eadem datur actio: sed de rebus incorpora-

corporalibus, utputa de iure aliquo, de seruitutibus & usufructu, actio in rem confessoria & negatoria competit. Nam si inter duos de seruitute uel usufructu contentio sit: & alter dicat ius sibi esse, puta eundi, agẽdi, aquámue ducẽdi, item utendi, fruendi: alter neget: actori affirmanti quidem confessoria, neganti uerò Negatoria in rem actio cõpetit. §. æquè si agat quis. Inst. de actionib. & l. 2. in prin. ff. si seruitus uindic.

Si emit quis seruitutem, & possideat: actionem & exceptionem habet. l. 16. ff. si seruitus uindicetur.

Si quis debita seruitute uti prohibeatur, etiã interdictum uti possidetis habet. l. 8. §. penult. ff. si seruitus uindicetur.

Si quis uiam uel iter reficere me non patiatur, competit etiam interdictum de itinere actuq; priuato reficiendo. l. 4. §. si quis mihi. ff. si seruitus uindicetur.

Si is cuius familia seruitute uti me prohibet, secum agendi potestatem non faciat: actor causa cognita, in possessionem bonorum aduersarij est mittendus. l. 18. ff. d. tit.

Si uenditor in uenditione dixisset: ædes quas uenderet seruas fore, sed in traditione non fecerit mentionem seruitutis: uel ex uendito, uel incerti condictione, ut seruitus imponatur, agi

potest.

potest. l. 35. ff. de seruitut. urba. præd. & l. 6. §. si in uenditione. ff. communia prædiorum.

Si usufructuarius à uicino ire agere prohibeatur, quasi eum non patiatur uti frui agit, & usumfructum uindicat. l. 1. in prin. & l. 5. §. utrum autem. ff. si ususfructus petatur.

Sed ad finia remedia huius actionis confessoriæ etiam uide suprà lib. 2. cap. 4.

Si quis altius ædificet, uel ædificādo luminib. uicini officiat: etiam quod ui aut clàm interdictum, item operis noui nunciatio & iactus lapilli locum habet. l. 6. §. 1. ff. si seruitus uindic. & l. 15. §. fin. ff. de seruit. urba. præd.

Si secundum cuius parietem uicinus sterquilinium fecerit, ex quo paries madescebat: si in loco publico fecit, interdictum ne quid in loco uel itinere publico &c. competit: sin in loco priuato, agere de seruitute negatoria debet. Planè si damni infecti stipulatus est, potest ex ea stipulatione agere. l. 17. §. fin. ff. si seruitus uindicetur.

Si per locum publicū riuus aquæductus priuato nocebit: priuato actio est ex 12. tabul. ut de damno ei caueatur. l. 5. ff. ne quid in loco publico &c.

Si fistulæ per quas aquam ducit, ædibus meis applicatæ, damnum mihi dent: in factum actio

mibi

mihi competit, & damni infecti.l.18.ff. de seruitutib.urbano.

Si foramen in imo pariete conclauis uel triclinij proluendi pauimenti causa habeat,& ex eo uicinus damnum sentiat: damni infecti actio est.l.28.l.29.ff.de seruitutib.urban.præ.

Si in re communi socius quid faciat:communi diuidundo iudicium est.l.26.ff.de seruit. urba. prædio.

Si uenditor in uenditione dixerit,ædes Titio seruas fore,et alij quàm Titio seruitutem earum concesserit: ex empto actio est.l.6.§.fin. ff.communia prædio.

Si de usufructu contentio sit. Caput V.

SI de usufructu contentio sit,similiter actio in rem uel confessoria uel negatoria competit,ut dictum est in capite præcedenti.

Si partis fundi usufructus constituatur,potest de eo in rem agi,siue uindicet quis usumfructũ, siue alij neget. l.5.§. si patris. ff.si usus fructus petatur.

Si usufructuarius qui in possessione fundi est uti frui prohibeatur,uel expellatur:etiam unde ui interdictum habet.l.3.§.unde ui interdictum. ff.de ui & ui armata.

Area

Si usufructuarius damnum in re dederit. l. Aquilia tenetur. Item quod ui aut clàm interdicto. Item ex cautione, qua se boni uiri arbitratu usurum fruiturum promisit. Idem dicendum si furtum in ea re commisit. l. 13. §. de præteritis. & l. 15. §. & generaliter. ff. de usufructu & quemadmodum.

De reliquis rebus quæ petitæ genus actionis uariant: item de lege ex qua agitur. Cap. VI.

INcidit & de alijs rebus non corporalibus sæpe controuersia, de qua alia atq; alia cõpetit actio: de qua re licet uidere suprà cap. 4. & 5. lib. 2. Sed et de libertate, ingenuitate, & filiatione aliquãdo solet esse cõtentio. De *libertate, si quæratur utrũ quis liber an seruus sit: quo casu liberalis causa est, de qua ff. de liberali causa.* De *ingenuitate, si quæratur utrũ quis ingenuus an libertinus: quo casu actio datur, de qua ff. si liber. ing. esse dicatur.* De *filiatione solet esse cõtrouersia, si quis alicuius filius esse dicatur uel negetur: de qua re est actio de partu agnoscendo, de qua ff. de agnoscendis & alendis liberis: & de inspici. uentre: item actio. ff. de uentre in possessionem mittendo: & ff. de edicto Carboniano.* A*ctiones de dictis tribus reb. præiudicia*

les sunt in rem. §. præiudiciales. Inst. de actionibus. Liberi qui sunt in potestate nostræ rei uindicatione non petuntur: sed petuntur aut præiudicijs, aut interdictis, aut cognitione prætoris. Planè si quis adiecta causa liberos uindicet, utputa filium suum in potestate ex iure Romano: rectè uindicet. l. 1. §. 1. ff. de rei uindicatione. Petuntur ergo liberi etiam interdicto de liberis exhibendis & ducendis. ff. de liber. exhibendis.

Si à nullo detineantur liberi, sed in potestate sua eos quis dicat esse: officium iudicis est. l. 3. §. hoc autem interd. ff. de liberis exhibendis & ducendis.

Si liber homo ab aliquo detineatur, peti potest per interdictũ. ff. de libero homine exhib. item l. 13. ff. ad exhibendum. item competit l. fauia de plagiarijs.

Si dubitetur utrum liber an seruus sit qui detinetur, liberalis causa est. l. 3. §. planè si dubitet. ff. de libero homine exhibendo.

Creditori ad latitantem debitorem exhibendum, hoc interdictum non datur: sed ex edicto prætoris in bona latitantis debitoris mittitur. l. 4. §. finali. ff. de libero homine exhibendo.

Si uxor à parentibus detineatur, maritus de uxore exhibenda & ducenda agere potest. l.

test. l. 2. ff. de liberis exhibendis. item l. 3. C. eod. tit.

Si demum res quæ petitur, alij iuncta sit, & accessionis loco cedat: alia atque alia competit actio: de quo uide suprà cap. 1. lib. cod.

Si item de re communi controuersia sit, familiæ erciscundæ uel communi diuidundo iudicium est: de quibus suprà lib. 1.

Si de finibus controuersia sit, finium regundorum actio est: de qua suprà lib. 1.

Si deniq; rei dominium petatur, petitorium: sin rei saltem possessio, possessorium iudicium dicitur.

Porrò lex quoq; ex qua agitur, peculiare actionis genus constituit: utputa si quidem ex edicto prætoris agatur, prætoria uel honoraria dicitur actio: sin uerò ex alijs legibus actio intendatur, ciuilis est actio.

Si ex noua lege agatur, competit condictio ex lege: de qua ff. & C. de condict. ex lege.

Planè quoties lex noua obligationem introducit, nisi nominatim cauerit, ut sola ea actione utamur: etiã ueteres actiones eo nomine competunt l. 40. in prin. ff. de oblig. & actionibus.

Si nouum ius uel iudex aduersus aliquem statuit, uel litigator aduersus aduersarium suum

impetrauit: actio ex eo iure, licet iniquo, aduersus iudicem statuentem & aduersus imperantem, à quocunq; intentari potest, ex edicto ff. quod quisq; iuris.

Quomodo ex fine in quem agitur, genus actionis cognoscendum sit? & de actionibus ad edendum & exhibendum. Cap. VII.

VArij sunt actionum fines: nam agimus, ut nobis aliquid detur uel fiat, ut res nobis restituatur, ut in possessionem mittamur, ut id quod gestum est rescindatur, & in integrũ restituamur, ut res redhibeatur, ut liberemur, ut res diuidatur et separetur, ut edatur, ut exhibeatur, ut nobis caueatur, ut aduersarius nos ire, agere, uti, frui, uel qd aliud agere patiatur, ut tollere et auferre permittat, ne nobis uim faciat, neq; nos molestet, et ne nos diffamet &c. Si ergo ad dandum quid uel faciendum agatur, condictio: si ad restituendum, uindicatio datur. §. sic itaq; discretis, cum sequentibus. Instit. de actionibus. Planè pro genere causæ genus quoq; actionis ad dandum uel faciendum & restituendũ quid uariatur: de qua re satis superq; in superioribus dictũ est. Sanè aut ad rei proprieta-

prietatem, aut ad possessionem restituendam agitur: illo casu petitorium, hoc possessorium iudicium appellatur. Ergo si ut possessionem mittamur agimus, iudicium possessorium est: & siquidem legatorum nomine quis possessionem mitti desideret: datur actio ff. et C. ut in possessione legatorum uel &c.

Si uerò mulier prægnans uentris nomine desideret mitti, datur actio ff. de uentre in possessionem mitten. &c.

Si quis quòd sibi damni infecti nomine non caueatur, in possessionem earum rerũ quæ damnum minantur mitti desideret: datur actio ex edicto prætoris. l. 7. ff. de damno infecto.

Si impubes filius defuncti negetur, uice bonorum possessionis in possessionem mittitur, ex edicto Carboniano. ff. de edicto Carboniano.

Si ad rescindendum, & in integrum restituendum, id quod gestum est agatur, quæ competat actio uide suprà lib. 1. cap. 24. cum sequentibus, usq; ad finem libri.

Si ad redhibendum agatur, competit actio redhibitoria: cuius adfine remedium est ex empto & quanto minoris actio: de qua uide ff. de ædilitio edicto. item suprà lib. 1. cap. 8.

Si ad liberandum agatur, siquidem per uim promissum sit: quod ui metus causa actio est. l. 9.

§.sed etsi per uim. ff. quod metus causa. Si dolo malo promissum sit: cōdictio cōpetit. l. 7. & 8. ff. de doli mali & metus except. Si liberatio legata sit: ex testamento actio est, de qua ff. de liberatione legata. Si iureiurando promissum sit: ad relaxationem iuramenti agitur, ex iure Canonico.

Si ad diuidendum agatur, siquidem ut diuidatur hæreditas: familiæ erciscundæ actio est. sin ut alia res communis, communi diuidundo est iu dicium.

Si ut fines agrorum constituantur, finium regundorum actio est.

Si ut res mea alienæ iuncta separetur, ad exhibendū actio est: de qua re uide suprà ca. 1. li. eo.

Si creditores separationem bonorum defuncti petant: datur actio. ff. de separationibus.

Actio ad edēda

Si ad edenda instrumenta, libellum &c. agatur: datur actio. ff. & C. de edendo. Quid sit edere, est. l. 1. §. edere. & l. 6. §. edi autem. ff. de edendo. Planè procurator mandati, socius actione pro socio, tutor tutelæ actione ad res rationesq; edendas tenetur. l. 9. in prin. ff. de edendo. Si quis tabulas testamenti, uel alias ad testamentum pertinentes, edi sibi desideret: interdictum de tabulis exhibendis competit: item edictum ff. testamenta quemadmodum aperiantur, inspi-

inspiciantur & describãtur. Si quis testamentum supprimit, etiam l. Cornelia de falsis competit. item de dolo actio. l. 9. §. item si tabulæ. ff. de dolo malo.

Si testator dum uiuit, tabulas suas esse dicat, & exhiberi sibi desideret: ad exhibendum actio est. l. 3. §. si ipse testator. ff. de tabulis exhibendis.

Si ad exhibendum agatur: actio ff. & C. ad exhibendum datur. Quid sit exhibere, uide l. 2. ff. ad exhibendum. item l. 3. §. quid sit exhibere. ff. de tabulis exhibẽdis. item l. 22. & l. 246. ff. de uerbor. significa. Actio ad exhibendum.

Si de tabulis exhibendis agatur, interdictũ de tabulis exhibendis competit. l. 3. §. si quis extra. ff. ad exhibendum. uide paulò superius: Si aduersarius instrumenta ad ius tuus pertinentia inuasit, etiam criminaliter agi potest. l. 6. C. ad exhib. Si seruus uxoris meæ rationes meas in quadam charta conscripsit, quam tu poßides: in factum actio est. l. 3. §. interdum. ff. ad exhibendum. Interdum si ad exhibendum agi non potest, in factum actio est. l. 3. §. interdum. ff. ad exhibendum. Si rem deteriorem exhibeat, in factum actio est. l. 7. C. ad exhibendum. Si hominem debilitatum & luscatum exhibeat, legis Aquiliæ actio est. l. 17. ff.

ad exhibendum. Reliqua huius actionis adfinia remedia uide suprà cap. 1. lib. eodem.

Si ad cauendum agatur, siquidem de damno infecto: damni infecti actio est, de qua uide suprà lib. 2. cap. 6. Sin uerò legatorũ seruandorũ nomine, datur actio ff. ut legatorum seu fidecõmissorum causa caueatur. & C. ut in possessionem legatorum &c. Planè omnibus bonæ fidei iudicijs, cùm nondum dies præstandæ pecuniæ uenit, ad interponendum cautionem agi potest. l. in omnibus. ff. de iudicijs.

Si agatur ad præstandam patientiam eundi, agendi, utendi, fruẽdi, uel quid aliud faciendi: itẽ ne nobis uis fiat, ne molestemur, turbemur: ne aliquid aliud aduersarius faciat, competit actio confessoria & negatoria in rem: item interdictum uti possidetis & utrubi: de qua re uide copiosius suprà lib. 2. cap. 4. & cap. 5. item libro hoc tertio, cap. 4. & cap. 5.

Si ut tollere & auferre permittat, agatur: ad exhibendum actio competit. l. 5. §. item Celsus scribit. & l. Iulianus. §. glans ex arbore. & l. 15. ff. ad exhibendum. Interdum de dolo actio est. l. 16. §. fin. ff. de præscriptis uerbis. item l. 34. ff. de dolo malo.

Si ne nos diffamet, agatur: competit actio ex l. diffamari. C. de inge. manumissis.

Quibus modis actio alia in aliam commutetur? Cap. VIII.

SEd quæ actio pro uarietate causæ, rei, finis & legis cõpetat, hucusq; demõstratum est. Euenit autẽ nõ raro, ut actio quæ cõpetit, in aliã cõmutatur, et sic cõpetere desinat, alia in locũ eius subrogata: quod & ipsum in actionis genere inuestigãdo attendendũ est. Actio ergo alia in aliam cõmutatur per stipulationẽ contractui interuenientẽ, per literas, per nouationem, per trãsactionẽ, per cõpromissum, per sententiã iudicis, per iusiurãdũ, deniq; per cõfeßionem debiti. Per stipulationẽ contractui interpositã, mutatur actio: utputa cùm mutuã dantes pecuniam, eandem reddi stipulamur. l. 126. §. superest. ff. de uer. oblig. Sanè omni pacto & cõtractui interponi potest stipulatio, id de quo cõuenit ita rectè dari, fieri: uel nisi ita datum factum'ue erit, pœnæ nomine aliquid puta centũ dari. §. cõuentionales. de diui. stip. Quibus casib. ex stipulatu actio cõpetit. l. 4. C. de rer. permu. item l. 7. §. quod fere. & l. 10. §. si pacto. ff. de pactis. item l. petens. C. de pactis. Planè si pœnæ stipulatio pacto uel contractui subiecta sit, et ad pœnã ex stipulatu, & ex principali contractu agi potest. l. 14. C. de pact. & l. 10. §. si pacto. ff. de pac. itẽ l. 122. §. flauius. ff. de uerb. obli. itẽ l. 41.

& l. 71. in prin. ff. pro socio. Præterea per literas cõmutatur condictio mutui uel ex stipulatu, in condictionẽ ex literis: cùm quis debere se scripserit, quod sibi numeratũ non esse postea dicit. Inst. de liter. oblig. Per nouationẽ quoq; prior obligatio & actio tollitur, & siquidẽ stipulatio nouationi interuenit: ex stipulatu actio. sin uerò non interuenit, actio de constituta pecunia nascitur. §. de cõstituta. Inst. de act. Ex trãsactione quoq; noua nascitur actio uteri sublata: nam si stipulatio interuenit, actio ex stipulatu: sin minus, præscriptis uerbis actio oritur. l. 6. itẽ l. 17. & l. 28. C. de transact. Planè si aduersa pars fidẽ placitis præstare detrectet, prior etiã actio redditur. l. si aduersa pars. C. de trãsac. & l. instituta. ff. de inof. test. & l. cùm proponas. ff. de pact. Si compromissum de causa sit à litigatoribus, & laudũ latum: tũc si quidẽ in cõpromisso pœna inserta est: non nisi pœna peti potest. l. 2. ff. de receptis arbitr. & Nouell. const. 82. § quoniã uerò. Sin autẽ pœna in cõpromisso nulla est adiecta: mutile est cõpromissum, nec inde ulla datur actio. Nouel. const. 82. §. quoniã uerò. Planè iure antiquo, in hoc postremo casu quo pœna omissa est, siquidẽ iuratũ sit, ut sententiæ arbitri stetur, uel sententiæ à partibus subscriptum sit, uel sentẽtia silẽtio roborata: incerti uel in factũ

actio,

actio, uel cōdictio ex lege, uel utilis actio in rem datur. l. 4. cum seq. C. de recep. arb. & l. 27. §. fi. ff. eod. tit. sin autem prædictorum nullum sit factum, & altera pars sententiam arbitri recusat, nec actio, nec exceptio hinc nascitur. l. 5. §. altera autem. C. de receptis arbitris.

Si de causa actū & iudicatum est, actio principalis transit in actionē iudicati, necnon in rei iudicatæ exceptionē. l. 16. §. si pluris. ff. de pign. Item si iudicatū solui stipulatio præcessit: ex stipulatu. ff. iudicatū solui, agi potest. Sed & cōpetens uidetur actio. ff. si quis ius dic. nō obt. item executionis remediū. Planè creditor cui per sententiam hypotheca adiudicata est, etiam hypothecaria actione agere potest. l. 16. §. creditor. ff. de pignoribus.

Si delato uel relato in causa iureiurādo iuratum sit: iurisiurandi tam actio quàm exceptio in factum nascitur. l. 8. C. de iureiuran. & l. 30. in prin. ff. eo. tit. item §. item si quis postulante. Inst. de actionibus.

Si deniq; confessus debitum sit aduersarius, datur ex ista confeßione in eum actio, quasi ex contractu eius obligationis pro qua pulsabatur. l. 11. §. qui interrogatus. ff. de interrogat. sed & confessus pro iudicato habetur. ff. & C. de confeßis.

De reliquis aduocatorum circa actionem officijs. Cap. IX.

ABsolui tãdem rationem eius, quod inter aduocati officia, circa actionem praecipua primũ collocauerã, hoc est, actionem causae suae cõpetentem inuestigare. Hoc tamen praetereundum non est, quòd saepe pro una re, eademq; causa, plures cõpetãt actiones: quo casu prudentis est aduocati, uidere an poßit, & expediat omnibus simul experiri: & si omnes cumulare uel non poßit, uel non prosit, eligere ex omnibus unam, qua securius experiri poßit, & rem citius cõsequi. Sed & in aliam actionem multò plus uenit quàm in aliam: cuius quoq; ratio est habenda. At ista nisi actionũ competentiũ natura (quod inter aduocati officia secũdo loco posui) cognita prius fuerit, perspici rectè nequeunt. Parùm sanè prodest scire, quae sit actio cõpetẽs: nisi postea etiã sciatur, quae qualisq; sit actionis cõpetentis natura & proprietas. Proinde non minori cura hoc quã illud inquirendũ erit: imò boni aduocati est, ius actionis & naturam multò antequã causa sibi oblata est, habuisse perspectã: nec tũc demum iuris regularis cognitionẽ quaerere, cùm doctor iuris iamdudũ salutatus, de iure causae consulitur. Planè natura cuiuslibet actionis in suis titulis Pandectarũ &

Codicis

Codicis,per ſingulas eius circunſtãtias accuratè eſt deſcripta: nam omnis ferè lex & conſtitutio quæ de actione aliqua lata eſt,definit:aut ius ſeu legem,ex qua actio iſta introducta eſt:aut cauſas,ex quibus cõpetat,uel non cõpetat:aut quibus detur,uel non detur:aut aduerſus quos:aut apud quem iudicem:aut an,& per quem procuratorem:aut quid in eam ueniat,petendum:aut quæ ſint in ea actoris,rei,necnon & iudicis officia:aut quando & quandiu cõpetat(quæ omnia uulgò nunc actionis requiſita uocantur)aut deniq; qui ſint eius actionis effectus,necnõ quæ adfinia remedia. Quo circũſtantiarum ordine in legendis legibus,& actionis natura cognoſcenda obſeruato,legibusq; iuxta iſtum ordinẽ diſpoſitis,& ſub ſuam circunſtantiam,de qua cauent ſingulis collocatis:iuris cognitio multo facilior,ſimul & perfectior nobis contingit, quàm ſi totum Cõmentariorum pelagus expiſcãdo iure peragremus. Sed de hac ratione perdiſcendi iuris,& naturæ actionis inquirendæ, infrà lib.6.paulò copioſius diſſeram.

Porrò actionis genere, necnon iure probè perſpecto,hoc quod tertium eſſe dixi,aduocato curæ erit:ut ſcilicet cauſæ circũſtãtias,earumq; qualitates penitus cognoſcat. Sed & omniũ primα hæc cura eſſe debet:quoniam ne genus quidem actio-

dem actionis, quod pro uarietate causæ uariatur, quod sit cõpetens, rectè nisi prius intellecta causa, potest intelligi. Si tamen actionis competentis naturam & requisita probè perspexerit aduocatus, multò melius perfectiusq; de causa inquiret, scilicet non de pertinẽtib. sed de causæ requisitis: utrum nimirũ ei ea insint omnia quæ in ea ius requirit, ut ex ea cõpetat actio. Inquiret ergo de singulis causæ circũstantijs & earũ qualitatibus: scilicet quis qualisq; fecerit, cõtraxerit, uel deliquerit: item cum quo, & aduersus quem, ex qua causa, quomodo, de uel in qua re, quo loco, quo tẽpore, quibus præsentibus, quæ antecesserint, quæ in actu contigerint, quæ sint secuta: nec solùm an de iure causa subsistat, sed etiam an et quibus probationibus de facto probari poßit indagãdum. Sed & ultra hæc inquiret de persona actioris, utrum talis sit, qualem actionis natura desiderat: inquiret idem de persona rei conuenti, procuratoris & iudicis: item de re petenda uel petita: & de actionis tempore. Nam de his omnibus pro actionis natura & qualitate, aduocatus siue acturus sit, siue excepturus, diligenter inquiret. Nam istæ inquisitiones, necessariæ sunt ad excipiendũ, ad replicandum, ad duplicandum, &c. ut infrà ostendam: nec solùm reus, sed & actor antequàm suam a-

ctionē ordiatur, diligenter indagare debet quid contra se excipi, & contra exceptionem replicari poßit, ut sciat utrum actio proposita propter exceptionem sit omittēda, ne & se & aduersarium suum multis inanibus uexet sumptibus: an uerò propter replicationem qua excéptio poßit elidi, persequenda: ut sic in omnem euentum sit præparatus. Planè præter prædicta, unum adhuc superest non uile nec negligendum aduocatis officium, in formanda scilicet actione, & exceptione, replicatione & duplicatione, &c. de quo infrà lib. 6. cap. 7. & 9.

Sed hæc quæ hucusq; in tribus libris exposita sunt, & si reo et eius aduocato cognitu maximè sunt necessaria: tamen ad informandum actorem & eius aduocatum principaliter à me sunt scripta: ad reum ergo, cuius quàm actoris partes in omni iure fauorabiliores sunt, informandum trāseo de exceptionibus tractaturus: quāquam & in illis multa, quæ actori quoq; ad replicandum & ad triplicandum, quæ excipiendi species sunt, erunt necessaria, explicabuntur.

FINIS LIBRI TERTII
ET PRIMAE PARTIS.

Practicæ Foren/
ſis pars ſecunda.

De Exceptionibus, Repli=
cationibus, Duplicatio=
nibus, & Tripli=
cationibus.

ILLVSTRISSIMO PRINcipi Gulielmo Landtgrauio Haßiæ, Comiti in Catzenellenbogen, &c. Philippi illustrißimi Hessorum principis filio, domino suo clementißimo,

NICOLAVS VIGELIVS S. D.



T in palęstra (Gulielme princeps illustrissime) non semper is qui uiribus præualet, impare͂ uiribus uincit: neq; in bellis, exercitus numerosior minus numerosum: ita quoquè in iudicijs, interdum is qui iustam habet causam, succumbit: uincit is, qui habet iniustam. Non sufficit in monomachijs certantis robur, neq; in bellis militum multitudo, neq; in disceptationibus forensibus causa iusta, ad uictoriam ob-

tinendam:arte insuper est opus,& decertandi defendendiq́ scientia. Sæpe litigator in foro causa uel iustissima cadit,ob hoc solùm,quòd uel is, uel aduocatus eius, agendi excipiendiq́ arte fuerit destitutus. Multos hodie uidemus in foro causas agere,qui neq; agendi,neq; excipiendi ratione rectè norunt:non actionis,neque exceptionis genus intelligentes,neque naturam eius tenentes,neq; obseruantes statum, in quo causa & controuersia consistit.Cùm uniuscuiusque orationis unus status principalis esse debeat, illi tot orationis status faciũt,quot solent esse narrationis uerba,eosq́ uocant articulos: in una eademq́ simplici causa articulos innumeros ferè, eosq́ ociosos,& ad rem non pertinentes congerũt, defendunt, impugnant. Proinde sæpe neglecto statu principali,rixantur de lana caprina. Vnde fit, ut post multas di-

tas diſputationes,imò rixas mulie=
bres, minus de cauſa iudicare iu=
dex poſsit,quàm ſi idiotarũ quis ei
cauſam expoſuiſſet. Si ergo quan=
doque pro iuſta cauſa contra iniu=
ſtam pronunciatur, id caſu magis
quàm certa ratiõe quis dixerit eue=
nire.Sine ratione cauſa agitur,ſine
ratione ſententia fertur: irrationa=
biles diſputationes ſunt,irrationa=
bilis ſententia eſt:ſæpe cauſa non
bona,bonum ſortitur euentũ,non
mala malum. Sunt & alia incom=
moda,quæ rebuſpub.ex iſta diſce=
ptandi imperitia accidunt. Perpe=
tuantur & multiplicãtur exinde li=
tes,quo rebuſp.nihil poteſt accide=
re pernicioſius. Cùm omnis con=
trouerſia intra triennium,iuxta le=
ges,finiri debeat:litigatur nunc de
una eademq́ue cauſa decem,uiginti,
triginta,nonnunquam quadragin=
ta annis:hinc creſcit quotidie litiũ
numerus,replentur litibus omnia

tribunalia. Hoc malum non ex natura causarum, neque ex iure Romano prouenit: sed ex eorum qui causas agunt, uicio atque imperitia. Ars facilitatem facit, non difficultatem: nulla boni & æqui ars iure Romano potest excogitari melior, nulla ad expediendas lites commodior. Leges quoque controuersias intra triennium concludi non præciperent, si intra tanti temporis spacium finiri non possent. Ipsi aduocati suis innumeris articulis, & inutilibus disputationibus causas suspendunt, litesque perpetuant, ueram agendi excipiendique uiã ignorantes. Quare cùm & priuatim & publicè utile sit, rectam agendi excipiendique rationem scire: ignorare autem, inutile: de ratione excipiendi cùm ex ueterum Iurisconsultorum, tum ex Rhetorum præceptis contexui secundam Practicæ meæ partem, tres libros cõtinentem, qui

tem,qui ſi non optimam,meliorem tamẽ,quàm qua hodie uulgus aduocatorũ utitur, excipiendi uiam monſtrant.Ille ſiquidem mos,quo nunc paſsim in iudicijs utuntur,& ueteribus Iuriſconſultis fuit incognitus,& à rhetorum præceptis abhorret. Ratione autem excipiendi rectè cognita,agendi & iudicãdi ratio erit cognitu facilior,Qui enim excipere ſciet,aget melius,& iudicabit rectius. Hanc autem ſecundam de Exceptionibus partẽ,qualemcunq; tibi GVLIELME, princeps illuſtriſsime,dedico:exiſtimãs Rebuſpub. ualdè expedire, uiros principes rerum forenſium, iuris legumq́; aliquã habere notitiam. Duarum enim rerum potiſsimùm ſcientiam principes habere debẽt: Rei uidelicet militaris,& iuris uel æquitatis.Nam duo ſunt præcipuè principum officia:primum, Rempublicam ſeu ditionem ſibi à Deo

commiſſam ab iniuria atq; incurſu hoſtium defendere: alterũ, ciuium uel ſubditorum concordiam fouere & conſeruare. Pax enim ciuium, & tranquillitas, in qua uniuerſa rerumpub. ſalus continetur, perturbatur aut ab exterorũ hoſtium incurſu, aut ab inteſtinis diſcordijs. Ad uim quidẽ hoſtium infringendam, opus eſt Rei militaris ſcientia: ad ciuium uerò uel ſubditorum diſcordias comprimẽdas, concordiamq; fouendã, ualet ſcientia iuris & legum. Non enim tam ui atq; crudelitate, quàm arte & induſtria hoſtes profligantur. Propterea ueteres Romani, ad uictoriam obtinendam, non minus in ſcientia & uirtute ducum, quàm in multitudine militum, crediderũt ſitum eſſe. Ciuium quoq; concordia fouetur, ſi æquo iure inter ſe ciues uiuant, ſi neuter ab altero lædatur, ſi ſuum cuiq; tribuatur: quæ quomodo para-

dopara-

do parari ac curari debeant, Iura præſcribunt, leges docent. Nihil enim aliud leges ſunt, quàm regendorum ſubditorum conſilia: præſcribentes unicuiq; quod eum facere conuenit, malos pœnis coërcentes, bonos præmijs allicientes, quò æquo iure & concordes inter ſe ciues uel ſubditi uiuant. Tu autem GVLIELME, Princeps illuſtriſsime, utranque ſcientiam, tam rei bellicæ, quàm iuris adipiſcendi occaſiones, & facultates ſummas habes. Habes patrem rei militaris peritiſsimum, qui non tam ui atq; crudelitate, quàm arte atque induſtria ſæpe fudit atq; fugauit hoſtes, uictorias multas reportauit, non quidem cruentas, at præclaras tamen: ſubditis ſe non crudelem, ſed æquum præbet: non perſonarum, ſed æquitatis reſpectũ habens: non adfectus regnare patitur, ſed rationem. Proinde diligunt illum ſub-

diti,admirãtur illum exteri,metuunt illum hoſtes. Has tantas patris uirtutes te filiũ imitari conuenit,ut & patriæ ſalutem conſeruare,& tibi ſolidam gloriam parare poſsis. Vidimus ſuperiori tempore,in bello pro ſalute patriæ ſuſcepto,ſigna in te paternæ uirtutis, fortitudinis atq; induſtriæ. Vnde ſummam nos ſubditi cõcepimus ſpem,filium patri fore ſimilem. Plurimùm ualet ad res præclarè gerendas eruditio: plurimùm ualet & ad rei militaris, & ad iuris ſcientiam adipiſcẽdam, aliarum artium liberalium (ut uocant) cognitio: eſtq; perquàm difficile, eum qui literarum omnino expers eſt, ad res præclarè gerendas ſatis idoneum eſſe. Commendata mihi tum ab aliis,tum à præceptore quondam tuo,cõterraneo meo, M. Nicolao Rodingo potiſſimùm tua eruditio eſt. Cùm itaq; præclariſsimarum ſcientiarum fundamen-

damenta ieceris, cùm eximia natura præditus sis, cùm domesticum ad res præclarè gerēdas exemplum habeas imitandum: maximè tibi laborandum erit, ne spem omnium optimam de te conceptam fallas, neq; committas ut occasiones tam commodas pœnitentia sequatur. Spero tibi & hos meos libros ad iuris cognitionē, iudicandiq; & ęquitatis in causis subditorum statuendæ scientiā profuturos. Non enim aduocatis tantùm ad excipiēdum, sed iudicibus quoquè ad iudicandum, eos utiles fore spero. Hūc igitur meum laborem, hocq; meum munus, rogo æqui boniq; consulas. Vale. Dreisæ, III Calend. Aprilis, Anno
M. D. LV.

PRACTICAE FORENSIS LIBER QVARTVS.

De ratione & utilitate exceptionum. Caput I.



Ota ciuium concordia in his duntaxat consistit, si ius suum cuiq; tribuatur, si neuter ab altero lædatur, & sic in rebus causisq; ciuiũ æqualitas conseruetur. Harum rerum *gratia creantur magistratus, feruntur leges, ordinantur iudicia, legum deniq; actiones exercentur. Quoties ergo quis se ab altero læsum esse dicit, uel sibi aliquid ab altero deberi, datur ei à legibus actio aduersus eum, à quo se læsum, uel sibi aliquid deberi dicit: qua id quod sibi debetur, in iudicio persequi potest. Verùm ne passim & sine discrimine quisq; pro animi sui libidine actionem intenderet, magisq; calumniandi quàm ius suum persequẽdi animo alter alterum litibus uexaret: certa solennisq; agendi forma est præscripta, exceptionesq; sunt introductæ, quibus se reus conuẽtus aduersus iniquam actoris pe-*

ris petitionẽ poßit tueri: quibus sanè exceptioni bus cognoscendis & examinandis, iudex æquus instar Alexãdri Magni, alterã aurem integram seruabit. Neq; enim semper ut in pignore credi tor, ita quoq; in iudicio litigator, prior tempo re, potior est iure. Itaq;, quoties nobis ab aliquo de fortunis nostris, de fama, de libertate, de ca pite deniq; & uita mouetur controuersia: idq́; iniustè & contra solennem actionis uel accusa tionis formam, naturam'ue: toties ad ea defen denda, grauesq́; & periculosos aduersarij ictus excipiendos, & uitandos, ope exceptionum no bis est opus. Nam cùm duo sint decertandi ge nera, unum per uim, alterum per disceptatio nem: quod in uiolento certamine præstant no bis arma, id in disceptationibus forensibus præ stant nobis exceptiones. Non ergo credendum est, minoris esse artis excipere, quàm agere: imò quãto difficilius est curare quàm infligere uul nus, tãto excipere quàm agere, defendere quàm accusare, maioris est artis. Quod quidem cùm Ciceronis & Quintiliani, magnorum uirorum autoritate probatur: tum ipsa quotidiana rei experientia docet. Ingredere forum & tribu nalia, quicunque de hoc dubitas: uidebis quàm mirè aduocati in excipiendo ac defendendo, in replicando item et duplicando sudent: hoc cre-

dentes,

dentes, illud non credentes: aliud oppugnantes, aliud concedentes. Nunc *cedunt, nunc resistunt: nunc exceptiones exhibent, nunc additionales et superadditionales dant: nunc subsistunt, nunc properant curiosi: trepidantes, perturbati, semper ueriti, ne sit ad uictoriam satis probatum: multa non necessaria sæpe adducunt, necessaria non rarò prætermittentes.* Hinc *unius causæ tot acta & actitata, articuli innumeri, & ad rem non pertinentes.* Hinc *causæ per se dilucidæ obscuritas ingens, litium incertitudo & immortalitas.* Hinc *exhauriuntur litigantium loculi: ut interdum illis emisse rem, quàm per sententiam iudicis acquisiisse, præstaret.* Quæ *res facit, ut &* Iuri*sconsulti, & ius ipsum* Romanum, *quo reuera nihil est admirabilius, hodie contemptui paßim habeantur.* Hac *re motus, conscripsi secundã* Practicæ *meæ partẽ, de ratione excipiendi, sub qua replicandi duplicandi &c. ratio continetur exceptionũ genera, cum quibusdã subiectis speciebus explicans, rationemq́; tam inueniendarum quàm formandarũ exceptionum præscribens: sperans ea, qualiacunque sint, uiam excipiendi certiorẽ & commodiorem monstratura.*

Quid sit exceptio. Cap. II.

REctè monent ij qui dicunt, in omni disputatione & oratione rem, de qua dicturi sumus, prius esse definiendã. Quid enim apud eum dicendo uel disputando efficias, qui quid ea res sit ignorat? In primis ergo exceptionis definitio nobis est cognoscenda. Exceptionem *autẽ sic definit* Paulus Iurisconsultus: *Exceptio (inquiens) est conditio, quæ modò eximit reum damnatione, modò minuit damnationem.* Exceptio.

[a] *Conditio hoc loco est, utputa,* Si non metus *causa promissum sit:* Si pecunia numerata *sit: nisi aliter inter nos actum sit, &c.* Est *ergo conditio, quæ effertur plerunq; per* Si, *uel* Nisi: *adiectaq; propositioni categoricæ seu simplici, facit eam conditionalẽ appellari.* Vt *propositio simplex uel categorica est, si dicas,* Fides *promissis est præstanda: adde conditionem hanc,* Si *non metus causa promissum sit: iam dicitur propositio conditionalis, uel hypothetica.* Planè *interdum conditio effertur per* Quando & Donec, *aliasq; particulas: item per ablatiuos absolutè sumptos: ut,* Quando *magistratus est à* Deo *ordinatus, minister* Dei *est.* Item, Donec *eris fœlix, multos numerabis amicos.* Sed *hæ atq; huiusmodi aliæ particulæ, uim habent particulæ*

a l. exceptio est. ff. de exceptionib. præscription.

Conditio.

Si. Hæc

si. Hæc mihi uidetur propria hoc loco conditionis definitio, ſeu ſignificatio: quanquam alij dicunt, eam pro iuris qualitate neſcio qua, ſumi. Conditio *autem ferè omnis in facto conſiſtit, & tripertitam recipit diuiſionem: ut quid detur, ut quid fiat, ut quid obtingat uel retro,* Ne *detur,* Ne *fiat,* Ne *obtingat.* [b] *Pendetq; aut ex conſenſu & uoluntate contrahentium, aut ex autoritate iuris.* Conditiones *inſuper partim uerbis legis ſunt expreſſæ, partim tacitè legibus inſunt, atq; interpretatione legum iuſta eruendæ.* Non *enim poſſunt (inquit* Iulianus*) omnes articuli ſingulatim aut legibus aut* Senatuſcõſultis *comprehẽdi.* [c] *Proinde non tam uerba quàm mens legum eſt conſideranda.* Fraus *enim legi fit (inquit* Vlpianus*) ubi id fit quod fieri noluit, fieri autem non uetuit.* [d] Non *dubium eſt (inquiunt* Impp. Theodoſius *&* Valentinus*) in legem committere eum, qui uerba legis amplexus, contra legis nititur uoluntatem: nec pœnas legibus inſertas euitabit, qui ſe contra iuris ſententiam, ſæua prærogatiua uerborum fraudulenter excuſat.* [e] Eſt *ergo exceptio, cõditio, qua ius ſummum corrigitur, atq; ad æquitatem reuocatur.* Inquit Prætor Romanus: Pacta, *ſi neq; dolo malo, neq; aduerſus leges facta erunt, ſeruabo.* Iam *ſi quis cum aliquo de re aliqua parum honeſta, uel con-*

b l. in facto conſiſtent. ff. de conditionibus & demon.

c l. non poſſunt. ff. de legibus & ſenatuſconſultis.

d l. fraus enim ff. de legibus.

e l. non dubium. C. de legibus & conſtitut.

uel contra leges pactus sit, actionemq; ex edicto Prætoris, quo se pacta seruaturum promittit, intendat, potest se reus conuetus defendere, hac conditione adiecta: Si non aduersus leges pactum factum sit. Proinde eximitur damnatione: minuitur autē damnatio, si non ad solidum præstandū potest condemnari reus. Porrò hæc exceptionis definitio propria est & specialis, ijs tantum exceptionibus cōueniens, quas inferius Distinctionis exceptiones dico. Abusiuè autem exceptio dicitur, omne id quod reus allegat uel interponit, ad excludendam actionem. Proinde exceptiones quoq; dicuntur, cùm reus à causa ad actionem litem transfert, dicitq;, non huic, non cum hoc, non apud hunc, nō per hunc, non hoc tempore licere agere. Quæ omnia non ad causam ipsam pertinēt, sed ad actionis formam: dicunturq; quæstiones actionis uel translationis apud Rhetores, ad quas (inquit Quintilianus) confugiunt, qui factum neq; negant, neque defendunt. Exceptionis ergo appellatione continetur omne id, quod reus conuentus actori opponit, ad excludendam actionem, siue perimendam, siue differendam, & siue in causis ciuilibus siue in criminalibus hoc fiat. Quin & replicationes, duplicationes, triplicationes, exceptionis uocabulo comprehenduntur. Et ferè quic-

quid in hoc opere de exceptionibus dicetur, de illis quoq; erit intelligendum.

Quot sint exceptionum genera.

Caput III.

IAm ergo explicata exceptionis definitione, uideamus quot & quæ sint eius genera. Ho*rum mihi uidentur tot esse, quot sunt actionis circumstantiæ.* Nam *omnis qui excipit, dicit actionem uel non ex hac causa, ex qua agitur, competere: uel non huic qui agit, uel non cum hoc, uel non per hunc, uel non apud hunc, uel non hoc loco, uel non hoc tempore, uel non hoc modo, uel deniq; non in tantum tale'ue, quantum quale'ue petitur.* Hæ *autē sunt actionis circumstantiæ.* Nam *est causa, ex qua agitur: sunt personæ quatuor,* A*ctoris, rei conuenti, procuratoris, & iudicis: est res quæ in actionē uenit: est locus, & tempus, quo agitur: est deniq; agendi modus.* Nouē *ergo cùm sint actionis circumstantiæ, totidem erunt quoq; exceptionum genera.* Quid *ergo? Si dicat reus conuentus:* Non *hac lege, actione'ue esse agendū, sed alia, nónne uidetur esse exceptio? & si uidetur, plura quàm nouem uidentur esse exceptionum genera?* Re*spondeo, esse quidem exceptionis genus, non tamen singulare, sed quod cum cæteris concurrit, & alia prædicta sub se comprehendit.* Nam *qui*

dicit,

dicit, Non hac lege, uel non hoc iudicio agendum esse: ex aliqua prædictarum circumstantiarum uidetur excipere: utputa qui dicit, Actione de peculio filij nomine, non certi condictione se teneri, cupit ut non in solidum, sed in id quod in peculio filij est, condemnetur. Sic qui ciuiliter, non criminaliter secum agendum esse dicit, pœnam minui desiderat: & proinde non tantum in actionē uenire ait, quantum actor petit. Ex his constare arbitror, nouem esse exceptionum genera, & non plura. Omnis enim exceptio sumitur uel ex actionis causa, uel ex persona actoris, uel ex persona rei conuenti, uel ex persona procuratoris, uel ex persona iudicis, uel ex loco actionis, uel ex tempore, uel ex modo, uel denique ex re petita, seu in iudicium deducta. Omnium autem exceptionum eæ quidem quæ ex actionis causa ducuntur, & frequentiores sunt, & præstantiores: cæteræ autem rariores, & minus efficaces: hisq; ferè utimur, si illas habere non possumus. Peremptoriæ quoq; omnes sunt, quæ ex actionis causa sumuntur: cæteræ uerò dilatoriæ propémodum omnes. De illis ergo prius tractandū nobis est: postea de cæteris.

Primum exceptionum genus, quod ex actionis causa sumitur.

Caput IIII.

SCiendum itaque est, causam actionis esse, propter quam actor sibi aliquid dari uel fieri à reo conuento, autoritate iuris intendit. Vt quia fortè reus conuentus actori stipulanti aliquid se daturum promisit, intendit ex hac stipulatione actionem actor ad præstandam promißis fidem, aut ad id quod interest soluendũ. Item, *si fortè reus conuentus adulterium cum uxore actoris commisit, accusat maritus reum adulterũ ex lege* Iulia *de* Adulterijs *coërcendis, ad subeundam pœnam legibus determinatam.* Generaliter, *omnis qui agit, agit aut cum eo qui ei obligatus est uel ex contractu, uel ex maleficio: quo casu proditæ sunt actiones in personam: aut agit cum eo qui nullo iure ei obligatus est, mouet tamen alicui de aliqua re controuersiam: quo casu proditæ actiones in rem sunt.*[a] *Quarum causarum & actionum species omnes in præcedenti parte sunt enumeratæ.* Omnis *autem actionis causa in facto consistit, propter quod reus conuentus, actori aliquid ex iure aliquo debere dicitur.* Reus *ergo conuentus ex causa actionis excipiẽs, aut negat factum hoc, aut negat ius illud, quo intentio actoris nititur,*

a §. omnium autem. instit. de actionib.

titur, aut demum distinguit. Hoc est quod Dialectici solent dicere, Omnem argumentationem solui aut negando eo quod propositum est, aut multiplici distinguendo. Quo autem res fiat dilucidior, fingamus Seium à Titio emisse rem aliquam certo precio, atque ideo Seium aduersus Titium uenditorem ad rem uenditam sibi præstandam intendere actionem. Titius igitur reus aut negat factum, hoc est uenditionem factam esse: aut negat ius, quod tamen in hoc casu negari non potest (ius enim æquissimum est, Rem uenditam emptori à uenditore præstandã esse) aut deniq; distinguit seu corrigit ius illud, quo utitur aduersarius hoc modo: Nisi precium non sit solutum. Nam precio non soluto, non tenetur ad rem præstandam emptori uenditor.[b] Sed potest uideri & alia ratione ex causa actionis excipi: utputa, usus est quidam re aliena, quod quidem inuito rei domino fecit, putauit tamen se uolente domino facere. Intenditur aduersus eum Furti actio ex iure Romano sic: Furtum quadruplo est puniendũ. Sed tu furtum fecisti: Ergo quadruplo puniri debes, seu quadruplũ soluere. In hac causa reus negat minorem, hoc est, Furtum se fecisse. Non enim factum suum, quia se putauit uolente domino re aliena uti, furtum esse ait. Proinde neq; factum negat, quòd uide-

b l. Iulianus libro.6. offerri. ff. de actionib. empti & uenditi.

licet usus sit re aliena: neque ius, quòd scilicet quadruplum soluere debeat: neque item, ut prima fronte uidetur, distinguit. Sed qui huiusmodi exceptionis genere utitur, reuera distinguit, etiamsi prima fronte non appareat. Finge enim actorem definire furtum, quod utiq; facere debet, si reus factum suum furtum esse negat. Definiat ergo actor hoc modo: Furtum est, cùm quis rem alienam inuito domino cõtrectat. Sed tu rem alienam inuito domino contrectasti: ergo furtum commisisti: & propterea quadruplum reddere debes. Hic certe reus distinguet maiorem propositionẽ, seu corriget ius uel definitionem hoc modo: Nisi putauit se uolente domino re uti. [a] *Hæc ergo, atq; aliæ status definitiui exceptiones, in quibus de definitione quæritur, ad distinctionis exceptiones sunt referendæ. Eo enim ipso quòd corrigitur definitio ab actore posita, ipsum ius emendatur atq; distinguitur. Tria igitur tantùm exceptionum genera, ex causa actionis nascuntur. Primò, exceptiones facti, cùm ipsum factum negatur: & oritur hinc status facti coniecturalis apud Rhetores. Deinde, exceptiones iuris, cùm ipsum ius negatur: quæ dicuntur Defensiones absolutæ, apud Rhetores. Statusq; iuris hinc nascitur. Tertiò, exceptiones Distinctionis: nam sic libet*

[a] l. inter omnes. §. rectè dictum. ff. de furtis. & §. placuit eos. Inst. de obligatio. quæ ex delicto.

eas uocare, cùm neq; factum, neq; ius negatur, sed distinguitur. Hæ (ex quibus status quis sit, nō apparet, nisi ad replicationem actoris procedatur, ut ostendam infrà) dicuntur Defensiones *assumptiuæ à* Rhetoribus. *Quando autem exceptio iuris locum habet, dicitur actio ipso iure non ualere, seu ipso iure tutus esse reus. Quando uerò distinctionis exceptio competit, dicitur reus per exceptionem tutus esse.* Conuenit *enim distinctionis exceptionibus uel solis, definitio* Pauli *superius à me declarata.* Prior *autem cura rei conuenti & aduocati eius esse debet, uidere an factum posit negari.* Ea *enim excipiendi ratio ut frequentissima, ita optima est.* Hac *si uti possumus, non est ut de alijs exceptionibus simus solliciti.* [a] Sed *etsi potest reus conuentus docere, ipso iure non ualere quod agitur:* Non *est opus facti probationibus, sed reus, iuris exceptione tutus est.* Res *ab emptore uindicantem (Impp.* Diocletianus *&* Maximianus *rescribūt) suos numeratos nummos asseuerantem, erga probationem laborare non conuenit: siquidem huiusmodi, licet probetur factum, intentioni tuæ nullum præbet adminiculum. l. ad probationem.* C. de *probationibus.*

[a] L. si quidem. C. de except. & præscript.

De exceptionibus distinctionis.
Caput V.

Quando autē reus conuentus factum neq; negare, neq; ipso iure defendere potest, uidere debet an per exceptionem distinctionis tutus esse poßit. Conuenit autē huius generis exceptionib. propriè definitio Pauli, in initio explicata, nec ijs ius quo usus est aduersarius, in dubium uocatur, sed de causa præsenti disceptatur, eaq; propter aliquam circunstantiam ex iure illo excipitur. Fingamus exempli gratia minorem uigintiquinq; annis, parum prudenter cum aliquo contraxisse: puta rem suam minoris uendidisse, uel aliam pluris emisse. Iam si hæc causa in iudicium deducatur, conueniaturq; minor ex eo contractu ad præstandam placitis fidem, non uocabit in dubium minor ius illud quo nititur actoris intentio: hoc est, placitis fidem seruandam esse. Nec enim id negare poterit ulla ratione. Concesso igitur hoc iure, seu hac thesi, transfert disputationem ad hypothesin & causam præsentem hoc modo: Sed minor uigintiquinq; annis suis placitis fidem seruare non cogitur, de qua re extat titulus ff. de minoribus uigintiquinq; annis. Nituntur autem huiusmodi exceptiones æquitatis rationibus. Est enim iuris ratio duplex: aliud siquidem

quidem ius summũ dicitur, aliud æquum & bonum. Illud græcis dicitur τὸ δίκαιον, *hoc* τὸ ἐπιεικές. *Genere quidem non differunt, hoc tamen illo melius est,* τὸ ἐπιεικὲς *(inquit Aristoteles)* δίκαιον μέν ἐστιν, οὐ τὸ κατὰ τὸν νόμον δὲ, ἀλλ' ἐπανόρθωμα νομίμου δικαίου. [a] *Ius igitur summum summa iniuria est, nisi ab æquitatis rationibus temperetur. Planè ius hoc, ius dicendum non est, sed potius iuris regula, quæ rem quæ est, breuiter enarrat: per regulam enim breuis rerum narratio traditur, & quasi causæ coniectio: quæ simul cum in aliquo uitiata est, perdit officium suum.* [b] *Ius uerum, æquumq́; & bonum, in causa (autore Alfeno) positum est.* [c] *Vt autẽ actoris intentio nititur iure summo: ita exceptiones distinctionis æquo & bono. Cùm autem ius, ut iam dictum est, in causa consistat, causa uerò in personis, temporibus, locis, & alijs circumstãtijs, omnis distinctio ex aliqua causæ facti'ue circumstantia petenda est. Circumstantiæ siquidem aliàs suppeditant probationem facti, aliàs demonstrationem iuris: quoties uidelicet in ipsa controuersia colligitur ex eis ratio ad definiendam eam. Sed hæc quatuor (inquit Claudius Saturninus) consideranda sunt septem modis: causa, persona, loco, tempore, qualitate, quantitate, euentu.* [d] *Sunt autem facti uel causæ circum-*

a lib. 5. ethicor. Nico. cap. 10.

b l. regula est. ff. de reg. iuris

c l. si plagis. §. in cliuo. ff. ad l. aquiliam.

d l. aut facta. ff. de pœnis.

stantiæ hæ potissimum: persona, res, causa, locus, tempus, modus, & instrumentum.

Distinctio ex persona facti.

Caput VI.

PErsona dupliciter consideratur, contrahentis nimirum, & eius cum quo contrahitur: interdum quoq; eius per quem contrahitur, puta procuratoris, tutoris, curatoris, &c. In *personis autem spectatur maximè sexus, ætas, fortuna, conditio, genus, habitus corporis & animi, res gestæ, &c.* Ex *sexu personæ sumitur,* Exceptio *senatusconsulti* Velleiani. *Quæ competit fœminis, quæ pro alijs intercesserunt. nam fœminæ pro alijs intercedere, senatusconsulto* Velleiano *prohibentur.* Itē *aduersus actionem iudicati datur exceptio ex sexu iudicis, si fortè fœmina iudicauit, uel pronunciauit. nam fœminæ moribus impediuntur, ne iudices sint.* [a] *Item aduersus petitionem hæreditatis, qua petitur feudum, opponitur ex sexu exceptio hæc:* Nisi *hæres sit fœminini sexus.* [b] *Sic aduersus replicantem hoc modo,* Nisi *iuris ignorātia prætēdatur, potest duplicari ex sexu personæ ignorantis hoc modo:* Nisi *fœmina sit quæ ius ignorasse dicitur.* Nam *fœminis ius ignorare permissū est, excusanturq; fœminæ tam iuris quàm facti ignorantia.* [c] Ex *contractu aliquo con-*

a l. cum prætor unū. §. non autem. ff. ubi quis agere uel cōueniri debeat.

b §. hoc autē notandū. tit. de ijs qui feudum dare pos sunt. li. 1. feudorum.

c l. regula. §. 1. ff. de iuris & facti ignorantia.

uentus

uentus ex ætate sumitur distinctio, utpula cùm quis dicit se minorem uigintiquinq; annis. Nam minoribus uigintiquinque annis ex contractu conuentis, datur exceptio, qua & hæredes illorum tuti sunt. Sic infans furti actione conuentus, potest se defendere propter ætatem, hoc modo: Nisi infans furtum fecisse dicatur. [a] *Sic impubes propter nuptiarum contractum dotem petens, potest repelli hac exceptione: Nisi minor sit quatuordecim annorū. Nam hic nuptias contrahere nequit.* [b] *Nuptijs autem non consistētibus, nec dotis promißio ualet.* [c] *Minoribus uigintiquinq; annis, quemadmodum & fœminis etiam, ius ignorare est permissum. Proinde aduersus exceptionem ignorantiæ replicantem hoc modo, Nisi ius ignoratum sit: potest repellere minor ex ætate, sumpta duplicatione hac: Nisi minor uigintiquinque annis, ius ignorasse dicatur.* [d] *Ex genere atq; parentibus excipitur, ut si nepos ex filia petat feudum defuncti. Nam tunc ei opponitur exceptio hæc, Nisi ex filia natus sit.* [e] *Sic uaria in iure habent priuilegia decurionum, militum, aliorumq; præclarißimorum liberi, ex quibus eis aduersus agentes, exceptiones competunt.*

Conditio hominū uaria est: secundū hāc olim alij dicebantur serui, alij ingenui, alij libertini: item

a l. impuberem. ff. de furtis.

b §. 1. inst. de nuptijs.

c l. 3. ff. de iure dotium.

d l. regula. §. 1. ff. de iuris & facti ignorantia.

e §. hoc autē notandū. lib. 2 feudorum, de ijs qui feudū dare possunt, &c.

item alij filijfamiliarum, alij patresfamiliarum: quæ hominum differentiæ magnam quidem uarietatem iuris Romani introduxerunt. Sed & hodie filiorumfamiliarum quædam iura locum habent. Nam exceptione senatusconsulti Macedoniani hodie quoq; uti possumus, de qua inferius dicetur. Plurimum & hodie conditio hominum iura uariat. Sic alia ratio est eorum qui in magistratu sunt, alia hominum priuatorum. Non enim (inquit Iulianus) est singulis concedendum, quod per magistratum publicè poßit fieri, ne sit occasio maioris tumultus faciendi. [b] *Sic atrox iniuria æstimatur ex persona: ueluti si magistratus iniuriam passus sit, uel si senatori ab humili persona iniuria facta sit, aut parenti à liberis: aliter enim senatoris & parentis, aliter extranei, & humilis personæ iniuria æstimatur.* [c] *Fortuna hominis excipiendi materiam aliquando præstat: ut si pauper accusationē instituet. Nam tunc repelli potest hac exceptione, Nisi pauper sit. Nam nonnulli propter paupertatē accusare prohibentur, inquit Vlpianus: ut sunt, qui minus quàm quinquaginta aureos habent.* [d] *Sic egeni testimonium non facilè recipitur,* [e] *& fideiußio eius reijcitur.* [f] *Corporis quoq; habitus non rarò excipiendi materiam præbet: utputa si quis dicatur uale-tudina-*

b l. non est singulis. ff. de regul. iuris.

c §. atrox iniuria. instit. de iniurijs.

d l. nonnulli. ff. de accusat. & inscriptionibus.

e l. 3. §. 1. ff. de testib.

f l. 2. §. 1. ff. qui satis dare cogantur.

tudinarius, cæcus, mutus, surdus, furiosus, &c. Idem quoq; de animi habitu & rebus gestis dicendum est. Nam *alia ratio est eorum qui bene de* Repub. *meriti sunt, alia eorum quorum nullum erga rempub. bene meritum extat.* Maiore *item pœna afficiendi sunt, qui antea aliquoties in delictis & criminibus deprehensi, tractati sunt clementius.* [d] Ex *hisce ergo alijsq; personarum locis sæpenumero exceptiones sumuntur.* Nec enim *parum refert, quis qualis'ue sit is qui quid fecisse, uel aduersus quem aliquid factum esse dicitur.*

d l. capitalium pœnarũ. §. solent quidem, ff. de pœnis.

De exceptione senatusconsulti Macedoniani. Caput VII.

EX *persona facti sumitur exceptio senatuscõsulti* Macedoniani: *ueluti si quis mutui uel certi condictione conuentus, dicat filiofamiliâs mutuã datam pecuniam esse, propterea se nihil debere, uel actionem actori non dari.* Et *est sanè æquißima hæc exceptio.* Cùm *enim sit iuris præceptum præcipuum, ut neminem lædamus: maximè peccare uidentur ij, qui inconsultæ iuuentuti in potestate parentũ constitutæ pecunias credunt: maximè enim lædunt, mores iuuenum corrumpentes, & delinquendi materiam præstantes.* Proinde *in odium illorum qui tam peßimè lædunt aliorum non dico fortunas, neq;*

uas, neq; corpus, sed animum, præstantißimam hominis partē, meritò introducta est exceptio hæc, qua creditores à petitione eius quod perperàm crediderunt, excluduntur: & sic ius crediti, propter personā eius cui crediderunt, amittunt. [a] *Dicuntur autem filijfamiliarum ij, qui sunt in potestate, uel pane (ut uulgò dicunt) parentum.* [b] *Sed plurimum interest, utrum creditor eum qui mutuum accepit, sciuerit filiumfamiliâs esse, an uerò ignorauerit.* Nam *exceptio hæc nulli obstat, nisi ei qui sciret, aut scire potuisset, filiumfamiliâs eum esse, cui credebat:* [c] *Proinde si quis patremfamiliâs eum esse crediderit, non uana simplicitate deceptus, nec iuris ignorantia: sed quia publicè paterfamiliâs plerisq; uidebatur, sic agebat, sic contrahebat, sic muneribus fungebatur, cessat exceptio.* [d] *Vnde siue pupillus, siue minor uigintiquinq; annis filiofamiliâs crediderit pecuniam, cessat senatusconsultum.* [e] *Nihil autem interest, siue priuatus, siue ciuitas filiofamiliâs crediderit.* Nam *in ciuitate senatusconsultum quoq; locum habet,* [f] *Quid tamen si filiusfamiliâs filiofamiliâs pecuniam crediderit? Senatusconsultū cessat.* [g] *Nihil autem refert, etiamsi in dignitate positus sit is cui creditum est.* [h] *Miles sanè filiusfamiliâs si pecuniam mutuā accipiat, exceptio hæc locum non ha-*

a l. 1 §. 1. ff. de senatusc. Macedoniano.
b §. 1. inst. de his qui sui uel alieni iuris sunt.
c l. penult. ff. de senat. Macedon.
d l. si quis patremfa. §. 1. ff. eod. & l. 1. & 2. C. eod.
e l. si quis patremfa §. 1. ff. eod. & l. regula est. §. hac ratione. ff. de iuris & facti ignorantia.
f l. nihil interest. ff. de senatusconsc. Maced.
g l. si quis patremfa. §. 1. ff. de senatusc. Maced.
h l. 1. §. fin. ff. eod.

tion habet.[a] *Idem dicitur, etsi ei creditũ sit, qui castrense habet peculium. Nam in huius quoq; persona cessat senatusconsultum, usq; ad quantitatem peculij.*[b] *Cuius autem sexus sit ea persona cui creditũ est, nihil refert. Nam etsi filiæfamiliâs mutua data sit pecunia, exceptio locũ habet.*[c] *Idem est etsi non ei qui in patris, sed ei qui in aui uel proaui potestate est, creditum est. Quod senatusconsulti auxilium (inquit Imp. Philippus) licet filijfamiliâs meminit, & ad nepotes & pronepotes porrigitur.*[d] *Planè si pendeat, an sit in potestate filius (utputa quoniam patrem apud hostes habet) in pendenti est, an in senatusconsultum sit commissum. Nam si in potestatem reciderit, senatusconsulto locus est: sin minus, cessat. interim igitur deneganda actio est.*[e] *Plurimum item interest, in quam causam filiusfamiliâs pecuniã mutuam acceperit & impenderit. Nam si in necessarias causas acceperit, et in eas res quæ patris oneribus incumbũt, exceptioni locus non est.*[f] *Proinde etsi in id acceperit pecuniã, ut eam pro sorore in dotem daret, pater cõuentus exceptionẽ opponere nõ potest.*[g] *Si accepit pecuniã (inquit Vlpianus) & eam in rem patris uertit, cessat senatusconsultũ. Patri enim, nõ sibi accepit, sed etsi ab initio nõ sic accepit, uerùm postea in rem patris uertit,* cessare

a l. fin. §. ff. C. eod.

b l. 1. §. fin. & l. 2. ff. eod.

c l. sed si pater fam. §. hoc senatusconsu. ff. eod.

d l. si filiusfa. C. eod.

e l. 1. §. si pendent. ff. eod.

f l. 2. & l. Macedon. C. eo. & l. in pupillo. §. fin. ff. de solutionib. & lib.

g l. si filiusfa. ff. de senatusc. Macedoniano.

cessare senatusconsultum Iulianus ait: intelligendumq; esse ab initio sic accepisse, ut in rem patris uerteret. Non tamen uertisse uidebitur, si mutuam pecuniam acceptam patri in debitum proprium soluit: & ideo si pater ignorauit, adhuc senatusconsulto locus erit. [a] *Planè si mutuã pecuniam acceperit ut se liberaret ab eo, qui, si peteret, exceptione non submoueretur, senatusconsulti cessabit exceptio.* [b] *Sed si ornamenta dicat se ea pecunia comparasse, nihilominus senatusconsulto locus est.* [c] *Quinimò etsi in necessarias res pecuniam mutuam accipiat filiusfamiliâs, probabilem tamen modum in mutuando excedere non debet: nempe eam quantitatem, quam pater solebat subministrare.* [d] *Sanè si iussu patris mutuum datum probetur, nec in quẽ usum uersa sit pecunia disquiri necesse est, sed perpetua in patrem, etiam mortuo filio, est actio.* [e] *Sed etsi iusserit pater filio credi, deinde ignorante creditore mutauerit uoluntatem, senatusconsulto locus non erit: quoniam initium contractus spectandum est.* [f] *Iußisse autem & uelle uidetur pater, si filium merci suæ præposuit, uel mercem peculiarẽ exercere passus est: nam si scit eum negociari, etiam hoc permisisse uidetur, si non nominatim prohibuit mutuum accipere.* [g] *Consensisse item uidetur, si uoluntate eius*

a l.itẽ si filius fam.§.proinde si accepit pecuniam. ff.eod.

b l.item si filiusfam.§.penult.ff.eod.

c l.sed si paterfam §.hoc senatusconsf. ff.eod.

d l.item si filiusfa §.quod dicitur.ff.eo.

e l.Macedoniani.§.fin.C.eod.

f l.si tamẽ scienti.ff.eod.

g l.item si filiusfam.§.interdũ tamen.ff.eod.

te eius fideiussores pro filio intercesserũt. [a] Ad *hæc Iulianus inquit: Filiũ habeo, & ex eo nepotem: nepoti meo creditum est iussu patris eius: quæsitum est, an contra senatuscõsultum fieret? dixi, iussum huius patris nõ efficere, quo minus contra senatusconsultum creditum existimaretur, cùm ipse in ea causa esset, ut pecuniam mutuam inuito patre suo accipere nõ posset.* [b] *Sed etsi pater neq; iussit, neq; consensit ab initio, si tamen contractum postea ratum habuit, perinde obseruatur, atq; si ab initio cõsensisset.* [c] *Ratum autem habere uidetur, etsi literis à filio de soluenda pecunia numerata acceptis, non continuò testationem contrariæ uoluntatis interposuit.* [d] *Idem dicendum est, etsi cœperit soluere, quod mutuum sumpsit filius.* [e] *Idem quoq; dicendum, si is qui filiusfamiliás pecuniam mutuam accepit, paterfamiliás factus obligationẽ nouauit,* [f] *uel pignus dedit,* [g] *uel partem soluit,* [h] *uel quoquo modo debitum agnouit.* [i] *Planè si per ignorantiam facti nouatione facta eam pecuniam expromiserit, si petatur ex ea stipulatione, in factum excipiendum erit.* [k] *Porrò non solùm si numerata pecunia mutua data sit, exceptio senatusconsulti Macedoniani locum habet: sed & si alia res in fraudem senatusconsulti, utputa si frumentum uel uinum mutuum datum*

a l. sed si paterfamil. §. sed si non donandi. ff. eodem.

b l. filium habeo. ff. eo.

c l. si filiusfamil. §. 1. ff. eo.

d l. si filiusfamil. ff. eo.

e l. item si filiusfam. §. si filiusfa. ff. eod.

f l. 2. C. eo.

g l. sed si paterfa. §. 1. ff. eo.

h l. item si filiusfa. §. fi. ff. e.

i l. 2. C. eo.

k l. fi. C. eo.

a l.item si filiusfa. mutui dationē. ff. eo.

b l.item si filiusfam. §. sue autem. ff. eod.

c l. si quis patremfamil. §. is autē solus. ff. eod.

d l. item si filiusfamil. §. 1. ff. eo.

sit, ut his distractis uteretur pecunia. [a] Siue itē sub usuris mutua data sit pecunia, siue sine usuris, nihil interest. [b] Sanè pertinet hoc senatusconsultum tantùm ad cōtractum mutui. Nam is solus (inquit Vlpianus) senatusconsultum offendit, qui mutuam pecuniam filiofamiliàs dedit, non qui aliàs contraxit: puta uendidit, locauit, uel alio modo cōtraxit. nam pecuniæ datio perniciosa parentibus eorum uisa est. Ideo etsi in creditum abij filiofamiliàs uel ex causa emptionis, uel ex alio contractu, in quo pecuniam non numeraui, & stipulatus sum, licet cœperit esse mutua pecunia: tamen quia pecuniæ numeratio non concurrit, cessat senatusconsidtum. Origo enim potius obligationis, quàm titulus actionis est considerandus: quod tamen ita demum erit dicendum, si non fraus senatusconsulto sit cogitata: ut qui credere non potuit, magis ei uenderet, ut ille rei preciū haberet in mutui uicē. [c] Idem dicēdum est, si filiusfamiliàs pro alio fideiusserit. nam regulariter cessat senatusconsultū. Sed si color quæsitus sit, ut filiusfamiliàs, qui mutuum accepturus erat, fideiuberet alio reo dato: fraus senatusconsulto facta nocet. & datur exceptio tam fideiussori filiofamil. quàm reo principali. [d] Si item quod alij mutuū dedimus, à filiofamiliàs nouandi causa stipulamur, non est im-

est impedimento senatusconsultum. [a] *Ad hæc si à filiofamiliâs (inquit Vlpianus) stipulatus sum, & patrifamiliâs facto crediderim, debet dici cessare senatusconsultum: quia mutua pecunia iam patrifamiliâs data est: quia quod uulgò dicitur filiofamiliâs credi non licere, non ad uerba, sed ad numerationem referendum est.* [b] *Nihil autem interest, utrum pecunia filiofamiliâs mutua data consumpta sit, nec'ne.* [c] *Licet item opposita exceptione hac condemnatus est filius uel pater, nihilominus tamen adhuc exceptione utentur.* [d] *Sanè non ut pecunia mutua accepta, potest hac exceptione retineri: ita quoq; soluta, potest condictione repeti: quia filius & pater ob pœnam creditoris liberantur. qui autem ob pœnam creditorum actione liberantur, quòd eos exonerare lex uoluit, solutum non repetunt.* [e] *Si tamen filiusfamiliâs soluerit, patri nũmos uindicanti nulla obijcietur exceptio: sed si nummi à creditore fuerint consumpti, cõdictio cessat.* [f] *Per errorem autem soluti contra senatusconsultum crediti, cessat repetitio.* [g] *Cùm tamen à curatore per ignorantiam solutum est, repeti potest.* [h] *Si tamen filiusfamiliâs ab alio sibi donatam pecuniam soluerit: tunc siquidem hac cõditione ei donata sit, ut creditori solueret, uidetur à donatore profecta*

a l. si quod alij. ff. eo.

b l. si quis patremfam. §. fin. ff. eo.

c l. si patrē fam. §. hoc senatusc. ff. eod.

d l. tamen & si oppo. ff. eo.

e l. sed si patremfami. §. fi. ff. eo.

f l. si filiusfamil. ff. si certũ petatur.

g ibidem.

h l. cum tamen. ff. de senatuscon. Macedonian.

protinus ad creditorem, & fiunt nūmi accipientis: si uerò simpliciter ei donauit, condictio patri ex omni euentu competit. [a]

a l. si paterfamil §. si ab alio. ff. eod.

Sed hactenus enumeratæ sunt causæ, ex quibus exceptio senatuscōsulti Macedoniani *competat, & ex quibus non competat. Sequitur ut dispiciamus, quibus ea exceptio detur, & aduersus quos.* Sciendū *itaque est, quòd tam filio patrifamiliâs facto, quàm patri eius detur: item hæredibus illorum.* [b] *necnon & fideiussoribus & mandatoribus, nisi donandi animo intercesserint. tūc enim, cùm nullū regressum habeant, exceptione uti non possunt.* [c] Reus *quoq; promittendi hac exceptione tutus est, si fortè duos reos acceperit creditor, filiumfamiliâs &* Titium, *cùm ad filiumfamiliâs esset pecunia peruentura: ideo tamen reum* Titium *acceperit, ne quasi fideiussor auxilio senatusconsulti uteretur.* [d] Idem *dicendum est, si duos reos ambos filiosfamiliarum acceperit, quorum alterum putauit patremfamiliâs. nam si ad eum peruenerit pecunia, quem sciuit filiumfamiliâs esse, exceptione submouetur: sin autem ad eum peruenit, quem filiumfamiliâs esse ignorat, non submouetur.* [e] Præterea *si filiusfamiliâs institor pecuniam mutuam acceperit, ipse quidem institor exceptione, si conueniatur, utetur: sed instito-*

b l. 1. §. 1. & l. item si filius. §. quanquam autem. ff. eo.

c l. sed si paterfa. §. non solum. ff. eo.

d l. item si filiusfa. §. itē ait si duos. ff. eo.

e d. l. item si filiusfa. §. item si duos. ff. eo.

institoria actio aduersus eum qui præposuit, competet. [a] *Non solùm autem aduersus creditorem datur hæc exceptio, sed & aduersus successores eius. Proinde etsi alius pecuniam mutuam dedit, alius stipulatus est: dabitur aduersus eum exceptio, licet hic non dederit. Sed etsi alteruter eorum ignorauit in patris esse potestate eum qui mutuum accepit, dicendum est, utrique alterius scientiam nocere. Idem est in duobus reis stipulandi.* [b] *Sit ergo nobis exceptio senatusconsulti Macedoniani hoc modo descripta.*

a l.item si filiusfa.§.interdum tamen. ff.eo.

b d.l.item si filiusfa.§.non solum.ff.eo.

Distinctio ex re circa quam factum est. Cap. VIII.

Rerum quoq; uarietas, iuris uarietatem introducit. Rerum autem aliæ sunt diuini iuris, aliæ humani. Diuini iuris sunt res sacræ, religiosæ, sanctæ: ut sunt muri & portæ. hæ quidẽ in nullius bonis sunt. Humani uerò iuris res, sunt aut publicæ, aut priuatæ. [c] *Quædam enim naturali iure cõmunia sunt omnium, quædã uniuersitatis, quædã nullius, pleraq; singulorum, quæ uarijs ex causis cuiq; acquiruntur.* [d] *Sunt insuper rerum quædam corporales, quædam incorporales. incorporales sunt, ut eæ quæ in iure consistunt: ut hæreditas, obligatio, usufructus, usus, iura prædiorũ tam urbanorũ*

c l.1.§.1.ff.de diuisione rerum.

d l.2.ff.de diuis.rerum.

a l.1.§.quædam.ff.eo.
b l.quod nullius.ff.de reg. iuris.
c l.diu.ff.ad l. Iul.peculatus.
d ff.expilatę hæreditatis.
e l.aut facta .§. quantitate. ff.de pœnis.
f l.si is qui.§. fi.ff. de pignorib. & hypothecis.

quàm rusticorũ,&c. [a] *Sunt præterea res quædam mobiles, quædã soli siue immobiles.* Ex re *ergo excipitur, si res, quæ nullius est, sit obligata.* Nã *quod nullius esse potest, id ut alicuius fieret, nulla obligatio ualet efficere.* [b] *Item si quis quod rem alienam, non tamen sacram, è loco sacro surripuerit, ex lege* Iulia *peculatus uel sacrilegij accusatur: potest effugere illud iudicium hac exceptione,* Nisi *res priuata subrepta sit.* Si *enim res priuatorum in ædem sacram depositæ subreptæ fuerint, furti actio, nõ sacrilegij est.* [c] *Sic si res hæreditaria subrepta esse dicitur, expilatæ hæreditatis iudiciũ datur, cessante actione furti: neq; quadruplo puniendus est, sed extra ordinẽ coërcetur reus.* [d] Huc pertinet quod *dicit* Claudius Saturninus: Quantitas *(inquiẽs) discernit furem ab abigeo. nam qui unum suem subripuerit, ut fur coërcebitur: qui gregem, ut abigeus.* [e] Huius *loci est, si iura prædiorum urbanorũ pignorati data esse dicantur.* Nam *reus actione hypothecaria seu pignoratitia conuentus, tueri se potest hac exceptione:* Nisi *iura prædiorum urbanorũ pignori data sint.* [f] Hu*ius generis exceptiones esse arbitror, si quis uel ex pacto, uel ex stipulatu, uel ex mandato conuentus, dicat pactum de re turpi uel impoßibili factum esse, uel rem inhonestã, impoßibilem ue promis-*

promissam, mandatam'ue esse. Nam notum est, huiusmodi pacta, promissa & mandata non esse obligatoria. Non ergo res solùm in stipulationem deduci possunt, sed etiã facta: ut si stipulamur aliquid fieri, uel non fieri.[a] Hoc est quod dicit Paulus Iurisconsultus: Stipulationum (inquiens) quædam in dando, quædam in faciendo consistunt.[b] Ex re quoq; sumpta exceptio est, si quis actione ex uendito ad soluẽdum precium conuentus, dicat uenditorem non suam, sed alienam rem sibi uẽdidisse: item si suam se re emisse emptor reus dicat. Nam neq; pignus, neq; depositum, neq; precarium, neq; emptio, neq; locatio rei suæ consistere potest.[c]

a .§. non solũ res. institu. de uerb. oblig.

b l. 2. §. 1. ff. de uerb. oblig.

c l. neq; pignus. ff. de regulis iuris.

Distinctio ex causa facti.

Cap. IX.

Venio nunc ad locum exceptionibus gignendis fœcundißimum, ex quo & frequenter & efficaciter excipi solet. *Alterum est defensionis genus* (inquit Quintilianus) *in quo factũ per se improbabile assumptis extrinsecus auxilijs tuemur: in quo genere fortißimum est, si crimẽ causa facti tuemur.*[d] Non *enim factũ quæritur* (inquit Vlpianus) *sed causa faciendi.*[e] *Causarum autem non unum genus est. nam delinquũt homines* (inquit Martianus) *aut proposito, aut impetu, aut casu.* Proposito

d lib. 7. inst. orator. cap. 5.

e l. uerum est. ff. de furtis.

delinquũt latrones, qui factionem habẽt. Impetu autem, cùm per ebrietatẽ ad manus uel ad ferrũ uenitur. Casu uerò, cùm in uenando telũ in ferã missum, hominem interficit.[a] Huius generis exceptiones sunt, exceptio doli mali, cùm quis se in contrahendo dicit esse deceptum: uehemẽter enim leges cauent, ne ulli uel sua malicia sit lucrosa, uel simplicitas sua dãnosa. Item exceptio quod ui metus ue causa, cùm quis se uel ui uel metu ad promittendũ uel contrahendum adactũ esse dicit. Nihil enim consensui, qui & bonæ fidei iudicium sustinet, tam contrarium est, quàm uis & metus, quem cõprobare contra bonos mores est.[b] Error quoq; & ignorãtia excusat: in omnib. (inquit Põponius) negocijs contrahẽdis siue bona fide sint, siue non sint, si error aliquis interuenit, ut aliud sentiat (puta) q̃ emit, aut qui conduxit: aliud, qui cũ his contrahit: nihil ualet quod acti est.[c] Vnde rectè inquit Vlpianus: Nõ uidentur (inquiens) qui errãt, consentire.[d] In totum (inquit Pomponius) omnia quæ animi destinatione agenda sunt, non nisi uera & certa scientia perfici possunt.[e] Sed de ignorantiæ exceptione latius tractabitur paulò inferius. Imperitia & infirmitas non excusant, quoniam culpæ annumerantur.[f] Iracundia quandoq; excusat. nam regula iuris est, Quicquid in calore iracundiæ

a l. respiciendum §. delinquunt. ff. de pœnis.

b nihil cõsensui. ff. de reg. iuris.

c l. in omnib. ff. de actio. & obligation.

d l. nihil consensui. ff. de regul. iur.

e l. in totum. ff. de reg. iur.

f l. imperitia. ff. de regu. iur. & l. si quis domum. §. celsus. ff. locati & conduct.

iracundiæ uel fit, uel dicitur, non prius ratum est, quàm si perseuerantia apparuerit iudicium animi fuisse. Ideoq; *breui reuersa uxor, nec diuertisse uidetur.* [a] Proinde, *etsi sine dolo malo quis se dicit deliquisse, excusatur: quoniam maleficia uoluntas & propositum delinquentis distinguunt.* [b] Et *cum facto, etiam animum furis furtum exigit, inquit* Vlpianus. [c] Dolus *autem suus nemini debet prodesse, quemadmodũ nec alienus ei nocere: nemo enim ex suo delicto meliorem suam conditionem facere potest.* [d] Vt *ergo dolo malo gestum pœnam, ita sine dolo malo actum pœnæ remißionem meretur.* Qui *tamen abortionis aut amatorium poculum dant, etsi dolo non faciant: tamen, quia mali exempli res est, humiliores in metallum damnantur, honestiores in insulam deportantur.* [e] Culpa *igitur quandoq; præstanda non est: contractus quidam (inquit* Vlpianus*) dolum malum duntaxat recipiunt, quidam & dolum & culpam.* Do*lum tantùm, depositum & precarium, dolum & culpam, mandatum, commodatum, uenditum, pignori acceptum, locatum: item dotis datio, tutelæ, negocia gesta: in his quidem & diligentia. Sed & societas, & rerum communio, & dolum & culpam recipit.* [f] Culpam *autem* D. Oldendorpius *in suis* Claßib. *sic definit:* Cul

a l. quidquid in. ff. de reg. iur.

b l. qui iniuriæ. §. 1. ff. de furtis.

c l. si quis testam. §. fin. ff. ad l. Aquiliã.

d l. non fraudãtur. ff. de reg. iuris.

e l. si quis aliquid. ff. de pœnis.

f l. contractus quidam. ff. de reg. iur.

pa(inquiens) est læsio per imprudentiam facta, quæ tamen humana ratione regulariter potest euitari. [a] *Vnde culpa dicitur carere, qui scit, sed prohibere non potest.* [b] *Et eius nulla culpa esse dicitur, cui parere necesse est.* [c] *Est autem duplex culpa: lata uidelicet, & leuis. Lata culpa est, nimia negligentia: id est, non intelligere quod omnes intelligunt.* [d] *Huiusmodi culpa dolo æquiparatur. Magna negligentia (inquit Paulus) culpa est, magna culpa dolus est.* [e] *Celsus item ait: Quod Nerua diceret, latiorem culpam dolum esse, Proculo displicebat: mihi uerißimum uidetur. nam etsi quis non ad eum modum, quem hominum natura desiderat, diligens est, nisi tamen ad suum modum curam in deposito præstat, fraude non caret: nec enim salua fide minorem his quàm suis rebus diligentiam præstabit.* [f] *Sanè in lege Cornelia de sicarijs & ueneficis, lata culpa pro dolo non accipitur.* [g] *De casu insuper & ui maiore, dubiũ non est, quin ea præstanda non sit, nisi uel dolus uel culpa præcesserit.* [h] *Casu uerò (inquit Martianus) delinquunt homines, cùm in uenando telum in feram missum, hominem interficit.* [i] *Ad hæc, si correctionis uel emendationis, non iniuriæ faciendæ causa quid factum sit, exceptioni locus est.* [k] *In hoc tamen casu nimia sæuitia est cauen-*

a in præfatio. Clasium.
b l. culpa caret. ff. de reg. iuris.
c l. is damnũ dat. ff. eod. & l. liber homo. §. 2. ff. ad l. Aquiliam.
d l. cedere diẽ §. fin. item l. latæ. ff. de uerb. significat.
e l. magna. ff. de uerbor. significat.
f l. quod nerua. ff. depositi.
g l. in lege. ff. ad l. Corneliã de sicarijs.
h l. cõtractus §. fin. ff. de regu. iuris.
i l. respiciendum §. delinquunt. ff. de pœnis.
k l. aut facta. §. causa. ff. de pœnis. item l. item apud Labeonẽ. §. adijcitur. ff. de iniurijs & famos.

cauenda. Praeceptoris enim nimia saeuitia culpae aßignatur. [a] Ex his perspicitur, in causis non tam quid, quàm quo animo quidq; factum sit, considerandum esse. Meminisse autem oportebit (inquit Vlpianus) non omnem qui adsectatus est, nec omnem qui appellauit, hoc edicto cōueniri posse. neq; enim si quis colludendi, si quis officij honestè faciendi gratia id fecerit, statim in edictum incidit. [b] Nec solùm in delictorum causis, sed in contractibus quoq;, haec regula est tenenda. Proinde inquit Paulus: Non satis est (inquiens) dantis esse nūmos, & fieri accipientis, ut obligatio nascatur: sed etiam hoc animo dari & accipi, ut obligatio constituatur. [c] Nec enim si per iocum (puta) uel demonstrandi & intellectus causa ego dixero tibi, Spondes? & tu responderis, spondeo: nascetur obligatio. [d] Vnde dicit Vlpianus: Sed cùm nulla subest causa praeter conuentionem, hìc constat, non posse constitui obligationem. Igitur nuda pactio obligationem non parit. [e] Insuper ei qui se alterius suasu, iussu, uel mādato deliquisse dicit, nulla datur exceptio. [f] Proinde ne serui quidem, qui dicunt se iussu domini fecisse, excusantur: nec enim in omnibus serui dominis parêre debent. [g] Ad ea tamen quae non habent atrocitatē facinoris uel sceleris, in his ignoscitur seruis, si uel dominis, uel his qui uice dominorum sunt,

a l. praecepto ris. ff. ad l. Aquiliam. & l. item quaeritur §. item Iulian. ff. locati.

g l. item apud Labeon. ff. de iniurijs & famos.

c l. obligatio nū. ff. de actio. & obligat.

d ibidem.

e l. iurisgen tium. §. sed cū nulla. ff. de pactis.

f l. non ideo. C. de accusationibus & inscriptionibus

g l. seruus nō in. ff. de a ct. & obligat.

sunt, ueluti tutorib. & curatoribus, obtemperauerint. [a] *Culpa enim caret, cui parêre necesse est.* [b]

a l. ad ea quæ non. ff. de reg. iuris.
b l. is damnũ dat. ff. de reg. iuris. & l. liber homo. §. ff. ad l. Aquiliam.

De exceptione ignorantiæ. Caput X.

EX *causa facti sumitur exceptio ignorantiæ, cùm uidelicet quis dicit se per errorẽ uel ignorantiam contraxisse, uel deliquisse. Grauis autem in primis res est ignorantia (ut inquit* Lucianus*) malorumq́; multorum hominibus causa: quæ uelut caliginem quandam rebus offundens, ueritatem obscurat, & uniuscuiusq; uitæ noctem circumdat, &c. Cum uerò nihil magis humanum sit quàm labi, errare, nescire: sæpè accidit, ut errantes & ignorantes quid faciamus, quod scientes fecissemus nunquam.* Proinde *leges fragilitatis & cæcitatis humanæ memores, prohibent illum, qui se per errorem & ignorantiam quid contraxisse uel deliquisse docet, damnari: estq; in hunc usum introducta ignorantiæ exceptio.* Nõ *enim qui errant (inquit* Iulianus*) uidentur consentire: quid enim tam contrarium consensui est, quàm error, qui imperitiam detegit?* [c] *Culpa (inquit* Paulus*) ab eo exigenda non est, cùm diuinare non potuerit, an per eum locum aliquis transiturus esset.* [d] *Sciendum est autem, duplicem esse*

c l. si per errorem. ff. de iurisdictione.
d l. si putator §. fin. ff. ad l. Aquiliam.

esse ignorantiam, iuris nimirum & facti. Facti *ignorantia est, utputa cùm quis nescit decessisse eum, cuius bonorum possessio ei defertur.* Iu*ris ignorantia est, si sciat quidem defunctum esse cognatum, nesciat autem proximitatis nomine bonorum possessionem sibi deferri: aut si sciat quidem se hæredem scriptum esse, nesciat autem quòd scriptis hæredibus bonorum possessionem prætor promittat.* [a] Facti *ergo, non iuris ignorantia excusat, exceptionisq; materiam præstat. In omni parte (inquit* Neratius*) error in iure non eodem loco, quo facti ignorantia haberi debebit: cùm ius finitum esse & possit & debeat, facti interpretatio plerunque etiam prudentissimos fallat.* [b] Non tamen *supina ignorantia (ut inquit* Vlpianus *) ferenda est, factum ignorantis: nec scrupulosa inquisitio est exigenda. Scientia enim hoc modo existimanda est, ut neq; negligentia crassa, aut nimia securitas satis expedita sit, neq; delatoria curiositas exigatur.* [c] *In eandem sententiā inquit* Paulus: *Sed facti ignorantia (inquiens) ita demum cuiq; non nocet, si non ei summa negligentia obijciatur. Quid enim, si omnes in ciuitate sciāt, quod ille solus ignorat?* Et *rectè* Labeo *definit: Scientiam neq; curiosissimi, neq; negligentissimi hominis accipiendā, uerùm eius qui* eam

a l.1.§.2.ff.de iuris & facti ignorantia.

b l. in omni. cum duabus legibus se quent. & l. regula est.§.1. & §. quod si ideo. ff. de iur. & facti ignorantia.

c l. supina. ff. eod.

eam rem diligenter inquirendo notam habere poßit.[a] Nec enim stultis, sed ignorãtibus solet succurri.[b] Plurimum ergo intereſt, suum ne an alienum factum uel ius quis ignoret. nam alterũ uidetur hominis deperditi, & nimiũ securi: alterũ non.[c] Quia (ut inquit Neratius) in alieni facti ignorãtia, tolerabilis error eſt.[d] Ignorantia autem sui facti, plerunq; intolerabilis eſt. Neque enim sic homo supinus, imò magis ſtultus inuenitur, ut nomen suum ignoret.[e] Excusat tamen ignorantia sui facti quandoq;: utpute si quis, cùm putaret se illi aut illi promisiſſe, cùm neutrũ factũ eſſet, aut alterius persona in ſtipulatione cõprehensa non eſſet, cui tamen soluit: nam tunc nihilominus indebitum condicere poteſt.[f] Porrò nihil refert, siue mas, siue fœmina factum ignoraſſe dicatur. Nam error facti (Papinianus inquit) ne maribus quidẽ in damnis uel compendijs obeſt,[g] Alterius insuper ignorantia non prodeſt alteri, quemadmodũ contrà nec alterius scientia alteri ignorãti nocet.[g] Error autem facti tunc demum nõ nocet, si res integra sit, nec negocium finitũ. nam causa decisa, uelamento tali non reſtauratur.[h] Iuris quoq; ignorantia quãdoq; excusat. fingamus enim, eũ qui ius ignoraſſe dicitur, neq; iurisconsulti copiam habuiſſe, neq; sua prudentia inſtructum eſſe

a l. regula eſt §. sed facti. ff. eod.

b d l. regula §. si quis ius. ff. eod.

c l. plurimũ intereſt. ff. eo.

d l. fin §. fin. ff. pro suo.

e l. fi. C. de hered. inſt.

f l. sed etſi putem. ff. de condict. onc inde biti.

g l. error facti ff. de iur. & facti ignorantia.

h l. inquiſitionum. ff. eo.

i l. error facti C. eod.

esse, ut ei scire difficilè sit: certè iuris ignorantia huic obesse non debet.[a] *Scientiam enim (ut inquit Paulus) non hanc accipimus, quæ iurisprudentibus sit: sed eam quam quis aut per se habeat, aut consulendo prudentiores assequi possit.*[b] *Vnde impuberibus,*[c] *imò omnibus minoribus uigintiquinq; annis, etiam ignorare est permissum: quod & fœminis in quibusdam propter sexus infirmitatem datur. ideo sicubi non est delictum, iuris ignorantia non læduntur.*[d] *Idem quoq; de militibus est respondendum.*[e] *Sed omnibus omnino iuris error in damnis amittendæ rei suæ non nocet, nec prædictis personis in compendijs prodest. Sed hactenus de ignorantiæ exceptione.*[f]

a l.regula.§. sed iuris ign. ff.eod.

b l.in bonorum.§.fin.ff.de bonorū possession.

c l.fin.ff.de iuris & facti.

d l. regula.§. 1.ff.eod.

e d.l.regula.§. si filiusfamil. ff.eod.

f l.iuris ignorantiā, cum l. sequent.ff.eo.

Distinctio ex modo facti.

Caput XI.

EX *modo item facti sæpe sumuntur exceptiones. nam ex modo excipitur contra actionem iniuriarum, si seruū leuiter percussum, uel leuiter maledictū esse dicatur.*[g] *Itē aduersus actionē legis Aquiliæ, si res nō deterior, uel precio uilior sit facta.*[h] *Ex modo insuper discernūtur furta manifesta à nō manifestis, rixæ à grassaturis, explicationes à furtis, à uiolētia petulātia.*[i] *Huius generis exceptionē esse arbitror, si quis furti actione conuentus, dicat*

g l.Item apud Labeonem. §. prætor ait, si quid.ff.de iniurijs & famosis.

h l.si seruus §. rupisse. ff. ad l. Aquiliam.

i l. aut facta. §.qualitate.ff. de pœnis.

se de

se de furto tantùm cogitasse. Nam hic potest se tueri hoc modo: Nisi de furto tantùm sit cogitatum. Sola enim cogitatio furti faciendi, furem non facit.[a] Imò etiamsi dixerit, uel scripserit se furtũ facturũ, potest defendi: quia neq; uerbo, neq; scriptura quis furtũ facit.[b] Proinde quoties ex specie facti excipitur, huius generis exceptionem esse puto. Atrox iniuria æstimatur (inquit Imp. Iustinianus) ex facto: ueluti si quis ab aliquo uulneratus sit, uel fustibus cæsus.[c]

a l. 1 §. sol. ff. de furtis.

b l. si quis uxor. §. neque uerbo. ff. de furtis.

c §. atrox iniuria. inst. de iniurijs.

Distinctio ex facti instrumento, loco & tempore. Cap. XI.

Instrumentorum quoq; ratio, in bono & æquo constituendo est habenda. nam plus est hominẽ extinguere ueneno, quàm gladio.[d] *Sic animum occidendi collegit diuus Hadrianus, ex instrumento facti: ex re (inquit) hoc constituendum. Nam si gladium strinxerit, & eo percusserit, indubitatè occidendi animo id eum admisisse: sed si claui percußit, aut cucuma in rixa, casu magis quàm uoluntatè homicidium fecisse eum, dicendum est.*[e] *Sed & tabulæ & testes instrumẽta contractuũ dicũtur, quòd eorũ usus causis instruẽdis sit necessarius.*[f] *Sic is qui hæreditatem uel legatum ex testamento petit, potest repelli, si uel signacula testamento dicantur non esse imposita, uel signa ab ipso testatore tur-*

d l. 1. C. de maleficis & mathemat.

e l. 1 §. diuus Hadrian. ff. ad l. Corneliã de sicar.

f l. 1. ff. de fide instrum.

re turbata.[a] Idem dici potest, si non sufficiens testium numerus, testamenti factioni interfuisse dicatur.

Excusat reum conuentũ quandoq; & locus facti. Sic actio iudicati excluditur, si iudex alibi quàm in eo loco, quem causæ cognoscendæ dedit, sententiam protulit.[b] Idem dicendum est, si non publicè, sed in secreto loco, officio eius non præsente, sententiam dixit.[c] Præterea si quis actione in factum conuentus: quòd fortè deiecerit quid, uel effuderit, quo damnum datum est: dicat, se eo loco deiecisse, quo uulgò iter fieri non solet.[d] Locus item facit, ut idem uel furtũ uel sacrilegium sit.[e] Insuper atrox iniuria æstimatur ex loco: ueluti si cui in theatro, uel in foro, uel in conspectu prætoris iniuria facta sit. Locus quoq; uulneris nõnunquã atrocẽ iniuriã facit: ueluti si in oculo quis percussus fuerit.[f]

Tempus deniq; facti non raro exceptiones suppeditat. Sic ex pacto actio excluditur, quando pactum non in continenti, sed ex interuallo interpositum sit.[g] Item si mandauerim creditori credendam pecuniam, post creditam eam, aduersus actionem mandati, ex tempore mandati me defendere possum.[h] Sic & is qui deiecisse quid, uel effudisse dicitur, quo damnum datum est, potest se defendere, si nocte factum id esse

a l. ad testiũ numerum. §. si signa. ff. qui testamen. facere possunt.

b l. 5. C. quomodo et quando iudex sententiam proferre.

c l. cum sententiam. C. de sententijs & interlocutionibus.

d l. 1. §. 1. ff. de his qui deiecerint uel effuderint.

e l. atit facta §. locus. ff. de pœnis.

f §. atrox iniuria. inst. de iniurijs.

g l. iuris gentiũ. §. adeo autem. ff. de pactis.

h l. si uero & remunera. §. si post creditã. ff. mandati.

a l. penult. ff. de his qui deiecerint uel effuderint.

doceat.[a] *Tempus quoq; discernit emansorem à fugitiuo, & effractorem uel furem diurnum à nocturno.*[b]

b l. aut facta. §. tempus. ff. de pœnis.

Distinctio ex antecedenti, adiuncto & consequenti factum. Cap. XIII.

SVmuntur uerò sæpenumero exceptiones nō solùm ex facti circumstantijs, de quibus hactenus dictū est: uerùm ex ijs quoq;, quæ uel antecedunt factum, uel facto insunt, uel id sequuntur. Vt enim quædam circa factum contingunt antecedentia factum, uel adiuncta uel cōsequentia, ex quib. facti probatio sumitur, quæ à rhetoribus signa uocantur: ita quoq; accidunt quædam uel ante factum, uel in facto, uel post factum, quæ ius facti uel causæ demonstrant, defensionesq; aduersus eum qui ex summo iure agit, suppeditant. Ponamus enim pactum inter duos factum esse, deinde inter eosdem aliud pactum priori contrarium factum esse, agereq; actorem ex pacto priore: certè tūc potest se reus conuentus defendere pacto posteriore hoc modo: Nisi postea aliter inter nos actum sit, uel in contrarium pactum. Nam semper pactum posterius tollit prius, per exceptionem.[c] *Item si testamento alicui hæreditas relicta est, & postea mutata testatoris uoluntate aliud testamentum est factum, aliusq; hæres institutus: in priore testamento hæ-*

c l. iuris gentium. §. adeò. & l. si unus. §. pactus. ff. de pactis.

mento hæres institutus hæreditatem petens, exceptione hac, Nisi aliud testamẽtum factum sit, repelli potest.[a] *Item si iniuria facta remissa sit, actio iniuriarum euanescit.*[b] *Rumpitur item testamentum, & actio ex testamento perit, adgnatione posthumi, cuius in testamento nulla est facta mentio: rumpitur item capitis diminutione testatoris, item morte instituti hæredis ante aditam hæreditatem obueniente, &c. Ex his ergo atq; similibus casibus, aduersus eum qui ex testamento agit, excipitur. Aduersus eum quoq; qui mandati actione agit, exceptiones dantur, si postea mandato renunciatũ sit, uel id reuocatũ, uel mors alterutrius in re integra interuenit. Sed huiusmodi exceptiones ex consequentibus factũ sumuntur. Ex antecedentibus ducũtur: utputa si in deposito pactum de culpa præstanda intercesserit. Nam si aliquid culpa depositarij circa depositũ factum est, potest se summo quidem iure depositarius defendere hoc modo, Si dolo & nõ culpa mea factum esset.*[c] *Sed elidit hanc exceptionẽ replicatio hæc: Nisi de culpa quoq; præstanda inter nos esset actum.*[d] *Nam semper quid inter partes actum sit, considerandum est: cedunt enim leges pactis priuatorum, si non ad publicam læsionem, sed ad rem familiarem ea respiciant.*[e] *Sed hæsita (inquit Vl-*

a l.1.ff. de iniusto, rupto et irrito testam.

b l. sed si unius. §. si cum ante. ff. de iniurijs & fam.

c l. cõtractus quidam. ff. de reg. iuris.

d l.1. §. si conueniat. ff. depositi.

e L. iurisgentium. §. si paciscar. ff. de pactis.

pianus) nisi si quid nominatim cōuenit uel plus uel minus in singulis contractibus. Nam hoc seruabitur, quod initio conuenit: legem enim contractui dedit.[a] In *emptionibus (inquit* Paulus) *scimus quid præstare uenditor debeat, quidq; ex contrario emptor. quòd si in contrahendo aliquid exceptum fuerit, id seruari debebit.*[b] Hinc *est phrasis illa apud iurisconsultos admodum frequens, Nisi aliter inter partes uel contrahentes actum sit: nasciturq; hinc pacti conuenti exceptio.* Ex *antecedentibus quoq; sumpta exceptio est, si emptore euictionis nomine agente, uenditor dicat, sibi antea ut defensioni adesset, non esse denunciatum.*[c] Ad *hunc quoque locum pertinere credendum est regulam iuris, quæ est: Cùm principalis causa non cōsistat, nec ea quæ sequuntur locum habent.*[d] Vnde *si quis id constituit, se soluturum quod ex inutili debetur obligatione, & cuius actio per exceptionem potest excludi, de constituta pecunia actio non est.*[e] Sic *is qui pro inutili obligatione fideiußit, fideiussoria actione conuentus, exceptione tutus est.*[f] Fideiussor *enim obligari nō potest ei, apud quem reus promittendi obligatus non est.*[g] Ex *adiunctis deniq; excipitur aduersus eum qui ex testamento hæreditatem petit, hoc modo: Si uno contextu, & non alio actu inter-*

a l. cōtractus quidam. ff. de reg. iuris.

b l. in emptionibus. ff. de pact.

c l. si fundo tradito. §. fin. ff. de euictione & duplæ stip. & l. empt. fundi. C. eod

d l. eum principalis. & l. nihil dolo malo. ff. de reg. iuris.

e l. 1. §. 1. & l. quod si maritus. §. si quis autem. ff. de constituta pecun.

f l. si stipulatus. §. 1. ff. de fideiuss. & mandato.

g l. fideiussor obligari. §. 1. C. eod.

ctu interueniente, testamentũ factum esset. nam uno contextu actionis testari oportet. Est autẽ uno contextu, nullum alienum actum testamento intermiscere.[a] *Postremò quidquid id est quod contingit uel ante factum, uel in facto, uel demũ post factum, quod materiam excipiendi præbet: accidit uel ipsi rei, seu actioni facto'ue, uel alicuius actionis facti'ue circumstantiæ: hoc est, uel personæ, uel rei circa quam actio uersatur, uel causæ, uel modo, &c. Ipsi actioni seu facto contingit (ut superius dixi) de pacto, si pactum posterius sequatur. nam postea conuenit, ut id quod prius actum est, nihil ualeat. Idem est si hæres testamento scriptus sit, & postea alius scribatur. Circumstantijs contingit, ut dixi suprà de capitis deminutione testatoris, de morte hæredis scripti, &c.*

a l. hæredes palàm § fin. ff. qui testamentum facere possunt.

Sed qui sint distinctionum loci, ex his patet: patet item, quomodo ius (quod dicit Alfenus) in causa sit positum, æquitasq; in causæ circumstantijs lateat. Qui ergo eam, quam dico, æquitatẽ indagare uolet, is debet singulas causæ circumstantias diligenter excutere, antecedentia, adiuncta & consequentia omnimoda habere perspecta. nam sic quid iuris in causa sit, uidebit, & ad defendendam causam exceptiones inueniet. Nulla enim ferè regula est (quod uul-

go dicitur) quin habeat exceptionẽ: et omnis definitio (ut inquit Vlpianus) in iure ciuili periculosa est. rarũ est enim, ut subuerti nõ posßit.[a] Vt deniq; multa (autore Cicerone) quæ natura honesta uidẽtur, temporib. fiũt nõ honesta: ita quoque multa quæ summo & stricto iure turpia & iniusta sunt, temporibus fiũt nõ turpia, neq; iniusta. tempore enim cõmutato, cõmutatur ius atq; officiũ. Sed huiusmodi tempora, seu (ut suprà dixi) cõditiones aliquãdo ab ipso legislatore exprimũtur, aliquãdo nõ: & tunu iusta interpretatione ex mẽte legis sunt eruẽdæ, quo legũ uoluntas cõseruetur. Neq; leges (inqt Iulianus) neq; senatusconsulta, ita scribi possunt, ut omnes casus, qui quãdoq; inciderint, cõprehendantur: sed sufficit ea quæ plerunq; accidunt, contineri. & ideo de his quæ primò cõstituuntur, aut interpretatione, aut constitutione optimi principis, certius est statuendum.[b] Rectè igitur dicit Aristoteles: Cùm de toto genere (inquiens) lex dicit, atq; aliquid ijs in rebus contra generalem legis comprehensionem existit: tunc percommodè accidit, ut qua parte scriptor legis aliquid prætermisit, ac peccauit simpliciter loquendo, id quod prætermissum sit, corrigatur: quod etiã legislator si adesset, admoneret, etiã si iam legem tulisset.[c]

a l. omnis de finitio. ff. de reg. iuris.

b l. neq; leges. ff. de legibus.

c lib. 5. Ethic. Nicom. cap. 10.

PRACTI-

PRACTICÆ FORENSIS LIBER V.

Alterum exceptionum genus, quod sumitur ex re petita.
Cap. I.



Xplicatis facti, iuris & distinctionis exceptionibus, primũ exceptionum genus quod ex actionis causa sumitur, est absolutũ: ad reliqua igitur genera trãseamus. Optimæ *sanè sũt eæ exceptiones, quæ actionẽ in totũ perimũt, reumq́; damnatione eximunt. cuiusmodi sunt eæ, de quibus hactenus est dictum. uerũtamen eas neq; semper, neq; in omnibus causis habere possumus.* Itaq; *proximum est, ut si ijs destituamur, eas quæramus, quæ damnationem minuunt, uel actionem differunt.* Huius *generis sunt reliquæ exceptiones, de quibus dicetur in posterum. ex istis ergo eæ quidem quæ ex re petita sumuntur, damnationem minuunt: reliquæ uerò differunt actionẽ.*

Ex re autem petita excipitur, quoties reus conuentus confitetur quidem debitum, negat tamen se tantum talé ue, quantum qualé ue actor in iudicium deduxit, debere. Sciendũ itaq; est,

quid quantumq́; in quamlibet actionem ueniat: idq́; scire, tam actoris quàm rei cõuenti interest: quoniam pœna tripli in eum statuta est, qui plusquàm ei debetur, petit.[a] *Actionum igitur quædam rei quidem, quædã uerò pœnæ persequendæ gratia sunt comparatæ: quædam uerò mistæ sunt.* Rei *tantũ persequendæ gratia comparatæ sunt omnes in rem actiones, pleræq; itẽ actiones ex contractu: nullæ uerò ex maleficio descendentes. nam hæ partim pœnã persequuntur tantùm, partim mistæ sunt.*[b] Omnes *insuper actiones uel in simplum conceptæ sunt, uel in duplum, uel in triplum, uel in quadruplum.*[c] *Sunt item quædam actiones, quibus non semper solidum, quod nobis debetur, persequimur: sed modò solidum, modò minus. ut sunt actiones de peculio, item de dote, &c.* Cõ*pensationes quoq; oppositæ plerũq; efficiunt, ut minus quisq; consequatur quàm ei debeatur.*[d] Dantur *præterea quædam actiones in id quod interest, quædã in tantum quanti ea res est.* In *quibusdam quoq; in litem iuratur, in quibusdam uerò non.* Q*uomodo autẽ id quod interest, accipiendũ sit, pulchrè interpretatur* Imp. I*ustinianus, in titulo* C. *de sententijs quæ pro eo quod interest proferuntur.* H*æc autem uerba (inquit* Paulus*)* Q*uanti eam rem esse patet, non ad id quod interest, sed ad ueram*

a .§. si quis agens. &.§. tripli uerò agimus. instit. de actionibus.

b .§. sequens illa diuisio. instit. de action.

c .§. omnes autem acti. instit. de actionib.

d .§. sunt præterea quædã. instit. eo. tit.

ueram rei æstimationem referuntur. [a] *Veniunt demum in quasdam actiones fructus & usuræ, in quasdam non. Hæres item interdũ in solidum conueniendus est, interdum in id tantum quod ad eum peruenit: utputa si pœnali actione agatur. Hæc ergo atq; huiusmodi alia, si actor in agendo non obseruat, plusq; quàm actionis natura patitur, petit: datur reo conuento exceptio, qua petit se non in tantum, quantum actor petit, sed quantum reuera debetur, condemnari. Quasdã autem huius generis exceptiones paulò copiosius exponam.*

a l. hæc uerba. ff. de uerb. significa.

De exceptione fructuum.

Cap. II.

S*Æpenumero euenit, ut quis fundũ aliam' ue similẽ rem iure quidem uindicet, persequatur' ue: fructus uerò eius nõ iure. Nam non semper, nec ex qualibet actione, fructus debentur. Si ergo reus cõuẽtus de defendẽda desperat, animaduertat, num fructus saltem rei seruare poßit: ut si non poßit damnationem in totũ effugere, eam tamen minuat. Ad hanc rem pertinet fructuum exceptio, qua qui uti uolet, is scire debet, in quam actionem fructus ueniant, uel non. Nam ex quibus causis fructus peti non possunt, ex ijs si petãtur, datur fructuum exceptio. Proinde uideamus (inquit* [b] *Caius iurisconsultus)*

b l. uideamus. ff. de usuris & fructib.

num omnib. rebus petitis, in fructus quoq; cõdẽnandus sit possessor. quid enim si argentum, aut uestimentũ, aliámue similem rem? quid præterea si usumfructum, aut nudam proprietatem, cùm alienus usus fructus sit, petierit? neq; enim nudæ proprietatis (quod ad proprietatis nomẽ attinet) fructus ullus intelligi potest: neq; usufructus rursus fructus eleganter computabitur. Quid igitur, si nuda proprietas petita sit? ex quo perdidit fructuarius usumfructum, æstimabitur in petitione fructus. Item *si usus fructus petitus sit,* Proculus *ait, in fructus perceptos condemnari.* Præterea *si uestimẽta aut scyphus petita sint, in fructu hoc numerandũ est, quòd locata ea re, mercedis nomine capi potuerit.* Iter *quoq; & actus si petitus sit, uix est ut fructus ulli poßint æstimari: nisi si quis cõmodũ in fructibus numeraret, quod habiturus esset petitor, si statim eo tempore, quo petijt, ire agere non prohiberetur: quod admittendũ est.* Pecus *quoquè si uindicetur, fœtus restitui debet: utputa sunt agni, hœdi & uituli.* [a] Multũ *autem interest, utrum in rem an in personam agatur.* Nam *si in personã agitur, fructus nõ nisi post litem contestatam percepti, sunt restituendi.* [b] In *cæteris quoq; bonæ fidei iudicijs (inquit* Paulus*) fructus omnimodo præstantur.* [c] Proinde *si poßessio naturalis*

a In pecudum. ff. eod.

b l. uulgò receptũ. ff. cod.

c l. uideamus generatim. §. si possessionem. ff. eo.

naturalis reuocatur, proprietasq; penes reuocantem manet, fructus restituendi sunt: utputa in actione depositi & cõmodati.[a] Si uerò actionem habeam ad id persequẽdum quod meũ non fuit (uelut ex stipulatu) fructus non consequor, etiamsi mora facta sit: planè post iudiciũ acceptum fructus perceptos consequi debeo.[b] Ex causa etiam emptionis, fructus restituendi sunt: sed etiam in societate, fructus sunt communicandi.[c] Hinc qui scit (inquit Iulianus) fundum sibi cum alio communẽ esse, fructus quos ex eo percepit, inuito uel ignorante socio, non maiore ex parte suos facit, quàm ex qua dominus prædij est. nec refert, ipse an socius, an uterq; eos seuerit: quia omnis fructus non iure seminis, sed iure soli percipitur. Et quemadmodum si totum fundum alienum quis sciens poßideat, nulla ex parte fructus suos facit, quoquo modo sati fuerint: ita qui communem fundum poßidet, non faciet fructus suos pro ea parte, qua fundus ad socium eius pertinebit.[d] Quid tamẽ, si diuidere totum fundum uelim, tu nolis & colam: an fructus diuidi debeant? Respondet Paulus, diuidendos.[e] Præterea si fundus ob rem datus sit, ueluti dotis causa, renunciata affinitate fructus quoq; restituendi sunt: utiq; si qui percepti sunt eo tempore, quo sperabatur affinitas: sed & posteriores, si in

a l. uideamus generatim. §. si possessionem. ff. eo.

b l. uideamus. §. si actio. ff. e.

c l. uideamus. §. ex causa. ff. eodem.

d l. qui scit fundum. §. 1. ff. eodem.

e l. uideamus. §. item si diuidere. ff. eo.

si in re mora fiat ab illo qui reddere debet, omnimodo restituendi sunt. Sed etsi per mulierem stet quo minus nuptiæ contrahantur, magis est ut debeat fructus recipere. Ratio *autem hæc est: quòd si sponsus non coueniebatur ad restituendos fructus, licuerit ei negligere fundum.*[a] *Ante matrimoniũ quoq; (*Paulus *inquit) fructus percepti dotis fiunt, & cum ea restituuntur: eadem quoq; ratio est in fructibus prædiorum urbanorum.*[b] In *indebiti quoq; cõdictione fructus ueniunt.*[c] Idem*q; est, si mortis causa fundus sit donatus, & reualuerit is qui donauerat, atq; ita condictio nascatur.*[d] In Fauiana *quoq; &* Pauliana, *per quam, quæ in fraudem creditorũ alienata sunt, reuocantur, fructus restituuntur. nam* Prætor *id agit, ut perinde sint omnia, atque si nihil alienatũ esset, quod non est iniquum. nam & uerbum* Restituas, *quod in hac re* Prætor *dicit, plenam habet significationem, ut fructus quoq; restituantur: & ideo cùm restitui* Prætor *uult (ueluti in interdicto unde ui) etiam fructus sunt restituẽdi. item si ui metus'ue causa rem tradam, non aliter mihi restituisse uidetur, quàm si fructus restituat: nec mora mea mihi aliquid aufert.*[e] Iulianus *ergo dicit: Cùm uerbum* Restituas *lege, inuenietur, etsi non specialiter de fructib. additũ est, tamẽ & fructus sunt restituẽdi.*[f]

In in-

a d. l. uideamus. §. 1. ff. eo.

b d. l. uideamus. §. ante matrimo. ff. eo.

c d. l. uideamus. §. item si indebitum. ff. de usuris & fructibus.

d ibidem.

e d. l. uideamus §. in fauiana. ff. eod.

f l. in eodem natione. §. cũ uerbum. ff. de reg. iur.

In interdicto quoq; quod ui aut clã, magis est ut omnis causa & fructus restituatur.[a] Porrò cùm *quæritur de fructibus restituẽdis, maximè illud inspiciendum est, qua fide poßideat is à quo res uindicatur: utrum bonæ an malæ fidei possessor sit. nam bonæ fidei possessor de fructibus restituendis non tenetur: quia in percipiẽdis fructibus id iuris habet, quod dominis prædiorũ tributũ est.*[b] Proinde *etsi ante perceptos fructus cognoscit fundum alienũ esse, nihilominus perceptione fructus suos facit: quia bonæ fidei possessor, quoad percipiendos fructus intelligitur, quamdiu euictus fundus non fuerit.*[c] *Sanè si fructus sint naturales, non industriales, etiam bonæ fidei possessori auferuntur.*[d] *Cæterùm malæ fidei possessor non tantùm de fructibus perceptis restituendis tenetur, sed etiam de non perceptis, quas tamen percipere potuit.*[e] Veruntamen *is qui de fructibus restituendis tenetur, impẽsas fructuum gratia factas potest deducere: Siquidem (ut inquit* Paulus*) fructus intelliguntur, deductis impensis, quæ quærendorum, cogendorum, & conseruandorum eorum gratia fiunt.*[f] Nec *hoc beneficium bonæ fidei possoribus tantùm tribuitur, sed prædonibus quoq;.*[g]

a l. uideamus .§. in interdicto. ff. de usuris & fructib.

b l. qui scit fundum §. in alieno. ff. eod.

c d. l. qui sit. .§. fi. ff. eodem.

d l. fructus percipiẽd. ff. eod.

e l. 2. C. de fruct. & lit. & l. fructus. §. 1. ff. de rei uind.

f l. si à patre .§. fi. ff. de peti. hæredi. & leg. C. de fructib. & l. quod in fructus. ff. de usuris & fructibus.

g l. si à patre. §. fin. ff. de petit. hæredi.

De usu

De uſurarum exceptione.

Cap. III.

Vſuræ uicem fructuum obtinẽt (ut inquit Vlpianus) & meritò non debent à fructib. ſeparari: & ita in legatis & fideicõmiſsis, & in tutelæ actione, & in cæteris iudicijs bonæ fidei ſeruatur. [a] Ex duabus autẽ potiſſimùm cauſis uſuræ debẽtur: ex ſtipulatione uidelicet, & ex mora. Proinde niſi uel creditor uſuras ſolui ſtipulatus ſit, uel debitor in ſoluenda ſorte morã fecerit, uſuræ peti non poſſunt. Sanè debẽtur interdũ etiã ex nudo pacto. Etiã ex nudo pacto (inquit Paulus) debẽtur ciuitatib. uſuræ, creditarũ ab eis pecuniarũ. [b] Solutæ quoq; uſuræ ex nudo pacto repeti non poſſunt. [c] Per retentionẽ etiam pignoris uſuræ, de quibus præſtandis conuenit, ſeruari poſſunt, licet ſtipulatio interpoſita non ſit. [d] Sed & aliquando neq; ſtipulatione, neq; pacto, neq; mora interueniente uſuræ præſtandæ ſunt: utputa ſi ſocius communem pecuniam inuaſerit, uel in ſuos uſus conuerterit. [e] Item ſi uenditor euicta re de reddendo precio conuenitur. [f] In negociorum quoq; geſtorum actione tam directa quàm contraria uſuræ ueniunt. [g] Ex eo ſanè uſuræ non debentur, ſi aliquandiu ex conſenſu præſtitæ dicantur: [h] quanquam contrarium præcipit l. cùm de in

a l. uſuræ uicẽ. ff. de uſuris & fructibus.

b l. etiam ex nudo. ff. eo.

c l. 3. C. de uſuris.

d l. per retentionem. & l. pignorib. C. eod.

e l. 1. §. ſocius. ff. de uſuris.

f l. euictis agris. ff. eo.

g l. ſi mater tua. C. eod. & l. in cõtraria. ff. eo.

h l. creditor. C. de uſuris.

de in rem uerso. ff. de usuris & fructibus. Ex stipulatione tamen ita demum debentur usuræ, si certus usurarum modus adiectus sit. Nam si ita sit adiectum (Et usuras, si quæ cõpetierint) nullius monumenti usurarum stipulatio est. [a] *Argentarij tamen etiam si certum modum stipulati non sunt, legitimas tamen usuras exigere possunt.* [b] *Si autem supra licitum usurarũ modum, aut usurarũ usuras quis stipulatus est, quod quidem illicitè adiectum est, pro non adiecto habetur, & licitas petere potest.* [c] *Pro auro quoq; & argento & ueste, licitæ usuræ promissæ debentur.* [d] *Licet autem usurarum stipulatio in instrumento conscripta non sit, si tamen interuenisse probari potest, usuræ nihilominus debentur.* [e] *Item etiam si debitor non conueniatur, debẽtur nihilominus usuræ.* [f] *Si tamen per longi temporis interuallum petitæ usuræ non sunt, præteritæ uidentur remissæ.* [h] *Porrò ex mora debentur usuræ in bonæ fidei contractibus.* [h] *Non enim propter lucrum petentium (inquit Scæuola) sed propter moram non soluentium, usuræ infliguntur.* [i] *Sed mora fieri intelligitur non ex re, sed ex persona: hoc est, si interpellatus opportuno loco non soluerit. Difficilis tamen est huius rei definitio: neq; ulla constitutione, neque iuris authorum quæstione decidi*

a l. quod stipulatione. & l. tutor. cõdem. §. fi. ff. eo.

b Nouell. e. de argentariorum contractibus. §. usuræ sanè.

c l. placuit fi ue. ff. de usur.

d l. pro auro. C. eodem.

e l. 1. C. eo.

f l. pecuniæ. §. usurarum. ff. eo.

g l. cum quidã cauisset. §. diuus Pius. & l. qui semisses. ff. eod. & l. aduersus creditorẽ. & l. quãuis. bassa. C. e.

h l. mora fieri. §. in bonæ. ff. eo.

i l. cum quidã cauisset. §. quid enim potest. ff. eo.

decidi

decidi potest, an mora facta intelligatur, cùm sit magis facti quàm iuris. [a] Ideoq; non omne (inquit Vlpianus) quod differendi causa optima ratione fit, moræ annumerandum. Quid enim si amicos adhibendos debitor requirat, uel expediendo debito, uel fideiussoribus rogandis, uel exceptio aliqua allegetur? mora certè facta non uidetur, si modò id ipsum non fraudandi causa simuletur. [b] Proinde non uidetur moram facere, qui iudicium accipere est paratus. [c] Nec in mora est is, à quo pecunia propter exceptionē peti non potest. [d] Vnde nec eius quantitatis, cuius petitionem ratio compensationis excludit, usura peti potest. [e] Hinc nec eius debiti, cuius actionem temporis præscriptio excludit, usuræ etiam præteritæ peti possunt. [f] Aliquādo tamen in re mora discerni solet, si fortè non extat qui conueniatur. [g] Sed si reipub. causa abesse subitò coactus sit, ut defensionem sui mandare non potuerit, moram fecisse non uidetur. Idem dicendum est, si in uinculis, hostium'ue potestate esse cœperit. [h] Sed etsi debitori denunciatum est, & cùm is potestatē sui faceret, omissa est repetendi debiti instantia: non protinus per debitorē mora facta esse intelligitur. [i] Proinde si nemo sit cui soluatur, eius tēporis mora inculpata est. [k] Vnde si pupillo tutorem non habenti solui non potuit, non

a l. mora fieri §. 1. ff. eod.

b l. sciēdum est. ff. eod.

c l. si quis solutioni. & l. paratum. ff. eod.

d l. lecta est. §. fin. ff. si certum petatur.

e l. eius quantitatis. C. de solutione & liberat.

f l. eos qui. §. 1. C. de usuris.

g l. sed etsi rei pub. ff. eod.

h l. sed etsi rei pub. ff. eod.

i l. mora. §. 1. ff. eod.

k l. pecuniæ. §. fin. ff. eod.

uit, non uidetur mora à debitore facta. Ergo nec ei debetur, qui quòd reipub. causa abfuerit, uel ex alia iusta causa, ex qua restitutio indulgetur, impeditus petere non potuit. [a] Idem *magis dicendum est, si debitor pecuniam creditori obtulit, creditorq; eã accipere noluit.* [b] Quod *tamen ita uerum est; si debitor, postquàm creditor pecuniam accipere recusauit, eam obsignatam deposuit.* [c] Quid *tamen, si non obtulit creditori, sed obsignatam tantum deposuit?* De*positio nullius momenti est.* [d] Idem *dicitur, etsi post depositionẽ conuentus ut solueret, moram fecit.* [e] Quid *ergo si nõ totum debitum obtulit, sed partem, eamq; cùm creditor accipere nollet deposuit? totius debiti usuras nihilominus debet.* [f] Porrò *mora creditori fieri uidetur, siue ipsi, siue ei cui mandauerat, siue ei qui negotia eius gerebat, mora facta sit.* [g] Cùm *autem defuncto mora facta est, in hærede eius non quæritur mora.* [h] Insuper *cùm reus moram facit, & fideiussor eius tenetur.* [i] Sed *si duo rei promittendi sunt, alterius mora alteri nõ nocet.* [k] Item *si solus fideiussor moram facit, non tenetur.* [l] Quid *ergo, si & filiusfamiliâs & pater ex persona eius teneatur, cuius persona circa moram spectabitur? Si quidem pater duntaxat conuenitur, ex mora sua non tenetur: in filium tamẽ dabitur*

a l. cum quidam. §. si pupillo. ff. eod.
b l. si perte. C. eod.
c l. acceptũ. C. eod.
d l. 2. C. eod.
e l. debitor usurarius. ff. eod.
f l. tutor condemnatus. §. Lucius Titius. ff. eod.
g l. si quis solution. §. mora. ff. de usuris.
h l. cum pater sa. ff. eod.
i l. si quis solutioni. §. cum reus. ff. eod.
k l. mora fieri §. sed si duo. ff. eod.
l d. l. mora §. fin. ff. eod.

actio, in hoc, ut quo minus à patre actor consecutus est, filius præstet. Quòd si filius moram fecit, tunc actor uel cum ipso in solidum, uel cum patre duntaxat de peculio actionem habebit. [a] *Cæterùm nouatione obligationis facta, usuræ non currũt.* [b] Et *post rem iudicatam usuræ non debentur, nisi ex causa iudicati.* [c] *Lite sanè contestata, nihilominus usuræ currunt.* [d] *Sed si sententia dicta sit, nullaq; in ea usurarũ mentio sit facta, finita retractanda non sunt, nec usuræ petendæ.* [e] Hoc *tamen in ijs causis, in quibus usuræ peti possunt, est obseruandum, ne ultra licitum modum usuræ exigantur: licitus autem usurarum modus definitur. l. eos qui principali. §. super usurarum. C. de usuris. Arbitrio quoq; iudicis, usurarũ modus ex more regionis, ubi contractum est, constitui potest: ita tamen, ne legem offendat.* [f] *Supra duplum autem usuræ nec in stipulatum deduci, nec exigi possunt.* [g] *Proficiunt uerò reo ad dupli computationem usuræ per tempora solutæ.* [h] *Vsurarum quoq; usuras nec stipulari, nec exigere ullo modo licet, etiam si sorti misceantur.* [i] *Hinc ne fructuum quidem præstandorum usuræ debentur.* [k] *Si tamen fructus, quos in uicem usurarum creditorẽ ex prædio obligato consequi conuenit, maiores legitimis usuris percepti sunt: obtentu maioris percepti*

a l. mora fieri. §. in bonæ. ff. de usuris & fructibus.
b l. nouatione. & l. emptor cum. ff. de nouation.
c l. in bonæ. C. de usuris.
d l. lite contest. ff. de usuris.
e l. in bonæ fidei. C. eod.
f l. 1. §. 1. ff. de usuris.
g l. si non sort. §. supra duplũ. ff. de conditione indebiti. & l. penult. §. ultimo. C. de usuris.
h Nouell. c. ut particular. usurarũ solutiones in duplum computentur. & cõ. 138. de interpret. à principe facta.
i l. fin. C. de usuris.
k l. neq; eorum. ff. eod.

cepti

cepti emolumenti, propter incertum fructuum prouentum rescindi placita non possunt.[a] Idem *respondetur, si in uicem usurarũ habitatio data sit, quæ pluris locari, quàm legitimus usurarum modus exigit, potuisset.*[b] *Sed hæc de usurarum & fructuum præstationibus: ex quibus patet, quando fructuũ uel usurarum exceptioni locus sit, quando uerò non.*

a l. si ea lege, C. eod.

b l. si ea pactione. C. de usuris.

De exceptione compensationis. Caput IIII.

Compensationes quoq; oppositæ plerunque efficiunt, ut minus quisque consequatur quàm ei debetur.[c] *Est autẽ compensatio, debiti & crediti inter se contributio.*[d] *Hæc ideo est necessaria, quia interest nostra potius non soluere, quàm solutũ repetere.*[e] *Sed non paßim compensationes sunt admittendæ. Quid enim si actor debere se negauerit, sitq; causa ita dubia & intricata, ut longiorem disceptationem desideret? Certè tunc satis est miserabile (inquit* Imp. *Iustinianus) post multa fortè uariaq; certamina, cùm res iam fuerit approbata: ex altera parte, quæ iam penè cõuicta est, opponi compensationem certo & indubitato debito, et moratorijs ambagibus spem condemnationis excludi.*[f] In *hoc ergo casu iudex debet litem præsentem sua sententia finire, causa*

c §. sunt prçterea quædã, inst. de actionibus.

d l. 1. ff. de compens.

e l. 3. ff. eod.

f l. fin. C. de cõpensation.

a l. si quis uel pecun. C. depositi uel contra.

b l. fin. §. fin. C. de cōpens.

c l. quod in diem. ff. eod.

d l. si debeas. ff. eod.

e l. quod Labeo. ff. eod.

f l. si cum militi. ff. eod.

g l. si in rem suam. ff. eod. & l. eius quod C. eod.

h l. penult. ff. eod.

i l. uerum est. & l. si quid à fide iuss. ff. eo.

k l. quęcunque per. ff. eod.

l l. postea quam. ff. eod.

m l. eius quātitatis. C. de solutionibus & liberation.

n l. etiamsi. C. de cōpens.

compensationis in aliud iudiciū reseruata. De*positi insuper actioni compensatio opponenda non est, ne sub prætextu compensationis, depositarū rerum quis exactione defraudetur.* [a] Item *si quis quòd possessionem alienam perperàm occupauit, conuenitur, compensationi locus non est.* [b] Id *quoq; debitum quod in diem debetur, nisi dies uenerit, compensari non potest.* [c] Item *si debeātur decem, aut homo utrum aduersarius uelit, si aduersarius non dixerit utrū uelit, compensari debitū nequit.* [d] *Si item alicui petitioni compensatio specialiter est destinata, in cæteris non obijcietur.* [e] Adhæc, *quod alius debet, alius compensare non potest:* [f] *quemadmodum nec quod alteri debetur, alter potest compensare.* [g] V*nde nec tutori pupillorum nomine agenti, compensatio eius quod ipse debet, obijci potest.* [h] F*ideiussor sanè conuentus tam id quod sibi, quàm quod reo debetur, potest compensare.* [i] P*orrò debitum id non uidetur, cuius petitio exceptione perimi potest.* [k] P*rocurator, qui compensationem rei conuēti nomine opponit, de rato cauere necesse non habet.* [l] E*ius quantitatis, cuius petitionem compensationis ratio excludit, usuræ non debentur:* [m] *sed sola petitio eius, quod amplius debetur, relinquitur.* [n] De*niq; si iudex compensationē oppositam, quasi non exi-*

non existente debito reprobauit, exceptio rei iudicatæ obstabit reo petenti: sin autẽ uel iudex rationem eius non habuerit, uel reus eam non opposuerit, salua manet reo conuento petitio.[a]

Porrò dotis quoq; repetitio propter retentionem minuitur: nam impensæ in res dotales factæ, ipso iure dotem minuunt.[b] Impensarum *autem quædam sunt necessariæ, quædam utiles, quædam uoluptariæ.*[c] Vtiles *autem impensæ dotem ipso iure non minuunt,*[d] *nedum uoluptariæ.*[e] Ergo *necessariæ tantum dotem minuunt. Sunt autem necessariæ, quæ habent in se necessitatem impendendi.*[f] Et *quibus non factis, dos minuitur.*[g] Vtiles *uerò sunt, quas maritus utiliter fecit, quæq; rem mulieris meliorẽ reddunt.*[h] Voluptariæ *deniq; sunt, quas maritus ad uoluptatem fecit, & quæ species exornant.*[i] Vti*les sanè exigi possunt, non deduci:*[k] *nisi uoluntate mulieris factæ sint.*[l] Voluptariæ *quoq; exigi possunt, nisi mulier patiatur maritum ornatum tollere.*[m] *Sed de compensationis exceptione, hactenus sit dictum.*

a l. quod in diem. & l. si ambo socij. §. si quis igitur. ff. de compensation.

b §. item si de dote. instit. de actionib.

c l. 1. §. 1. ff. de impensis in rebus dotalibus factis.

d l. uoluptariæ. ff. eod.

e l. in uoluptarijs. ff. eo.

f l. 1. ff. eod.

g l. impensæ. ff. eod.

h l. quod dicitur. §. fin. ff. eod.

i l. uoluptariæ. ff. eod.

k l. uoluptariæ. ff. eod.

l l. utilium. ff. eod.

m l. & pro uoluptarijs. ff. eod.

De exceptione, de eo quod facere potest. Caput V.

S*Vnt præterea quædam actiones, quæ non ultra id quod potest reus conuentus facere competunt.*[n] Et *ideo si facultates rei con-*

n l. sunt qui in id. ff. de re iudicata.

uenti non sufficiũt, non solidũ persequutur. Huius generis est, si quis ex donatione sua cõueniatur. Nã hic ultra id quod facere potest, damnari non debet: [a] nisi creditori eius, cui donare uolebat, sit delegatus: tunc enim in solidũ tenetur. [b] Itẽ si quis pro socio actione conuenitur, ultra id quod facere potest, damnandus non est. [c] Socius autẽ omniũ bonorũ accipi debet: is autẽ qui socium se negat, uel ex doli clausula obligatus est, non habet hãc exceptionẽ. [d] Marito quoq; qui dotis actione conuenitur, hæc exceptio datur. [e] Cauere tamẽ maritus debet, quòd si ad meliorẽ fortunam peruenerit, etiam quod minus persoluit, uelit restituere. [f] Quid tamen, si pactus sit antea, ut in solidum cõueniatur, an hoc pactum utile est? Vlpianus negat. [g] Etiamsi ergo iudex iuris ignorantia lapsus, condemnauerit eum in solidum, doli tamen exceptione tutus est. [h] Quatenus autem maritus facere poßit, rei iudicatæ tempus spectatur. [i] Parentes quoq; non ultra id quod facere possunt, sunt conueniendi. [k] Idem quoq; obseruatur, si maritus uel uxor conueniantur. [l] nisi rerum amotarum actio sit: tunc enim in solidum tenentur. [m] Miles quoquè, qui sub armata militia stipendia meruit, eatenus quatenus facere potest, est condemnandus. [n] Hi tamen omnes in solidum tenentur, si dolo fecerint quo

a l. inter eos. §. is quoq;. ff. de re iudic.
b l. ne ennius §. 1. ff. eod.
c l. sunt qui in id. ff. eod.
d l. sed hoc ita. §. fin. ff. eo.
e l. patronus. ff. eod.
f §. cum autẽ in ex. C. de rei uxoriæ acti. & l. nec maritus. C. soluto matrim. quẽadm. dos.
g l. alia causa est. ff. soluto matrimonio quẽadm. dos.
h l. ex diuerso. §. fin. ff. soluto matrim.
i l. rei iudicatæ. §. 1. ff. soluto matrim. quemadmod.
k l. sunt qui in id. ff. de re iudicata.
l l. non tantum. ff. eod.
m l. si rerum amot. ff. eod.
n l. miles §. 1. & l. item miles. ff. eod.

rint quo minus poßint, [a] *uel substantia eorum deminuta sit.* [b] Exceptio quoque *hæc prædictarum personarum fideiussoribus & hæredibus non prodest:* [c] *nisi filij mulieris, hæredes sint mariti patris sui.* [d] Plane *procuratoribus & defensoribus hæc exceptio datur,* [e] *nisi cum procuratore mariti actum de dote fuerit, isq; iam marito mortuo damnatus sit: tunc enim procurator in solidum tenetur.* [f] Socero *quoq; mariti prodest hæc exceptio:* [g] *nisi ex sua promißione conueniatur.* [h] Quantum *autem quisque facere poßit, intelligitur non deducto ære alieno.* [i] Si *tamen ex causa donationis conueniatur, æs alienum deducendum est: imò non totum quod habet, ei est extorquendum, sed ipsius ratio habenda est, ne egeat.* [k] Pinguius *enim donatori succurrere debemus, quàm ei qui uerum debitum persoluere compellitur, ne ex liberalitate sua inops fieri periclitetur.* [l] Parentibus *quoq; aliquid est relinquendum.* [m] *Sed hæc de exceptione, quæ de eo quod facere potest, datur, dicta sufficiant.*

c 4

a l. si quis do lo. §. 1. ff. eod. & l. etiam filios. ff. soluto matrimonio quemadmodum dos.
b §. cum autem in ex. C. de rei uxoriæ actione.
c l. etsi fideiussor. ff. de re iudicata. & l. maritum. cum l. sequent. ff. soluto matrimonio.
d l. etiam filios. §. 1. ff. soluto matrimonio quemadmodum dos.
e l. alia causa. ff. eod.
f l. si cū procur. ff. de re iudicata.
g l. rei iudicatæ. §. fin. cū l. sequent. ff. soluto matrimonio.
h l. sicut autē. cū l. sequent. ff. de re iudic.
i l. sunt qui in id. ff. eod.
k l. inter eos. §. fin. ff. eod.
l l. & exhæredatum. §. fin. ff. de re iudicata.
m l. cùm ex causa. ff. eod.

Tertium exceptionum genus, quod ex persona actoris uel accusatoris sumitur. Cap. VI.

SEquitur, ut reliqua exceptionum genera persequamur. In quibus quidem (autore Quintiliano) de ipsa re seu causa quæri non est necesse: quoties tamen poterimus, efficiendum est, ut de re quoq; bene sentiat iudex: sic enim iuri nostro libentius indulgebit. Cùm autem actionum quatuor personæ sint: actoris nimirum, rei conuenti, procuratoris & iudicis: quatuor item exceptionum genera hinc oriuntur, quorum primum est, quod ex persona actoris oritur. In quo exceptionis genere reus omissa causa principali, dicit actori, nõ esse ius agendi, uel accusatori non esse ius accusandi. Nam etiamsi causa agendi uel accusandi iustißima sit: tamen non cuiuis uel actio uel accusatio compe tit. Prohibentur (inquit Macer iurisconsultus) [a] accusare alij propter sexum, uel ætatem, ut mulier & pupillus: alij propter sacramentum, ut qui stipendium merentur: alij propter magistratum, potestatem ue, in qua agentes, sine fraude in ius euocari non possunt: alij propter delictum propriũ, ut infames: alij propter turpem quæstum, ut qui duo iudicia aduersus duos reos subscripta habet, nũmos ue ob accusandum uel non ac-

a l. qui accu sare. ff. de accusationibus & inscrip.

non accusandum accepit: alij propter conditionem suam, ut filij circa parentes, liberti circa patronos: alij propter suspicionem calumniæ, ut illi qui falsum testimonium subornati dixerunt: nonnulli propter paupertatem, ut sunt qui minus quàm quinquaginta aureos habent. Omnes tamen huiusmodi personæ, si suam iniuriam exequantur, mortem'ue propinquorum defendant, ab accusatione non excluduntur. [a] *Parentem quoq;, patronũ, patronam, liberos, parentes patroni, patronæ'ue, olim in ius sine permissu Prætoris uocare non licebat.* [b] *Sunt præterea quædã actiones, quæ hæredibus non dantur: ut est actio iniuriarum.* [c] *Post litem tamen contestatam, ex omni causa actio ad hæredem transit.* [d] *Is quoq;, cuius nihil interest rem subreptam esse, licet rei dominus sit, furti actione experiri non potest: ideoq; hoc exceptionis genere potest submoueri.* [e] *In actione quoq; hypothecaria, si forte duobus eadem res diuersis temporibus in solidũ pignori sit obligata, prior creditor potior est: ideoq; posterior pignus petendo potest excludi. Item si quis stipulatus sit sibi aut Titio dari: Titio quidem recte solui potest, actio autem ei non datur. Sed etsi actori sit ius agendi, non tamen semper habet ius postulandi, neq; legitimam personam in iudicio stan-*

a l. hi tamen. §. 1. ff. eod.

b l. quisque litigandi. §. 1. ff. de in ius uocando.

c §. non autẽ omnes. inst. de perpetuis & temporalibus actionibus.

d l. nemo enim in perse. ff. de reg. iuris. & §. non autem omnes instit. de perpetuis &.

e §. furti autem. instit. de oblig. quæ ex delicto nasc.

di. Cùm enim postulare sit, desiderium suum uel amici sui in iure, apud eũ qui iurisdictioni præest exponere, uel alterius desiderio contradicere: quibusdam causa decoris, & dignitatis iudicis tuendæ gratia, hoc postulandi iure est interdictum. Horum tres sunt ordines. *nam quidam in totum postulare prohibentur: quibusdã pro se tantùm postulare permittitur, pro alijs non: quibusdam uerò & pro se, & pro certis duntaxat personis.* In *totum igitur postulare prohibentur quidam, aut propter pueritiã suam, aut propter casum. propter pueritiam postulare prohibetur, minor decem & septem annis: propter casum uerò, ut surdus qui prorsus non audit.* Nec *enim permittendum est ei postulare, qui decretum* Prætoris *exaudire non potest: quod etiam ipsi periculosum futurum esset. nam non exaudito decreto* Prætoris, *quasi non obtemperasset, pœna ut contumax plecteretur.* [a] Pro*pter dignitatem quoq; quidam in totum postulare prohibentur: ut sunt illustres.* [b] H*æ igitur personæ non nisi per aduocatũ postulare possunt: proinde ipsæ hoc exceptionis genere à postulando possunt submoueri. aduocatum autem non habentibus,* Præ*tor pollicetur se daturum.* [c]

Quartum

a l.1.§.1.ff.de de postulan.

b l. penult. C. de procura. & Nouell. c. ut illustres in pecuniarijs omnimodo.

c l.1.§.ait prætor.ff. de postulando.

Quartum genus exceptionum, quod oritur ex persona rei conuenti. Caput VII.

SAepe euenit, ut causa quidem, ex qua agitur, iustißima sit, actori quoq; actio competat: non tamen aduersus eum qui conuenitur, sed aduersus alium aliquem. Hinc actiones olim non in ipsos seruos, neq; in filiosfamiliarum dabantur, sed in dominos atque parentes. Non item omnis actio, quae in defunctum competebat, aduersus haeredes quoq; eius competit. Est enim certißima iuris regula, ex maleficijs poenales actiones in haeredem rei non competere. ueluti furti, ui bonorum raptorū, iniuriarum, damni iniuriae.[a] *Planè post litem contestatā poenalis, imò omnis omnino actio, in haeredē transit.*[b] *Sed & ex contractu quoq; actiones, quādoq; in haeredes non dantur: ueluti cùm testator dolose uersatus sit, & ad haeredem eius nihil ex eo dolo peruenit.*[c] *Poenali quoq; actione haeres tenetur de eo, quod ad eum ex dolo defuncti peruenit.*[d] *Sicuti poena ex delicto defuncti haeres teneri non debet: ita nec lucrū facere, si quid ex ea re ad eum peruenisset, inquit Pomponius.*[e] *Sed is qui se haereditate abstinuit, neque ex maleficio defuncti tenetur.*[f] *Sanè nec is, qui conscripto inuētario adijt haereditatem, debet*

a §.non autē omnes. instit. de perpetuis et tempora. & l.pupillum. ff. de reg.iuris.
b d.§.non autē omnes.inst. de perpet. & temp. & l.omnes poenales. ff. de actionibus & obligat. & l.1.C. ex delictis defunctor. & l. poenalia.ff. de reg.iur. & l. sciendum est. ff. de actio.& obl.& l.nemo enim in. & l. omnes actio. ff.de reg.iur.
c d.§.non autē omnes.inst. de perpet. & temp.
d l.1.C. ex delictis def.
e l.sicuti poena.ff. de reg. iuris.
f l.necessarijs haeredib. ff.de acqu.uel omit. haer. & l.1.C.de repu. uel absti.haer.

debet ultra quàm uires hæreditatis patiuntur, conueniri.[a] *Quæ autem actiones in hæredem dantur, eæ in hæredis quoq; hæredem competunt. Hæredis autem appellatione continetur, qui ex certa parte, uel sine parte, non is qui ex certa rescriptus est hæres. Nam is cui certa res relicta est, legatarius dicitur, qui actionibus hæreditarijs non tenetur.*[b]

a l. fin. C. de iure deliberand.

b l. penult. C. de hær. instituē. & l. fin. C. de actionibus hæred.

Quintum exceptionum genus, quod ducitur ex persona procuratoris: seu, de exceptione procuratoria.

Cap. VIII.

Procuratoris quoque persona quandoque submouetur exceptione procuratoria. Nascitur hæc exceptio uarijs ex causis: partim ex causa efficiente procuratoris, partim ex conditione ipsius procuratoris: partim ex causa materiali, cui procurator datus est: partim deniq; ex causa formali. Causa efficiens procuratoris est, mandatum. Si ergo mandatum uel nullum est, uel inutile, exceptioni procuratoriæ locus est. Procurator enim est, qui aliena negocia mandatu domini administrat.[c] *Si ergo mandatum non est, non potest esse procurator. Sunt tamen quædam personæ, in quibus mandatum non exigitur. Sic liberi causas, parentum absentiū sine mandato agere possunt:*[d] *parentes cau-*

c l. 1 § 1. ff. de procurato.

d l. exigendi. C. de procu.

tes causas liberorum,[a] *frater causam fratris,*[b] *affinis causam affinis,*[c] *maritus causam uxoris:*[d] *socius quoq; causam sibi cum absente socio communem, post litem legitimè ordinatam, sine mandatu agere potest.*[e] *Sanè hæ quoque personæ, si euidens sit contra uoluntatẽ eorum pro quibus interueniunt, eas experiri, repellendæ sunt.*[f] *Actionem ergo alterius nomine, sine mandatu domini, intendere nemo potest.* Vnde *dicit* Caius *iurisconsultus:* Soluendo *quisq; pro alio, licet inuito & ignorãte, liberat eum: quod autem alicui debetur, alius sine uoluntate eius non potest iure exigere.*[g] *Quid tamen, si quis sine mandatu absentem in ius uocatum uelit defendere: nónne est admittendus?* Est: *quia publicè utile est, absentes à quibuscunq; defendi: nam & in capitalibus iudicijs defensio datur.* Vbi*cunque itaque absens quis damnari potest, ibi quemuis uerba pro eo facientem, & innocentiam excusantem, audiri æquum est, & ordinarium admittere:*[h] *satisdatione pro defensione præstita.*[i] Non *autem sufficit mandatum esse: sed & utile, legitimum'ue mandatum esse debet.* Nam *parum interest, mandatum non sit, an is qui mandauit, ius mandandi non habuerit: ut est minor uigintiquinq; annis.*[k] Procurator *etiam alium procuratorem ad agendum dare non potest, nisi*

a l. sed ex personæ § 1. ff. de procuratorib.

b ibidem.

c ibidem.

d l. maritus. C. de procuratoribus.

e l. 2. C. de consortibus eiusdem litis.

f l. Pomponius scribit § in his autem. ff. de procur.

g l. soluendo ff. negociorũ gest.

h l. seruum quoq § publicæ. ff. de procur.

i l. exigendi. C. eod.

k l. non eo minus. C. de procur.

test, nisi post litem contestatam. Quod de tutore quoq;, & curatore, respondetur.[b] *Mandatum quoq; inefficax fit, si dominus mandatum reuocauerit, uel alium postea procuratorem dederit. Nam is qui diuersis temporibus duos procuratores dedit, priorem prohibuisse uidetur.*[c] *Pluribus item procuratoribus in solidum simul datis, occupantis melior est conditio, ita ut posterior non sit in eo quod prior petit, procurator.*[d] *Licet autem procuratio mandata sit, & quidem utiliter: tamen procurator fines mandati excedere non debet, & ab ijs causis quæ ei mandatæ non sunt, procuratoria exceptione potest repelli.*[e] *Ad hæc, si persona procuratoris non est satis idonea, procuratoriæ exceptioni locus est: ut si procurator datus furiosus sit,*[f] *uel miles,*[g] *uel mutus, uel surdus:*[h] *uel fœmina:*[i] *uel potentior,*[k] *ut fiscus & respublica.*[l] *Item si procurator sit minor uiginti quinque annis,*[m] *uel reus criminis alicuius,*[n] *uel clericus, &c.*[o] *Postulare item pro alijs prohibentur alij propter sexum, ut fœminæ: alij propter casum, ut cæcus: alij propter turpitudinem & infamiam, ut is qui corpore suo muliebria passus est: item qui capitali crimine damnatus est: item calumniæ causa iudicio publico damnatus.*[p] *Hi ergo pro alijs postulare*

prohi-

a l. quod quis sibi. C. eod. & l. si quis procurat §. si quis mandat. ff. mãdati, uel contrà.
b l. ne. p tutores. C. de procurato.
c l. si quis cũ §. fin. ff. eod.
d l. pluribus ff. eod.
e l. maritus. §. fin. C. eod.
f l. 2. ff. eod.
g l. filiusfam. §. milit. ff. eo
h l. mutus. ff. eod.
i l. alienã. C. eod.
k C. ne liceat potent.
l C. ne fiscus uel resp. procurat.
m l. minor uigint. ff. de procur.
n l. reũ crim. C. eod.
o l. placet nostr. C. de episcop. & cler.
p l. 1. ff. de postulando.

prohibentur, etiam si aduersarius eos postulare patiatur.[a] Non omnes insuper actiones per procuratorem institui possunt.[b] Nam publica iudicia per procuratorem exerceri non possunt.[c] *In pecuniarijs sanè controuersiis (inquiunt* Impp. Arcadius *&* Honorius*) paßim unicuique per procuratorem respondendi tribuimus facultatem: nisi fortè quosdam iustiores nonnunquam, ob causas uehementiores, maximi iudicis uocabit authoritas.*[d] *Si item actor dominum potius malit conuenire, quàm eum qui in rem suam procurator datus est, dicendum est ei licere.*[e] Datur denique procuratoria exceptio ex causa formali procuratoris: hoc est, si non faciat ea quæ sunt sui iuris atq; officij: ut est cauere de rato, & iudicatum solui, item defendere eum cuius nomine agit.[f] Cauere autem de rato procurator debet, siue actionẽ sibi alterius nomine dari postulet,[g] siue alium defendat.[h] Quia nemo alienæ litis idoneus defensor, sine satisdatione intelligitur.[i] Si tamen pater filij nomine iniuriarum agat, non habet necesse cauere filium ratam rem habiturum: quia duæ actiones sunt, una patris, altera filij.[k] Dotis autem nomine agens pater, filiam ratum habituram cauere debet.[l] Actor quoq; à tutore datus, de rato cauere debet. Alia ratio

est acto-

a l. quos prohib. ff. eod.
b l. Pomponius. §. 1. ff. de procur.
c l. penult. ff. de publ. iud.
d l. fin. C. de procur.
e l. si act. malit. ff. eod.
f l. mutus. §. pœna. ff. de procur. & l. actionẽ. C. eo.
g l. seruum quoque §. ait præt. ff. eod.
h l. qui proprio. §. qui aliam. ff. eod.
i ibidem.
k l. non solũ autem. §. si pater. ff. eod.
l l. eadem. §. si de dote. ff. eod.

a l. actor. ff. ratam rem habere. & de ratihab.

b l. 1. C. de procurat.

c l. 1. §. 1. C. de satisda.

d l. si procuratorem. ff. de procuratoribus. & l. ne satisdatio. ff. ratam rē haber.

e l. Pomponius scrib. §. ratihabition. ff. de procur.

f l. Pomponius. §. sed & si. ff. eod.

g l. non solū autem §. est & & casus. ff. de procurat.

h l. si defunc. §. fin. ff. eod.

i l. qui proprio §. 1. ff. eo. & l. si ad defendam. ff. iudicatū solui.

k l. de die ponenda. §. si seruus. ff. qui satisdare coga.

l d. l. de die ponenda. §. si fideiuss. ff. eo.

est actoris ciuitatis. Nam nec is, nec magister uniuersitatis, nec curator bonis consensu creditorum datus, necesse habent de rato cauere.[a] *Cautio tamen ratihabitionis (ut inquit* Imp. Antoninus*) tunc exigitur, quoties incertum est, an negocium mandatū sit.*[b] Proinde *si uel apud acta procurator factus est,*[c] *uel dominus scripsit se uelle illum procuratorē habere, & se ratum habiturum: cautione de rato opus non est.*[d] *Ratihabitionis autem satisdatio (inquit* Vlpianus*) ante litis contestationem à procuratore exigitur. Cæterùm semel lite contestata, non compellitur ad cautionem.*[e] Interdum *licet iudicatum solui satisdatum sit, de rato tamen est cauendum: & si in rem actione conuentum defendat,*[f] *uel eum contra quem in integrum institutio postulatur:*[g] *uel si ad communi diuidundo iudicium agendum datus est.*[h]

Porrò *iudicatum solui quoq; procurator satisdare debet, nisi pro eo dominus litis satisdederit.*[i] *Si autem uel minorem uigintiquinq; annis, uel mulierem fideiussorem dederit, satisdatio inutilis est: ideoq; ex integro cauendum.*[k] *Idem dicendum est, etsi fideiussor iudicatum solui stipulatori hæres extiterit, uel stipulator fideiussori.*[l] Nihil *autē refert, utrum ipsi actori, an uerò procuratori eius, uel tutori, uel curatori iudi-*

ri iudicatū solui satisdatum sit.[a] Si tamen talis persona interueniat, à qua mandatum non exigitur, ut est actoris parens & filius, item maritus, non committitur iudicatum solui stipulatio, nisi ei fuerit mandatum uel ratum habitum: ideoq; ex integro erit cauendum.[b]

Postremò procurator ad agendum datus, defendere dominum utiq; debet, aut actionem omittere.[c] Est autem defendere, id facere quod dominus in litem faceret, & cauere idoneè.[d] Nihil autem interest, utrum cum mandato agat, an sine mandato. Nam & eæ personæ procuratorum debebūt defendere, quibus sine mandato agere licet: utputa sunt liberi, parentes, fratres & affines.[e] Proinde pater de dote agens, filiam etiam defendere debet.[f] Actor quoque uniuersitatis si agat, defendere compellitur.[g] In popularibus sane actionibus, ubi quis quasi unus ex populo agit, defensionem ut procurator præstare cogendus non est.[h] Neq; item defendere habet necesse is, qui in rem suā procurator est, nisi ex causa lucratiua, & non ex necessitate agat.[i] Si tamen dominus præsens sit, procurator ad defendendum cogendus non est.[k] Idem dicendum, etsi aliam iustam causam habeat, cur iudicium accipere nolit.[l] nam ex causa non debebit compelli: utputa si inimicitiæ

a l.3.§.stipulationem.ff.iudicatū solui.

b l.3.§.sed si forte.ff.eod.

c l.mutus.§.pœna.ff.de procur.

d l.sed & ex person.§.defendere.ff.eo.

e l.sed & ex .§.1.ff.eod.

f l.non solum autem §. si de dote.ff.eod.

g l.ité eorū.§.actor.ff.quod cuiusq; uniu.

h l.mutus.§.in popularib.ff.de procur.

i l.seruum quo.§.si.& l.si quis in rem.ff.eo.

k l.uel hæred.ff.eod.

l l.non cogēdū.§.sabinus.ff.eo.

capitales interuenerint inter ipsum dominum & procuratorem:[a] *etsi affinitas dirępta sit.*[b] *Item si ualetudinem uel peregrinationem necessariam alleget.*[c] *Item si hæreditas superueniens eum impediat, uel alia iusta causa:*[d] *si bona absentis poßideri cœperint:*[e] *si dignitas procuratori accesserit:*[f] *uel Reipub. causa affuturus sit.*[g] *Mors autem domini ante litem contestatam superueniens, non excusat procuratorem, pro quo defunctus iudicatum solui satisdedit.*[h] *Sane in competenti tribunali, & eadem prouincia absentem defendere debet: cogi autem eum in prouinciam de Roma abire, uel è contrario, uel à prouincia in aliam prouinciam, & defendere, durum est.*[i] *Proinde tutores, quo in loco administrauerunt, eodem loco & defendi debent.*[k] *Cæterùm non sufficit defendere, sed boni uiri arbitratu defendere debet.*[l] *Non autem boni uiri arbitratu defendere uidetur is, qui actorem frustrando efficiat, ne ad exitum controuersia deducatur.*[m] *Defendere autem uidetur, etsi in poßeßionem uenire patiatur, cùm quis damni infecti satisdari, uel legatorum nomine desiderat,*[n] *uel in operis noui nunciatione.*[o] *Non tamen debet deterior conditio defensoris quàm domini esse, præterquàm in satisdando.*[p] *Non tamen solùm*

a l. filiusfa. §. uerū ex caus. ff. eo.
b l. mutus. §. fin. ff. eod.
c l. aut si ualetudinē. ff. eo.
d l. uel hæreditas. ff. eo.
e l. mutus. §. fi. ff. eo.
f l. filiusfa. §. uerū ex caus. ff. eo.
g ibidem.
h l. si defunctus. ff. eod.
i l. sed & ex personæ. §. nō solum autem. ff. eo.
k l. neq; fœm. ff. eo.
l l. seruū quoque §. ait prætor. & l. omnis qui. ff. eo.
m l. ll. ff. eo. l.
n l. sed & eę. §. fi. ff. eo.
o l. uel in operis. ff. eo.
p l. sed & ex. §. defendere. & l. minor uiginti. ff. eo.

solùm si actio postuletur à procuratore, sed etsi præiudicium, uel interdictum, uel si stipulatione legatorum uel damni infecti uelit caueri, debebit absentem defendere. [a] *Omnium item actionum nomine debet defendere, etiam earum quæ in hæredem non dantur. Sed si aduersarius plures intendat actiones, & in singulis singuli existant, defensionem suscipere parati, absens rectè uidetur defendi.* [b] *Non tamen eò usq; procedendum erit, ut si decem petantur, & existāt duo defensores parati in quina defendere, audiātur.* [c] *In interrogationib. quoq; procurator dominū debet defendere: ut in iure interrogatus, ex omnibus causis respondeat, ex quibus dominus.* [d] *Item si iudicium acceperit defensor, & actor in integrum restitutus sit, cogendus est restitutorium iudicium accipere.* [e] *Sed hæ sunt causæ, ex quibus procuratoria exceptio competit. Opponenda autem ea exceptio ante litis contestationem est. nam post litem contestatam frustra opponitur.* [f]

Qui autem hanc exceptionem semel remisit, non poterit eam postea ex pœnitentia opponere. [g]

a l. sed & eæ §. non solum. ff. eod.

b l. omnium autem. ff. de procurato.

c l. non tamē eousq;. ff. eo.

d l. non solū autem §. 1. ff. e.

e l. qui proprio. §. itē quæ ritur. ff. eod.

f l. filiusfam. §. ueterani. & l. Pomponius §. ratihabit. ff. de procur. & l. ita demū. & l. licet. in prin. C. eod.

g l. qui procuratoriam. ff. eod.

Sextum exceptionum genus, quod sumitur ex persona iudicis, & de exceptione recusatoria iudicis. Cap. IX.

Sequitur, ut de ijs exceptionib. quæ ex persona iudicis oriuntur, dispiciamus. Eæ autem non sunt unius generis: nam iudex declinari potest partim propter suam ipsius conditionem, propter quam iudex omnino esse non potest. nam non omnes (inquit Paulus*) iudices dari possunt. Quidam enim lege impediuntur ne iudices sint, ut qui senatu motus est: quidam moribus, ut fœminæ & serui: quidam natura, ut surdus & mutus, & perpetuò furiosus, & impubes.* [a] Partim propter ipsius causæ & *litigatorum conditionem declinari iudex potest, cùm scilicet illius iudicis, ad quem uocatus reus est, non est iurisdictio, de tali causa, uel inter huiusmodi litigatores. nam apud alium iudicem causa ciuilis, apud alium criminalis causa est agenda: item apud alium milites litigare solent, apud aliũ pagani: apud alium clerici, laici apud alium.* Proinde *ex persona iudicis duplex sumitur exceptio: quarũ altera quidem uocatur fori præscriptio, seu declinatoria fori, uel aduersus iurisdictionem, altera uerò recusatoria iudicis.* De

a l. cum prætor §. non aut. ff. ubi quis agere uel conueniri deb.

cis. De recusatoria iudicis primùm dicetur, post ea de fori præscriptione.

Recusatur ergo iudex surdus, mutus & perpetuò furiosus, ut iam dictũ est. Cæcus sanè iudex esse potest.[a] Impubes quoq;, ut dictũ est, iudex esse non potest;[b] neq; minor decem & octo annis.[c] Non possunt item iudices esse fœminæ, & qui senatu moti sunt, ut iam dictum est. Actoris quoq; pater, uel filius, uel maritus actricis, & c. recusari potest. Quoniam is qui iurisdictioni præest neq; sibi ius licere debet, neq; uxori, uel liberis suis, cæteris ue quos secum habet. l. qui iurisdict. ff. de iurisdi. Planè in priuatis negocijs (inquit Africanus) pater filium, uel filius patrem iudicem habere potest. l. 77. ff. de iudicijs. Is quoq; qui neq; iurisdictioni præest, neque à principe potestate aliqua præditus est, neq; ab eo qui ius dãdorũ iudicũ habet, datus est: nec ex compromisso sumptus, uel ex aliqua lege cõfirmatus est, hac exceptione potest recusari.[d] Hinc et is cui iurisdictio mãdata uel delegata est ab eo, cuius iurisdictio nõ fuit, quiq; eam nõ suo iure, sed alieno beneficio habuit, potest recusari.[e] Iudicem autem dare possunt (ut inquit Paulus) quibus lege, uel constitutione, uel senatusconsulto conceditur: lege, sicut proconsul. Is quoq; cui mandata iurisdictio est, iudicem dare po-

a l. certus. ff. ubi quis agere conueniri. & l. 1. §. quãuis. ff. de postuland.

b l. quidam cõsulebatur. ff. de iudicia.

c ibidem.

d l. qui neq; iurisdi. ff. ubi quis agere uel conueniri.

e l. more maiorum. ff. de iurisd. & C. qui pro sua iurisdictione iudices dare. & l. à iudice. C. de iudicijs.

test: ut sunt legati proconsulũ, item hi quibus id propter uim imperij est concessum, sicuti Præ*fectus urbi, cæteriq́;* Romæ *magistratus.* [a] Ma*g ratus autem qui iudicis dandi potestatem habet, eo die quo priuatus futurus est, iudicem dare non potest.* [b] Sed *etsi is qui iudicem dedit, uel iurisdictionem mandauit, ius dandi iudicem uel mandandi habuit: si tamen antequàm res ab eo cui mandata est iurisdictio, geri cœperit, decesserit, soluitur mandatum, & propterea iudex recusari potest.* [c] Idem *est, etsi ad tempus iudex datus est, tempusq́; effluxit, nisi fortè cõsensu partium tempus prorogatur.* [d] Ad *hæc quamuis utiliter iudex datus sit, si tamen ab altero litigatorum hæres scribatur, iure potest recusari.* [e] Iudex *insuper pedaneus dari uel mutari potest ex hisce potißimum causis: propter occupationes iudicis ordinarij publicas: propter causarum multitudinem:* [f] *item si aliud iudicium necessariò dirigatur, uel publicæ utilitatis ratione in alias prouincias proficiscatur, uel diem obierit,* [g] *uel aliqua incidat infirmitas, uel rei suæ familiaris peculium:* [h] *& si furere incipiat.* [i] Hisce *ergo causis cessantibus si iudex pedaneus datus sit, uel mutatus ordinarius, exceptioni iudicis recusatoriæ locus est. Sed etsi numerus iudicum non sufficiens dicitur, hanc*

a l. cum prætor unum. ff. ubi quis agere uel cõuen.

b l. eum qui iudicare. ff. de iurisdictione.

c l. & quia nec. ff. de iurisdict.

d l. 2. §. si & iudex. & l. si in di. ff. ubi quis agere.

e l. Iul. ait. ff. ubi quis age.

f l. 2. C. de pedan. iud.

g l. placuit. C. de pedan. iud.

h l. si lõgius. §. 1. ff. ubi quis agere.

i l. iudex datus. ff. ubi quis agere.

tur, hanc exceptionem opponi posse puto. [a] *Nam sententia à quibusdam, non omnibus dicta, nullius est momenti.* [b] *Sed quando exceptio recusatoria locũ habeat, ex hisce est perspicuum.*

De fori præscriptionibus.

Cap. X.

IN *fori præscriptione reus conuentus non tam personam iudicis, quàm forum declinare contendit, dicens, præsentem causam non in hoc, sed in alio foro esse agitandam, iudicem non esse cõpetentem.* Et *sanè si apud non competentem iudicem litigatur, tũc siquidem actor in causa sit, ius agendi amittit: sin uerò reus, pro condemnato habetur: sin autem iudex, capitali animaduersione dignus censetur.* [c] *Ipsa deniq; sententia à non competente iudice dicta, nullius est momenti.* [d] *Iudex autem non competens censetur, partim ex persona ipsius litigatoris, partim ex genere causæ, partim ex quantitate rei petitæ, partim deniq; ex loco in quo est cõtractum. Proinde apud aliũ iudicem agere uel excipere debẽt senatores & clarißimi,* [e] *decuriones & cohortales:* [f] *apud alium homines priuati, apud alium milites, apud alium pagani,* [g] *apud alium clerici, laici apud alium.* [h] *Scholaribus quoq; propriũ forum, in quo conueniendi sunt,*

a l. Illa decreta. ff. de decretis ab ordine fac.

b l. duo ex tribus. ff. de re iudic. & l. sic & trib. ff. de receptis, qui arbitr. & l. cum magistratus. C. quãdo prouocare nõn est necesse.

c l. in criminal. C. de iurisdic. omn. iud.

d C. si à non cõpetente iudice iud.

e C. ubi senatores uel clariss.

f Nouell. c. 151. ne decurio aut cohortalis, pdu. &c.

g l. magisteriæ. C. de iurisd. omn. iudi.

h Nouel. c. 83. ut clerici apud proprios episcop. &c. item c. 97. apud quos,

addicitur cõstitutione Imp. *Friderici.* [a] *Præterea sciendũ est hoc loco, quòd actor domicilium rei conuenti, nec reus conuentus domiciliũ actoris sequi habeat necesse.* [b] *Iuris ordinem (Impp.* Dioclet. *&* *Maximian. inquiunt) conuerti postulas, ut non actor rei forum, sed reus actoris sequatur.* Nam *ubi domiciliũ reus habet, uel tẽpore contractus habuit, licet hoc posteà trãstulerit, ibi eum conueniri oportet.* [c] *legationis ergo uel prouocationis causa, uel ob aliam aliquam causam peregrinantibus datur ius reuocandi domum suam, si conueniantur; nec ei qui prouocauit, imponitur necessitas intra tempora prouocationis exercendæ* Romæ *uel alio loco, ubi prouocatio exercetur, alijs pulsantibus respondere.* [d] *Sed tamen quòd de peregrinantibus dictum est, tunc locũ habet, si non ibi contraxerint, ubi peregrinantur & conueniuntur.* Nam *si ibi contraxerint, reuocandi domum ius non habent.* [e] *Quisq; enim ibi debet se defendere, ubi contraxit.* [f] *Excipiuntur tamen legati.* [g] *Contraxisse autem unusquisq; in eo loco intelligitur, in quo ut solueret se obligauit.* [h] *Si itẽ peregrinantes in peregrino loco actionem aduersus aliquem intendant, coguntur se ibi etiã aduersus reum conuentum in reconuentionib. defendere.* [i] *Qui non cogitur (inquit* Paulus*) in aliquo*

a Constitut. Frider. quæ incipit, Habita quidẽ super. §. fi.

b l. iuris ordinem. C. de iurisd. omn. iud.

c ibidem.

d l. 2. §. legatis. ff. ubi quis agere uel cõue.

e ibidem.

f l. hære. absens. ff. eod. & C. ubi de possessione agi oport. itẽ No i el. c. 68. §. hęc nos omn.

g l. 2. §. omnes autem. & l. si quis in legat. §. ubi quis agere uel conue.

h l. contraxisse. ff. de act. & oblig.

i l. 2. §. legatis. ff. ubi quis agere uel cõue.

aliquo loco iudicium pati, si ipse agat, ibi cogitur excipere actiones, & ad eundem iudicē mitti.[a] *Insuper si is qui in ius uocatus lite pendente alterius fori esse ceperit, fori præscriptionem opponere non potest: ideoq; nec hæres defuncti nomine conuentus alibi, quàm ubi defunctus iudiciū susceperit, defendendus est.*[b] Porrò *causa quoq; sæpe materiam præbet fori præscriscriptionis.* Alius enim iudex conuenit *causæ criminali, alius ciuili & pecuniariæ.* Vnde Vl*pianus inquit, latrunculatorē in re pecuniaria, iudicare nō posse.*[c] In rem quoq; *actio ibi exercenda est, ubi res est.*[d]Hinc *legata quoq; et fidei cōmissa interdū, ibi ubi res est, sunt petenda.*[e] Controuersiæ *quoq; feudales inter dominum quidem & uasallum, non apud ordinarios iudices, sed apud pares curiæ sunt agitandæ.*[f] In*ter capitaneos uerò apud* Imperatorem,[g] *inter minores deniq; ualuasores, itidem apud pares Curiæ.*[h] Rei *etiam quantitas facit, ut alius atq; alius iudex competat.* Sic *apud defensores ciuitatum non licebat olim causam, quæ trecentos aureos excedebat, agere.*[i] *Hinc ei qui supra suam iurisdictionem ius dicit, impunè non paretur.*[k] *Sed quoties de quantitate ad iurisdictionem pertinente quæritur, semper quantum petatur quærendum est, non quantum debeatur.*[l]

a l. qui nō cogitur. ff. eod. & Nouell. c. 96. de executoribus, & his §. illud quoq;
b l. hæres absens. §. 1. & l. si is qui Romæ, ff. ubi quis agere uel conuenire deb.
c l. solemus q. §. fin. ff. eod.
d l. fin. C. ubi in rem actio.
e l. quod legatur. item l. fi. fidei cōmiss. ff. ubi quis agere uel com.
f lib. 1. feu. ff. de contentione inter dominum & fidel.
g lib. 1. feu. ff. apud quē uel quos controuersia feudi defi.
h ibidem.
i Nouell. c. 15. de defensoribus ciui.
k l. extra territorium. ff. de iurisdictione.
l l. cum quædam. §. fin. ff. eod.

Hæc igitur sunt causæ potissimum, ex quibus alicuius iurisdictio potest declinari, & fori præscriptio opponi. Obseruandum tamen est, ne id quod in uno eodemq; iudicio potest terminari, apud diuersos iudices ex beneficij prærogatiua uentiletur: ut si quis alium super possessione, alium super principali quæstione iudicem postulauerit.[a] *Nec item audiendus is est, qui apud eum iudicē, à quo prouocauit in alia causa, aliam agere nolit.*[b] *Etsi autē, ut hactenus ostensum est, iudex competens existimatur pro persona litigatorū, pro genere causæ & quantitate rei petitæ, &c. tamen ut in cæteris causis, ita in hac quoq; maximè inspiciendum est, quid inter litigatores conuenerit: is enim non minus competens est censendus quem litigatores elegerunt, quàm is quem iura ministrant.*[c] *Si se subijciant aliqui (inquit Vlpianus) alicuius iurisdictioni, & consentiant: inter consentientes cuiusuis iudicis, qui tribunali præest, uel aliam iurisdictionem habet, est iurisdictio.*[d] *Eum ergo qui nulli præest iurisdictioni, iudicem non facit priuatorum consensus.*[e] *Etiam si autem in minorem uigintiquinq; annis consenserint, nihil interest. Error autem litigatorum non habet consensum.*[g] *Si per errorem alius pro alio prætor fuerit aditus (inquit Vlpianus) nihil*

a l. nulli prorsus. C. de iudicijs. & l. 1. C. de ordine iudiciorum.

b l. 1. ff. apud eum à quo appellatur, aliā causa age.

c l. quamuis hæreditas. ff. ubi quis agere uel conue.

d l. 1. ff. eod.

e l. 3. C. de iurisdictio.

f l. quidā cōsulebant. ff. de re iudicata.

g l. 2. § 1. ff. ubi quis agere uel conueniri deb.

nihil ualebit quod actum est: nec enim ferendus est, qui dicat consensisse eos in præsidē: cùm (ut Iulianus scribit) nō consentiant qui errant: quid enim tam contrarium consensui quàm error, qui imperitiam detegit?[a] *Etiā si autem nullus error interuenerit, sed legitimè facta conuentio sit: si tamen priusquàm iudex, in quem consensum est, adeatur, mutata uoluntas fuerit, nemo compellitur huiusmodi conuentioni stare.*[b] *Consensisse autem in iudicem non uidetur, qui genus actionis sibi apud iudicem edi desiderat.*[c] *Obseruandum insuper est, ne is iudex detur, quem altera pars nominatim petit: id enim iniqui exempli esse diuus Hadrianus rescripsit, nisi hoc specialiter à principe ad uerecundiam petiti iudicis respiciente permittatur.*[d] *Causæ ergo fori præscriptionis hæ sunt. Vt autem procuratoria, imò omnis dilatoria exceptio, ante litem contestatam est opponenda: ita quoq; fori præscriptio, & recusatoria iudicis.*[e] *Proinde ante litem contestatam recusare iudicem, & suspectum eum dicere licet, postea uerò nequaquam. Hactenus ergo de exceptionibus ex persona iudicis ductis, sit dictum.*

a l. si per errorem. ff. de iurisdict.

b l. si conuenerit. ff. eod.

c l. non uidetur. ff. ubi quis agere uel conuenire deb.

d l. obseruandū. ff. ubi quis agere uel conuenire deb.

e l. fi. C. de exceptionibus. & l. apertissimi. C. de iudicijs.

Septimum exceptionum genus, ex loco actionis sumptum.

Cap. XI.

DE loci exceptionibus poterat forte uideri satis superq; in praecedentibus dictũ esse. Nam qui dicit, non in hoc, sed in alio foro causam determinandam esse, ex loco actionis proculdubio excipit. Sed tamen alia quoq; ratione ex actionis loco excipitur; utputa si reus conuentus ad locum non satis tutum, uel parum honestũ uocatur. Si tamen uel flumẽ (inquit Vlpianus) sic abũdasset, ut impleßet omnẽ locũ, in quo sisti oportuit: uel aliqua fortuita calamitas eundem locum euertisset, uel praesentiã uenienti periculosam fecisset: ex bono & aequo etiam hic exceptio ei accõmodanda est. Si locus in iubendo iudicare nõ est cõprehensus (idem inquit) uidetur eo loco iudicare iußisse, quo solet iudicare sine incõmodo litigantiũ. l. si locus. ff. de iudicijs.[a] Sed etsi in locum inhonestum (idem Vlpianus inquit) adesse iusserit, puta in popinam, uel lupanarium: sine dubio impune ei non parebitur.[b] Si arbiter iusserit (idẽ inquit) puta in prouincia adesse litigatores, cũ Romae esset in eum compromissum: eum locum compromisso inesse, de quo actum sit cum compromitteretur, uerius est. Impune igitur ei non

a l. 2. §. si tamẽ uel. ff. si quis cau. ion. b. in iudicio sist. ca. di.

b l. quid tamẽ si de §. sed etsi in aliquẽ. ff. de except. qui arbit. recep.

ei non parebitur, si alio loco adesse iusserit. [a] *Præterea si is qui id quod certo loco sibi dari stipulatus est, alio loco petit, sine commemoratione illius loci, in quo sibi dari stipulatus est: loci exceptione repellitur, atq; etiã quasi plus petierit coercetur.* [b] *Si deniq; iudex non pro tribunali, sed de plano uelit cognoscere, loci exceptionem obstaturam puto. Sunt tamen quædam causæ, quæ de plano etiam agi possunt. Custodiæ non solùm pro tribunali (inquit Paulus) sed & de plano audiri possunt, atq; damnari.* [c] *De plano crimen quoq; læsæ Maiestatis cognosci potest.* [d] *In causa adulterij de plano quoq; (inquit Papinianus) libellus dari potest.* [e] *Sed exempla loci exceptionis hæc sunt.*

a l. quid tamẽ. §. si arbiter. ff. eod.

b §. si quis agens. Inst. de actionibus.

c l. unius facinoris. §. fin. ff. de quæst.

d C. Henrici Imp. quomodo in læsæ maiest. crim. proc. §. & de pla.

e l. miles qui. §. sexaginta. ff. ad l. Iuliam de adulterijs.

Octauum genus exceptionum, quod sumitur ex modo actionis. Cap. XII.

EX modo quoq; actionis exceptiones sumuntur. Voco autem hic actionis modum actoris officia seu actus, quos eum facere decet: tutputa est edere actionem, qua uult experiri: inscribere in crimẽ: cauere de lite persequenda, & intra duos menses contestandá: iurare de calumnia, &c. Debet igitur actor sui officij memor esse, & id quod actorem decet facere: quod si nolit, potest ab actione submoueri.[a]

ri.[a] *Possunt fortè huc referri quoq; exceptiones, quibus procurator repelli potest, si nolit id quod sui officij est facere: utputa est cauere de rato, absentem defendere, &c. Sed has suprà exceptionis procuratoriæ subieci.*

Nonum & postremum exceptionum genus, quod ex tempore actionis sumitur. Cap. XIII.

R*Estat adhuc unum exceptionum genus, quod sumitur ex tempore actionis, cùm scilicet reus conuentus dicit actorem non iusto tempore agere: quod fit dupliciter. nam aut citius petit actor quàm debetur, hoc est, ante diem uel conditionem obligationis existentem: aut tardius, hoc est, eo tempore quo iam actio competere desiit. Cùm ergo ante tempus agitur, competit exceptio temporis dilatoria.*[b] *Tempus autem quo incipit competere actio, partim ex conuentione contrahentium, partim ex ipsa rei natura patet. Nam omnis stipulatio aut purè fit, aut in diē, aut sub cōditione. Quod purè stipulatus quis est, confestim petere potest.*[c] *In omnibus obligationibus (inquit Pomponius) in quibus dies nō ponitur, præsente die debetur.*[d] *Quod tamen ita uerum est, si locus adiectus non sit, qui spacium temporis inducat, quo illò poßit perueniri.*[e] *Proinde interdum*

pura

a l. 2. §. quod si actor. C. de iureiurando propter calumniam. & §. illo uidelicet generaliter. Nouel. c. ut litigantes iurent in exordio lit. &c. & Nouell. c. 112. de litigiosis, & de decima parte. §. ad excludendas autem. & Nouell. con. 96. de executoribus §. 1.

b §. temporales atq; dilato. Inst. de except.

c §. omnis stipul. Inst. de uerb. oblig.

d l. in omnibus obli. ff. de reg. iur.

e l. cum qui cal. §. fin. ff. de uerb. oblig.

pura stipulatio (inquit Paulus) ex ipsa re dilationem capit: ueluti si id quod in utero est, aut fructus futuros, aut domum ædificari stipulatus sit: tunc enim incipit actio, cùm ea per rerum naturam præstari possunt.[a] Nihil enim peti potest (ut inquit Celsus) ante id tempus, quo per rerum naturam persolui poßit.[b] Quod autem in diem, uel sub conditione stipulatus quis est, non nisi die uel conditione existente potest peti. Cùm soluendi tempus (inquit Celsus) obligationi additur, nisi eo præterito peti nō potest.[c] Vnde Imp. Iustinianus dicit: Quod in diem stipulamur, statim quidem debetur: sed peti prius quam dies uenerit, non potest. at ne quidem eo ipso die in quem stipulatio facta est, peti potest: totus enim is dies arbitrio soluentis tribui debet.[d] Idem obseruatur quoq;, si hoc anno uel hoc mense dari stipulatus quis sit: nam nisi omnibus partibus anni uel mensis præteritis, non rectè petitur.[e] Deniq; cùm tempus in testamento adijcitur, credendum est pro hærede adiectum esse: nisi alia mens fuerit testatoris, sicut in stipulationibus promissoris gratia tempus additur.[f] Porrò qui ante diem uel cōditionem pactionis uel obligationis existentem actionem intendit, plus petere intelligitur; Qua enim ratione qui tardius soluit

a l. interdum ff. de uer. obli.

b l. nihil peti potest. ff. de reg. iur.

c d. l. nihil peti pot. ff. eod. & l. non quē admodū fideiussoris. ff. ubi quis agere uel conue.

d §. omnis stipulatio. Instit. de uerb. obl.

e l. qui hoc anno. ff. de uer. obli.

f l. cum tempus. ff. de reg. iuris.

quàm soluere deberet, minus soluere intelligitur: eadem ratione qui præmaturè petit, plus petere uidetur. [a]*Proinde nō solùm exceptione temporali submouetur, sed etiam inducias, quas ipse spontè indulsit, uel quas natura actionis continet, reus conuentus, qui talem iniuriam passus est, in duplum habet: & post eas finitas non aliter litem suscipere compellitur, nisi omnes expensas litis antea receperit, ut actores tali pœna perterriti, tempora litium discant obseruare.* [b] *In omnibus tamen bonæ fidei iudicijs cùm nondum dies præstandæ pecuniæ uenit, si aliquis agat ad interponendam cautionem, ex iusta causa cōdemnatio fit.* [c]*Sed etsi quis præpostero ordine agat, citius quàm debetur, uidetur agere: obstatq; ei exceptio præposterationis, & quod præiudicium rei non fiat: cuiusmodi exceptiones (inquit* Iulianus*) futuri iudicij, non facti nomine cōparatæ sunt.* [d]*Quoties ergò quis ex minore causa agat, per quam maiori causæ præiudicium futurū est: obstat ei exceptio hæc, Quod præiudicium rei nō fiat.* Per minorē *causam (inquit* Paulus Iurisc.*)* [e] *maiori cognitioni præiudicium fieri nō oportet: maior enim quæstio, minorem causam ad se trahit.* Rei *autem maioris pecuniæ (inquit* Neratius*) præiudiciū fieri uidetur, cùm ea quæstio in iudicium deducitur,*

a §. si quis agens. uers. tēpore. instit. de actio.

b §. temporales atq; inst. de exceptionibus.

c l. in omnibus bonæ. ff. ubi quis agere uel.

d l. 13. ff. de exceptionibus.

e l. per minorem. ff. de iudicijs.

f l. 21. ff. de exceptionibus.

uel tota, uel ex aliqua parte cõmunis est quæstioni de re maiori. Si is faciat controuersiã hæreditatis (inquit Paulus Iurisc.[a]*) qui cum defuncto compromiserat, futurum est præiudiciũ hæreditati, si arbiter sententiam dicat.* Ergo interea inhibẽdus est arbiter. Eorũ enim iudiciorũ quæ de hæreditatis petitione sunt, ea authoritas est, ut nihil in præiudiciũ eius fieri debeat.[b] Præiudicialis quoq; causa quæ cum alia concurrit, prius determinanda est: ne ei per aliam fiat præiudicium.[c] Ciuilis sanè actio, licet minor ante criminalẽ exerceri potest.[d] Sed & alia excẽpla huius exceptionis, quod præiudiciũ &c. licet uidere l. 16. cũ ll. sequentib. ff. de exception. item C. de ordine iudi. item C. de ordine cognitionum. Præterea si quis alieno nomine obligatus conueniatur, ex tempore actionis excipere potest, ut prius principalis reus cõueniatur: de qua exceptione uide Nouell. c. 4. ut creditores primum &c. Si quis insuper hæredes uel cognatos defuncti intra tempus luctus, quod est nouẽ dierum, cõuenire uelit: obstat ei exceptio ex Nou. const. 115. §. memoria insuper tenemus. Sed etsi quis nondum agnita hæreditate, uel intra tempus deliberationis et cõficiendi inuentarij hærẽdem defuncti cõuenire uelit, repellitur exceptione dilatoria ex l. scimus. §. donec tamẽ. C. de iure

a l. non distinguemus. §. si s. ff. de receptis ar.

b l. diuus §. fi. ff. de petitione hæreditatis: & l. fin. in prin. C. eod. tit.

c l. quoniam C. de adulterijs: & l. cum his status. C. de ordine cognitionum.

d l. 1. C. quando ciuilis actio crim.

g

deliberandi. Exceptio quoq; feriarũ, utputa cũ quis dicit se nõ hoc die uel mense propter ferias ad respondendum teneri: ex tempore actionis sumitur. Sunt autem certæ feriæ, quibus cùm ab alijs, tum à forensib. negocijs est cessandũ: ut est dies Dominicus uel solis:[a] item tempus meßis et uindemiarũ.[b] Præsides autẽ prouinciarũ (inquit Paulus)[c] ex consuetudine cuiusq; loci solẽt meßis uindemiarũq; causa tẽpus statuere. Imp. noster Carolus 5. in comitijs Augustanis hasce constituit ferias.

a l.3.& l. omnes dies. §. & dies solis. & l.fin. C. de ferijs.

b l.1. ff. de ferijs.

c l. præsides. ff. de ferijs.

A 24. die Decembris usq; ad 6. diem Ianuarij.

A dominica Esto mihi, usq; ad dominicã Inuocauit.

A dominica Palmarum, usq; ad dominicam Quasi modo geniti.

A dominica Vocem iucunditatis, usq; ad dominicam Exaudi.

A uigilia Pentecostes, usq; ad dominicã Trinit.

Ab 8. die Iulij usq; ad 14. diem Augusti. Hisce ergo dieb. in ius uocatus potest suspendere & differre actionẽ, exceptione feriarũ opposita.

De longi temporis præscriptionibus.

Caput XIIII.

HActenus dictum est de exceptionib. temporis, quæ datur ex eo, si antequã actio competere incœperit, & citius quàm debeatur, agitur. Sequitur, ut de ea temporis exceptione dispiciamus, quæ datur ex eo, si postquã actio

actio cõpetere desiit, agatur: quæ sanè exceptio uocatur longi temporis præscriptio. et est hæc quidẽ peremptoria, illæ autẽ dilatoriæ: hæc enim actionẽ perimit, illæ differunt. Est autẽ hoc excipiẽdi ius introductũ cõtra homines desides, & sui iuris contẽptores:[a] itẽ, ut aliquis esset litiũ finis.[b] Est itaq; hoc loco nõ ignorandũ, quãdiu quælibet actio cõpetat, & quando cõpetere desinat, ut præscriptioni locus sit. Quædã autẽ actiones annales sunt, quædã perpetuæ: hoc est, usq; ad finẽ ex cõstitutionib. introductũ cõpetẽtes. Annales sunt actiones prætoriæ, seu honorariæ.[c] Sanè actiones honorariæ, quæ rei persecutionẽ habent, etiã post annũ dantur: illæ autem rei persecutionẽ cõtinent, quibus persequimur, quod nobis ex patrimonio abest.[d] Sunt itẽ quædam actiones, quæ ante anni spaciũ finiũtur: ut est actio Redhibitoria. ea enim ultra sex menses nõ extenditur:[d] citius etiã finitur, hoc est, intra sexaginta dies utiles, si cõuenerit, ut si displicuisset, res redhiberetur.[f] Sic quoq; accusatio adulterij, iure mariti et patris intra sexaginta dies cõpetit.[g] Rei uindicatio aduersus bonæ fidei possessorẽ, si quidẽ res mobilis sit, post bienniũ nõ datur: sin uerò immobilis, post decenniũ uel uicẽniũ cessat, ut inferius dicetur. Publiciana autẽ actio, quæ et ipsa in rẽ est, anno finitur: quia cõ-

a l. fin. §. ff. C. de annali exceptione Itali ci contra.

b l. fin. ff. pro suo.

c §. 1. inst. de perpetuis & temp.

d l. in honorariis. ff. de actionibus & oblig.

e l. ædiles aiunt. §. 1. ff. de ædilitio edicto. & l. 2. C. de ædilitia actio.

f l. quod si nolit. §. si quid ita. ff. eod.

g l. is cuius ope §. marito. ff. ad l. Iuliam de adulte. & l. iure marit. C. eod.

tra ius ciuile datur.[a] *Plurimum autem ad tempus actionis definiendum refert, quis, qualis'ue sit is qui agit, & cõtra quem agitur.* In omnib. *fisci quæstionibus (inquit* Hermogenianus*) exceptis causis, in quibus minora tempora seruari specialiter constitutum est, uiginti annorum præscriptio custoditur.* Reipub. *rationes (idem inquit) subscriptæ & expunctæ aduersus eum quidem qui administrauerit, ultra uiginti: aduersus hæredem uerò, ultra decem annos retractari non possunt.*[b] Datur *insuper priuilegium ijs qui res aliquas ex quacunq; causa à fisco, uel ab* Imperatore, *uel ab* Augusta *comparauerint, ne ipsi earum rerum nomine ab alijs conueniantur, sed auctor illorum intra quadrienniũ: nam post quadriennium nec possessor, nec auctor qualibet actione, siue in rem uel hypothecam, siue personali, conueniri potest.*[c] *Quæstio quoq; à fisco super bonis uacantibus, post quadriennium moueri non potest.*[d] *Ex quo autem die hoc quadriennium numerandum sit, definitur l. intra quatuor. ff. de diuersis temporalibus præscriptionibus.* Ecclesijs *insuper, & monasterijs, xenodochijs, orphanotrophijs, ptochijs, &c. quadraginta anni ad agendum tam in rem quàm in rem personã indulgentur.*[e] Omnis *autem actio siue in rem sit, siue in personam,*

a l. in honorarijs. ff. de act. & obli.

b l. in omnibus fisci. ff. de diuersis temporalib. præscript.

c l. 2. cum l. sequent. C. de quadriennij præscript.

d l. 1. C. de quadriennij præscript.

e Nouell. c. 111. de tempore actionum, quæ factis locis con.

sonam, cuius tempus legibus definitum non est, triginta annorum spacio finitur, nec ulterius extenditur. [a] *Hypothecaria tamen actio si quidem aduersus extraneum possessorem exercetur, triginta annorum præscriptione excluditur: sin autem aduersus debitorem, uel successores eius, uel etiam aduersus posteriorem creditorem hypothecam poßidentem debitore uiuente, quadraginta demum annis finitur.* [b] *Personales ergo actiones etiam triginta annorum spacio concluduntur.* [c] *Mutui tamen & commodati, depositi actioni, longi temporis præscriptio obijci non potest.* [d] *Neq; item præscriptione temporis ad rem retinendā uti possunt, qui rem precariò poßident, uel ex conducto,* [e] *uel iure emphyteutico,* [f] *etiam si ultra quadraginta annos detinuerint.*

Porrò sciendum est, ea quæ de temporalib. præscriptionib. huc usq; dicta sunt, ita demum uera esse, si intra prædicta tempora nulla lis ab actore mota sit. Sæpe autem fit, ut actiones in iudicium deducantur, postea uerò propter potentiam fortè aduersarij, uel imbecillitatem actoris, uel propter alios casus, qui nec dici, nec enumerari omnes possunt, deserantur, uel silentio tradantur. Si ergo huiusmodi quid accidit, & lis mota quidem sit, non tamen finita, actio

a l. sicut in rē. C. de præscr. triginta uel quadr.

b l. cum notissimi §. 1. C. eod.

c l. 1. §. ad hæc cum nihil. C. de annali excep. Ital.

d l. neq; mutui. C. quibus non obijcitur longi temp.

e l. 2. C. de præscript. trigint. uel quadrag.

f l. cum notissimi. §. fin. C. eod.

perpetuatur: hoc est, extenditur in annos quadraginta, ex eo die numerandos, quo nouissima processit cognitio, postquàm utraq; pars cessauit. Non enim is qui postulationem deposuit, & in iudicium uenit, & subijt certamina, litem autem implere per quosdā casus præpeditus est, similis ei reputandus est, qui penitus ab initio tacuit.[a] Omnes actiones (inquit Caius) quæ morte aut tempore pereunt, semel inclusæ iudicio, saluæ permanent.[b] Etiamsi autem quis aliquē ex multis causis obligatum habens, uocauerit illum in ius: siue causæ alicuius mentionē faciens specialiter, siue nullius, uidetur omne ius suū in iudicium deduxisse.[c] Si quoq; ex eodem contractu unius creditoris plures debitores sunt: uel econtrariò, si plures creditores unum debitorē ex eodem cōtractu habent, et uel unus debitorū in iudiciū uocatus est, uel unus creditorū in iudicium uocauit: quasi lite ab omnibus uel cum omnibus contestata, perpetuatur actio omniū.[d] Siue autē lis in ordinario iudicio sit inchoata, siue apud iudicem compromissarium, tempus interrumpitur.[e] Prætoriæ item actiones annales per oblationē precū, & ad eas rescriptionem perpetuantur.[f] Quid? quod etiam per solam conuentionem interrumpitur longi temporis præscriptio?[g] Idem autem ius, quod de lite

mota

a l. fin. C. de præscription. trigin. uel qu.

b l. omnes actiones. ff. de regul. iuris.

c l. fin. C. de annali excep.

d l. cum quidam rei. C. de duobus reis stipul. & promit.

e l. cum ante sancitum. §. plenius autē. C. de recept. arb.

f l. 2. C. quando libellus principi datus, litis faciat

g l. cum notissimi. §. 1. C. de præscript. tri, uel quadr.

mota dixi, est, si actor res quas petit, antea sibi suppositas sine uiolentia tenuerit. Nam per hãc *detentionem temporis fit interruptio, cùm litis contestationem huiusmodi detentio imitetur.*[a] *Interrumpitur insuper tempus, si debiti cautio sit renouata, & à debitore alia data.*[b] *Causæ ergo ex quibus interrumpitur tempus, atq; ius agendi prorogatur, hæ sunt potißimùm.* Sunt *tamen & aliæ causæ, ex quibus dantur replicationes aduersus longi temporis præscriptionem.* Quid *enim si actor, qui diu tacuisse dicitur, potestatem experiundi non habuerit?*[c] *Vtputa si reus potestatem experiundi secum non fecerit, uel non habuerit eum qui se idoneè defenderet.*[d] Quid *si propter aduersarij infantiam uel furorem, uel absentiam, uel potentiam agere non potuerit?*[e] Quid *si actor abfuerit uel apud hostes, uel in uinculis, uel reipub. causa: uel deniq; propter tempestatem, uel ualetudine impeditus, neq; uenire, neq; mandare ualens?*[f] Quid *si abfuerit expeditionis, uel medendi causa?*[g] Quid *si propter ætatem,*[h] *uel patriam potestatem agere non potuerit?*[i] Quid *si prætoris copiam non habuerit?*[k] *Iustißimæ profectò hæ silentij causæ sunt, & ex quibus meritò, replicatio aduersus temporis præscriptionem danda est.* *Insuper sciendum est tempus,*

a l. cum notissimi. §. imo & ill. C. de præs. 30. uel 40. an.
b d. l. cũ notiss. §. sed etsi quis, C. eod.
c l. 1. ff. de diuersis temporũ præscript.
d ibidem.
e l. 2. C. de annali exceptio.
f l. 2. ff. de diuersis tẽpor. præs. Contraria est l. si seruus. ff. eod. cui tamen legi contrà repugnat. l. si seruus hæred. ff. de stipul. seruorum.
g l. 1. & l. 2. & l. fin. C. quib. non obijcitur lon. temp. præscript.
h l. non est incognitũ. C. q. non obijc. & l. sicut in rẽ §. sed pupill. C. de præs. trig.
i l. 1. § fin. C. de ann. excep. Ital.
k l. 1. § fi. C. de an. excep.

ex quo præscriptio competit, post diem demũ, uel conditionem contractus existentem, incipere.[a] *In his etiam promißionibus uel legatis uel alijs obligationibus, quæ dationē per singulos annos uel menses, uel aliquod singulare tempus continent, tempora memoratorum præscriptionum non ab exordio talis obligationis, sed ab initio cuiusq; anni uel mensis, uel alterius singularis temporis computari, manifestum est.*[b] *In illis quoq; contractibus in quibus usuræ promissæ sunt, ex illo tempore initium capiunt, ex quo debitor usuras non persoluit.*[c] *Dies tamē intercalaris non proficit reo conuento.*[d] *Si itē debitores quinquennales forte induciæ ad soluendum indulgentur, non computatur hoc quinquennium in tempus illud præscriptionum.*[e] *In omnibus demum temporalibus actionibus, nisi nouißimus totus dies compleatur, non finit obligationem.*[f] *Vnde ubi lex duorum mensium fecit mentionem, & qui sexagesimoprimo die uenerit, audiendus est.*[g] *Sed uidetur ad longi temporis præscriptionum notitiam apprime necessaria esse usucapionum cognitio. Ideoq; de his etiam in posterum tractabitur.*

a l. cum notissimi §. illud autem. C. de præscri. trig. uel quadr.

b d. l. cum notiss §. in his etiam promiss. C. eod.

c l si quis emptionis §. fin. C. eod.

d l. 2. ff de diuersis temp. præscript.

e l. fin. §. fin. C. qui bonis cedere poss. sint.

f l. in omnib. ff. de actionibus & oblig.

g l. ubi lex. ff. de re. iu.

De usuca-

De usucapionibus. Cap. XV.

RAtio usucapionum in iure, duplex traditur. Prima, ne rerum dominia diu in incerto essent.[a] Altera, ut sit litium aliquis finis.[b] Est autem usucapio, adiectio dominij per continuationem temporis lege definiti.[c] Hæc definitio continet usucapionis tum effectum, tum causam efficientem. effectus est, rei dominium: efficiens causa est, continua possessio. Qui enim per longum tempus, puta triennium, decennium, uel uincennium, rem aliquam bona fide poßidet, propter ipsam diutinam possessionem rem usucapit, reiq; dominus efficitur: habetq; cõtra eum qui rem uindicat, exceptionem: seu longi temporis præscriptionẽ, & amissa possessione habet contra possessorem rei uindicationem. Ex his patet, usucapionem habere se ad longi temporis præscriptionem, quemadmodum causa se habet ad suum effectum: longi enim temporis præscriptio ex usucapione & diutina possessione nascitur. Non ergo credendum est, uti cõmentatores putant, præscriptionem de rebus immobilibus & longo tempore, usucapionem de rebus mobilibus & triẽnio accipiendam. hæc enim inter præscriptionem & usucapionẽ differentia uanißima est, & legibus omnimodo cõtraria: cùm & res immobilis, tum

a .6. t. inst. de usucap.

b l. fi. ff. pro suo.

c l. 3. ff. de usucap.

decennio, tum uicēnio usucapiatur, ut patet ex libris iuris. [a] *Sed cùm ex longa possessione usucapio procedat, uideamus cuiusmodi illa possessio esse debeat, quæ qualis'ue persona debeat esse possessoris, quæ possessionis causa, quantum item possessionis tempus, &c. ut suum effectum consequatur. Tempore itaq; triennij usucapitur res mobilis: immobilis autē inter præsentes quidem decennio, inter absentes uerò uiginti annis.* [b] *Absentes autem uidentur, qui domicilia in diuersis habent prouincijs: non qui in eadem habitantes prouincia, in diuersis ciuitatibus degunt. nihilq; refert, utrum in eodem, an in alio loco res, quæ usucapiuntur, sint positæ.* [c] *Si tamen per aliquot annos præsentes fuerint, per aliquot rursum absentes: totidem ad decennium alij anni apponendi sunt, quot ex ipso decennio absentes fuerunt.* [d] *Porrò res longa possessione non nisi à bonæ fidei possessore usucapitur. nam qui mala fide rem poßidet, is eam usucapere non potest. Bona fide autem poßidere uidetur, qui cùm rem cōprobat, ignorabat eam alienam esse, putabatq; eum à quo comparabat, alienandi ius habere.* [e] *Qui ergo sciens rem alienam à non domino, uel ab eo qui ius alienandi non habet, comparat, malæ fidei possessor est, nec rem potest usucapere, nec uindicantem dominum*

a l. penul §. 1. C. de præscr. trigin. uel quadragint.

b §. 1. inst. de usucapione. & l. 2. C. de usucap. transform. & l. fin. de præscr. longi temp. decē uel uigin.

c l. fin. C. de præscr. longi temp. decem uel uiginti.

d Nouell. c. 119. ut donatio propter nuptias specialis contractus, &c. §. ultra hæc sancimus. uers. quātum uerò.

e d. l. bonæ fidei po. ff. de uerb. signifi.

dominum triennij uel decennij uel uicennij præscriptione ſubmouere. Quid tamen, ſi ab initio quidem neſcierit rem alienam eſſe: poſteaquàm autem aliquandiu poſſedit, cognouerit? nihilominus bonæ fidei poſſeſſor intelligitur, & uſucapio procedit. [a] *Quid ergo, ſi bonæ fidei poſſeſſor poſſeßione amiſſa cognouerit rem alienã eſſe: num recepta poſſeßione prodeſt prior ignorantia? Non prodeſt: quia initium ſecundæ poſſeßionis eſt uicioſum.* [b] *Cùm autem quæritur, an ſcierit rem alienam eſſe, poſſeßionis initium, non tempus contractus eſt ſpectandum: niſi in cauſa emptionis. nam ibi & contractus & ſolutionis tempus inſpicitur.* [c] *Auctoris ſanè ignorantia mihi ſcienti non prodeſt: nec contrà, eius ſcientia mihi ignorãti obeſt.* [d] *Hæres tamen rem, quam defunctus mala fide poßidere cœpit, etiam ignorans uſucapere non poteſt.* [e] *& cõtrà, eam rem quam defunctus alienam eſſe ignorauit, & propterea poßidere bona fide cœpit, hæres ſciens etiã eam alienam eſſe, poteſt uſucapere.* [f] *Hoc tamen aliter ſe habet, ſi hæredi ſciẽti poſſeßio tradita ſit eius rei, quam defunctus emit.* [g] *Patrem non uſucapturum quod filius emit, propter ſuam uel filij ſcientiam, certum eſt.* [h] *Quid tamen, ſi poſſeſſor partem quidẽ rei, utputa fundi, ſciat alienã eſſe,*

a l. penult. §. etſi poſſeſſio. ff. de uſucap. tranſ. & l. qui ſcit. §. fin. ff. de uſur. & fruct.

b l. ſi is qui. §. ſi quis bona. ff. de uſuc.

c l. ſi exiſtimãs. ff. pro ſoluto. et l. iuſto errore §. etſi poſſeſ. ff. de uſucap.

d l. an uiciũ. ff. de diuerſis temp. præſcr.

e l. cum hæres in ius. ff. e. & l. fin. C. de uſuc. pro hæ.

f §. diutina poſſ. inſtit. de uſucap.

g l. hæres eius. ff. de uſucap.

h hæres eius. ff. de uſucap.

esse, partem autem nesciat? Respondent Marcellus & Iabolenus: Siquidem sciat quæ par aliena sit, hāc partem non usucapturum: cæteras usucapere eum posse, licet pro diuiso uel indiuiso sciat esse alienā: sin uerò nesciat, nihil ex tota re usucapiet. [a] Etsi autem scit uel putat usumfructum rei alienū esse, uel rem pignori obligatam esse, usucapio non impeditur. [b] Porrò quid si possessor falso putet, id quod poßidet, sibi per leges usucapere non licere: an nihilominus procedit usucapio? Non procedit: uel quia non bona fide uidetur poßidere, uel quia in iure erranti non procedit usucapio. [c] Nunquam enim (inquit Paulus) in usucapionib. iuris error possessori prodest: [d] utputa si à pupillo emero sine tutoris authoritate, putans pupillis licere res suas sine tutoris authoritate administrare. [e] Is quoq; qui ignorat se poßidere, usucapere non potest: nam ignorantes non usucapiūt, [f] nisi per procuratorem poßideant. Nam per procuratorem etiā ignorantibus nobis & possessio acquiritur, & per eam usucapio. [g] Si tamē sciat quidem se poßidere, nesciat autē ex qua causa possideat: tunc siquidē nulla subest possessionis causa, putat tamen aliquam esse, cessat usucapio, ut inferius dicetur. Sin autem sit aliqua causa, sed alia quàm possessor putat: utputa si defunctus emit,

a l. si quis fundum. ff. de acquir. uel am. poss. & l. cuptor fun. ff. pro emp.

b d. l. si quis. §. fi. ff. eo.

c l. si fur rem. ff. de usucap.

d l. nunquam in usucap. §. 1. ff. de usucap. & l. 4. ff. de iuris & facti ignorantia.

e l. 2. §. si à pupillo. ff. pro emptore.

f l. 2. ff. pro soluto.

g §. ex his i. eaq; instit. per quas personas cuiq; ac.

emit, hæres autem putet eum ex donationis causa possedisse, usucapio procedit.[a] *Si autem incertam partem poßideat, & ignoret quotã partem poßideat: utputa si plures fundũ poßideãt, & ignorent quotam quisq; partem poßideat: subtili ratione poßidere non uidetur.*[b] *Si quis insuper rem sub conditione emerit, & postea ignoret cõditionem extitisse, usucapere eum nihilominus posse, Sabinus ait. Contrà autem, si non extiterit, & possessor putet extitisse, usucapio cessat.*[c] *Planè potest euenire, ut malæ fidei quidem possessor sit, postea autẽ causam possessionis mutet, incipiatq; bonæ fidei possessor esse: utputa cùm fur rem furtiuam à domino emit:*[d] *item si is qui fundũ mala fide poßidet, eum à domino emerit, uel ab eo quem dominum esse putabat.*[e] *item si domino hæres extiterit, uel putauerit se hæredem domini esse.*[f] *In his casibus, aut statim dominus rei fit possessor, aut rẽ longo tempore usucapit. Sed quatenus possessoris uel scientia uel ignorantia ad rem usucapiendam uel obsit, uel prosit, hactenus est dictũ. Nihil autem interest, etiam si pupillus uel furiosus poßideat.*[g] *Municipes itẽ & poßidere & usucapere possunt.*[h] *Nihil item refert, siue per nosmetipsos, siue per alios, utputa per procuratorem, poßideamus.*[i] *Poßidere siquidem uidetur*

a l. unusquisq. §. fi. ff. de usuca.
b l. si fur rem. §. fi. ff. eo.
c l. 2. §. si sub condit. ff. pro emptore.
d l. si fur rem. §. 1. ff. de usucap.
e l. nõ solum bonæ. §. quod uulgò. ff. eo.
f ibidem.
g l. sequitur. §. pupillus. & l. iusto errore. §. eum qui postea. ff. de usucap.
h l. 2. ff. de acqu. r. uel amit. pos.
i §. ex his itaq. instit. per quas personas cui acqui.

detur quisq; non solum si ipse poßideat, sed etsi eius nomine alius in poßeßione sit, licet is eius iuri subiectus non sit: qualis est colonus & inquilinus. per eos quoquè apud quos deposuerit quis, aut quibus commodauerit, poßidere ipse uidetur. [a]

a §. possidere autem, instit. de interdictis.

. Porrò rei quoq; poßeßæ cōditio, natura & qualitas, impedit aliquādo usucapionē. Nouißimè (inquit Imp. Iustinianus) sciendum est, rem talem esse debere, ut in se non habeat uicium, ut à bonæ fidei emptore usucapi poßit, uel qui ex alia iusta causa poßidet. [b] *Proinde res sacræ, sanctæ, publicæ, et aliæ de quibus infrà dicetur, usucapi etiā à bonæ fidei poßeßore nō poßunt. Vbi enim lex inhibet usucapionem, bona fides poßidenti nihil prodest.* [c] *Pars rei siquidem certa sit, & poßideri & longa poßeßione usucapi potest: sin uerò incerta sit, nec poßideri potest, nec usucapi.* [d] *Quid tamen, si res duæ iūctæ sint, quorum altera usucapi poßit, altera nō poßit? ut solum, & superficies. Nunquā (inquit Vlpianus) superficies sine solo capi longo tempore potest.* [e] *Et si solum usucapi nō poterit, nec superficies usucapietur, inquit Martianus.* [f] *Plurimum ad rem usucapiendā situm est in causa poßeßionis. Sciendum itaq; est, omnem causam, ex qua alicui acquiritur res, esse aut legitimam & utilem,*

b §. nouissimæ. ff. de usucap.

c l. ubi lex. de usucap.

d l. locus certus. ff. de acquir. uel amit. poss. & l. furtem. §. fin. ff. de usucapionib.

e l. nūquam superfi. ff. de usucap.

f l. si solum. ff. eo.

utilem, aut illegitimã & inutilem. Legitima causa est, ueluti occupatio rei quæ nullius est, [a] *& rei à domino pro derelicto habitæ:* [b] *item rei traditio. Traditur autem alicui res duobus modis: ut aut fiat accipientis, ut cùm res traditur ex causa emptionis, donationis, permutationis, solutionis, &c. aut ut dominium penes dantem maneat, utputa cùm res datur ex causa depositi, commodati, locati, &c. Si ergo res traditur eo quidem animo ut fiat accipientis, traditioq́; est legitima, ipsa traditione acquiritur rei dominium, nec opus est ulla usucapione. Non enim nisi ex una causa nobis rei dominium contingit.* [c] *Sin autem hoc modo datur res, ut dominium penes dantem maneat, & naturalis possessio tandem ad eundem reuertatur, res ab accipiente usucapi nullo modo potest. Proinde rem nobis locatam,* [d] *commodatam,* [e] *apud nos depositam,* [f] *nobis pignori datã,* [g] *uel usufructus nomine traditam,* [h] *lõga possessione usucapere non possumus. Idem iuris est, si rem procuratorio nomine poßidemus.* [i] *Ergo quoties ex legitima & utili causa rem acquirimus, cessat omnimodo usucapio. nam aut statim ad nos rei dominium transit, sine beneficio usucapionis: aut non transit ad nos rei dominiũ, sed penes dãtem manet, & tunc nec longa possessione ad nos est transi-*

a l. 2. ff. pro suo.
b l. 2. ff. pro derelicto.
c l. possideri autẽ. §. ex plu-ribus caus. ff. de acquir. uel amit. poss.
d l. 1. C. communia de usu cap.
e l. rei cõmodatæ, ff. commodati, uel contrà.
f l. 2. §. quod uulgò. ff. pro hærede uel poss. & l. licet deponere. ff. depositi.
g l. pignori. ff. de usucap.
h l. acquirun tur. §. fin. ff. de acquir. rerum dominio. & §. fructuarius, insti. per quas personas cuique acquir.
i l. cum nostissimi. §. fi. C. de præscript. trigin. uel quadragint.

transiturum. Ex *sola igitur illegitima & inutili causa poßidentes usucapimus, sed tamen non ex quauis. Sanè res ex illegitima & inutili causa ad nos perueniunt duplici modo: aut sub specie uel forma legitima, aut sub forma illegitima. sub forma quidem legitima, utputa cùm rem inutiliter quis occupauerit, falsò putãs eã à domino pro derelicto habitã: item cùm res nobis inutiliter traditur, scilicet emptione, donatione, permuatione, uel alia causa, ex qua traditur, inutili existente, ita ut res à nobis indebiti cõdictione uel rei uindicatione repeti & auferri poßit. sub forma uerò illegitima res ad nos perueniũt partim furto, partim ui & rapina, cũ rem alicui uel ui uel furto auferimus. Iã ergo si sub specie illegitima, hoc est, uel ui uel furto rẽ acquisierimus, usucapio nullo modo procedit.* Furtiuæ quoq; *res (inquit* Imp. Iustin.) *& quæ ui possessæ sunt, nec si prædicto longo tempore possessæ fuerint, usucapi possunt, neq; ab ipso fure uel raptore, neq; ab alio bonæ fidei possessore.* [a] Nibilq; re*fert, siue à liberis nostris, qui in potestate nostra sunt, siue ab alio res nobis subrepta sit.* [b] Licet *item uxor mariti res subripuerit, usucapio tamen cessat.* [c] *Si debitor rem suam, quã creditori pignori dedit, subripuerit et uendiderit, quæritur, an ea tãquam furtiua usucapi non poßit?* Et respon-

a §. furtiuæ quoq;. inst. de usucap.

b §. hi qui in parẽtum. inst. de oblig. quæ ex delicto.

c l. rerũ amotaru n. ff. rerũ amotarum.

Et respondet Labeo, non posse. [a] *quam sententiam Imp. Philippus confirmat.* [b] *Dissentire tamen uidetur Paulus in l. sequitur. §. si rem pignori. ff. de usucapionibus. & Modestinus in l. si rem quã. ff. pro emptore. Is sanè qui rem suam bonæ fidei emptori subripit, uel cùm alius in ea re usumfructum haberet, dominus eum contrectet: furtum quidem facit, licet dominus rei sit, sed usucapio quasi rei furtiuæ non impeditur.* [c] *Potest insuper pluribus modis accidere (ut inquit Paulus) ut quis rem alienam, aliquo errore deceptus, tanquam suam uendat fortè, aut donet: & ob id à bonæfidei possessore usucapi poßit. Veluti si hæres rem defuncto commodatam, aut locatam, uel apud eum depositam, existimans hæreditariam esse, alienauerit, &c.* [d] *Quod ui possessum, raptum'ue est (inquit Venuleius) antequàm in potestatem domini hæredis'ue eius reuertatur, usucapi lex uetat.* [e] *Fundi autem alieni (inquit Paulus) potest aliquis sine ui nancisci possesionẽ: uel quia ex negligentia domini uacet, uel quia dominus sine successore decesserit, uel longo tẽpore absfuerit. quare ipse quidem non potest usucapere: quia intelligit alienum se poßidere, & ob id mala fide poßsidet. sed si alij bona fide accipienti tradiderit, poterit is usucapere: quia neq; ui possessum, ne-*

a l. fin. ff. pro soluto.

b l. cum sit probatum. C. de usucapione pro emptore.

c l. cum res pignori. ff. de furtis.

d l. potest plu rib. ff. de usucap.

e l. fin. ff. ui bonorum ra

que furtiuum poßidet. abolita est enim quorundam ueterum sententia, existimantiū etiam fundi, loci ue furtum fieri. [a] *Proinde si tu ui me (idem* Paulus *inquit) de fundi possessione expuleris, nec apprehenderis possessionē, sed* Titius *in uacuam possessionem intrauerit: potest longo tempore capi res. quamuis enim interdictum* Vnde ui *locum habeat, quia uerum est ui me deiectum: non tamen uerum est, & ui possessum esse.* [b] *Vi ergo poßidere non uidetur, quia uacuam possessionē occupat, quamuis deinde uenientem dominum prohibuerit.* [c] *Fundus autem ui possessus usucapi non potest, etiamsi non dominus, sed alius siue bonæ, siue malæ fidei possessor deiectus sit, & fundus ui possessus.* [d] *Sed etsi (ut dictū est) res furtiua usucapi non poßit, quod tamē ex re furtiua uel natū uel redactū est à bonæ fidei possessore, poterit usucapi: utputa fœtus & partus rei furtiuæ, item nūmi ex precio rei furtiuæ redacti.* [e] *Lana ouium furtiuarum (ut inquit* Paulus*) si quidē apud furem detonsa est, usucapi non potest: si uerò apud bonæ fidei emptorem, contrà: quoniam in fructu est, nec usucapi debet, sed statim emptoris fit. Idem in agnis dicendum est, si consumpti sint.* [f] *Vestis sanè ex lana furtiua facta, furtiua intelligitur, nec usucapi potest.* [g] *Sed tamen potest & res*

furtiua,

a l. furtū non comp. ff. de usucap.

b l. sequitur. §. si tu ui me. & l. non solū bona §. si dominus. ff. de usucap.

c d. l. sequitur. §. item si occupa. ff. eo.

d l. sequitur. §. si tu ui. ff. eod.

e l. quinas ar gent. §. si ancil la sub. usq; ad finē leg. ff. de furtis. & l. si alien. res. §. fin. ff. de usucap.

f l. sequitur. §. lana. ff. de usuca.

g d. l. sequitur. §. si ex lana. ff. de usuc.

furtiua, & ui possessa, usucapi, si in domini potestatem fuerit reuersa. nam si in potestatem domini fuerit reuersa, quasi uicio rei purgato, procedit usucapio eius. [a] Tunc autem res *in potestatem domini rediisse intelligitur, cùm possesionem eius nactus est, ut iustè auelli non posit: sed & tanquam suæ rei.* Nam *si ignorans rem mihi subreptam emam, non uidetur in potestatem meam reuersa: sed etsi uindicans rem mihi subreptam, litis æstimationem acceperim, licet corporaliter possesionem eius nactus non sim, usucapietur.* [b] Idem dicendum *est, si fur rem furtiuam à domino emerit, & pro tradita habuerit.* [c] Item *si uoluntate domini alij tradita sit.* [d] Aliud *est, si dominus fundi possessorem ui deiecerit.* Nam *tunc (autore* Casio*) non uidetur res in potestatem domini reuersa, quando interdicto unde ui restituturus sit possesionem.* [e] Item *si ad dominum ignorantem res furtiua uel ui possessa peruenerit, non uidetur in domini potestatē reuersa.* [f] Quid *tamen, si procurator domini rem subreptam apprehenderit, an quasi in potestatem domini reuersa, usucapi posit?* Respondet Neratius, *non posse.* [g] Idem *respondit* Paulus, *si in potestatem creditoris, cui pignori data et subrepta erat, uel in eius potestatē cui commodata erat, redierit.*

a §. aliquando. inst. eod.

b l. sequitur. §. tunc in potestate. ff. eod. & l. quamuis res. ff. de furtis.

c l. quamuis res. ff. de furtis. & l. si fur rem. §. 1. ff. de usucap.

d l. sequitur. §. tunc in potest. ff. de usuc.

e l. sequitur. §. si dominus. ff. eod.

f l. si ad dominum. ff. de furtis.

g l. si rem mihi sub. ff. de usucap.

a l. sequitur. .§. quod autē. ff. eod.

b l. qui fundum. §. si tutore. ff. pro emptore.

c l. sequitur. §. itē Labeo. ff. de usucap.

[a] *Proinde res pupilli à tutore subrepta & uendita, in potestatem pupilli, non tutoris reuerti debet.* [b] *Si tamen is, apud quem res deposita est, eam lucri faciendi causa uendiderit, & ex pœnitentia redemerit, in potestatē domini reuersa res uidetur.* [c] *Sed cùm superius dictum sit, omnem rem uel ex legitima & utili causa, uel ex illegitima & inutili causa nobis acquiri: illegitimam autē, aut legitimæ & iustæ causæ speciem præ se ferre: aut nullam legitimæ causæ formam habere, sed ipso iure reprobari, ex prædictis patet: neq; ex ea possessione quæ ex legitima, neq; ex ea quæ ex illegitima nullam legitimæ causæ formam præ se ferēte acquiritur, usucapionem procedere. Sequitur ergo, quòd ex ea sola possessione res usucapiantur, cuius causa legitimæ quidem uel iustæ causæ speciem habet, sed reuera illegitima est & inutilis: utputa cùm res inutiliter occupatur ab ignorante rei conditionem, uel inutiliter traditur ignoranti. Cùm autem suprà dictum sit, duplici modo dari uel tradi nobis res: aut ut dominium illarum ad accipientem transferatur, aut ut is qui dat dominus illarum maneat: sciendum est, cùm res ita datur, ut is qui dat, dominus rei maneat: tunc siue legitima siue illegitima sit datio, res usucapi non potest: utputa cū res inutiliter locatur, uel pignori datur:*

datur: ueluti si is qui pignori dat, non sit dominus rei. Nam tunc quoq; is qui rem accipit, eam usucapere non potest. Si enim cùm utiliter res locatur uel pignori datur, usucapi ea non potest: multo minus, cùm locatio & pignoris obligatio inutilis & iniusta est, usucapio rei procedit. Tũc ergo solùm usucapioni locus est, cùm res traditur hoc quidem animo, ut accipiens dominus eius fiat: sed reuera non fit, utputa traditione uel contractu inutili existente. ueluti cùm res à non domino alienatur, uenditur, uel donatur, permutatur, legatur, in dotem datur, uel in solutum datur contractus uel traditionis uicium ignoranti. Quoties ergo res traditur ex causa ex qua non debetur, uel ei cui nõ debetur, uel ab eo qui non debet, uel res quæ non debetur: illegitima & inutilis traditio censetur: isq; cui res tradita est, rem indebitam & alienam poßidere dicitur, non suam: & propterea si nesciat uicium traditionis, bonæ fidei possessor existimatur, & rem eam usucapere potest. Propter causam inutilis censetur traditio, cùm ea uel nulla est, uel inutilis. Si nulla subest causa, usucapio non procedit, etiam si subesse putetur. [a] *Error enim falsæ causæ usucapionem non parit: ueluti si quis cùm non emerit, emisse se existimans poßideat: uel cùm ei donatũ non fuerit,*

[a] l. nec petentẽ. C. de præscriptio. lõg. temp. & l. fin. C. pro donato. & l. Celsus libro. ff. de usucap. & l. penult. ff. pro soluto. & l. 2. §. 1. ff. pro emptore.

a §.error.inst. de usucap.

b l. cum solus.ff.de usuc.

c l. interd.§. quod ex naufr. ff. de acqu. uel am.& l.nemo pot.cum. l. sequent. ff. pro derelicto. & l. fin. C. in quib.caus.cessat lon. temp. præs.

d l.quod uulgò.ff.pro emptore.

e l. pennlt.§. ult.ff.pro suo.

f l.nunquam in.§. fin. ff. de usucap.

quasi ex donatione poßideat. [a] Proinde si cùm solus essem hæres (inquit Pomponius) existimarem autem te quoq; pro parte cohæredem esse, res hæreditarias pro parte tibi tradidi: propius est ut usu eas capere non poßis. [b] Idē quoq; obseruatur, si rem quasi pro derelicto habitā occupet quis, quæ pro derelicto habita non sit. [c] Hæc tamen ita uera sunt, nisi iustam erroris causam, is cui traditū est, habuerit. Nam si fortè procurator, cui rem emendam mandasset, persuaserit ei se emisse, atque ita tradiderit, magis est ut usucapio sequatur. [d] Contrà quoq; respondet Pomponius: Quod legatum nō sit (inquiens) ab hærede tamen perperàm traditum sit: placet à legatario usucapi: quia pro suo poßidet. [e] Si deniq; cùm defunctus emisset rem, hæres putet ex causa donationis eum possedisse, usucapioni locus est. Si uerò subsit aliqua traditionis causa, sed ea inutilis & inefficax ad obligandum usucapio procedit: [f] Inutilis autē causa esse, & iure non subsistere censetur, aut ex personis contrahentiū, aut ex re quæ in contractū uenit, aut ex cōtractus causa, aut ex modo cōtractus, aut deniq; ex facto aliquo antecedēte, adiūcto, uel consequente, per quod obligatio uiciatur uel tollitur. Propter personas cōtrahentium inutilis est cōtractus: utputa si ius alienādi, is cum quo contrahi-

trahitur, nõ habet: ueluti à prætore uel alio iure alienare prohibitus. [a] *Proinde is qui à pupillo emit sine tutoris autoritate, quẽ puberẽ esse putabat: potest eã rem usucapere, planè si sciat quidem emptor uenditorẽ pupillũ esse, putet autem pupillis licere res suas sine tutorum autoritate alienare, non potest rem emptam usucapere, quia iuris error in usucapionibus non prodest.* [b] *Idem iuris est, si à furioso ematur.* [c] *Si quoq; uir uxori, uel contrà uxor uiro donauerit, illegitima donatio est: sed tamen usucapio in hoc casu non procedit, nisi aliena res sit donata.* [d] *Is qui à non domino, quem dominum esse credit, rem aliquam comparat, inutiliter acquirit, quia ea res ei auferri per uendicationem potest: proinde potest eam longa possessione usucapere.* [e] *Donatio quoq; filio à patre facta inutilis censetur, sed res ex hac causa acquisita usucapi non potest.* [f] *Planè si pater filiæ donauerit, quæ in potestate eius erat, & eam exhæredauerit: si id hæres eius ratum habeat, exinde ea rem donatam usucapiet, qua ex die hæres donationem ratam habuit.* [g] *Propter rem quoquè, quæ in obligationem uenit, non rarò inutilis censetur obligatio, sed non semper usucapio hinc procedit. Planè si res aliena uendita, legata, uel in dotem data sit, & obligatio inutilis est,*

a l. si ab eo, ff. de usuca. & l. qui fundum. §. qui sciens. ff. pro empt.

b l. pro emp. §. si à pupil. ff. pro emp.

c l. 2. §. si à furioso. ff. pro emp. & l. pignori rem. ff. de usucap.

d l. 1. §. si inter uirum. & l. 3. ff. pro donat.

e l. potest plurib. ff. de usucap.

f l. qui legatorum. §. fin. ff. pro hærede. & l. 1. §. si pater. ff. pro donato.

g l. si pater filiæ. ff. pro donato.

& usucapio locum habet. Res tamen sacra, sancta, publica, si uel uendita, uel ex alia causa alicui licet ignoranti alienata uel tradita sit, usucapio cessat.[a] *Idem iuris est in re fisci.*[b] *Sed bonis uacantibus fisco nondum nunciatis, bonæ fidei emptorē traditam sibi rem ex his bonis usucapere posse, Papinianus scripsit.*[c] *Res quoq; quam defunctus hæredibus suis seruari, nec alienari præcepit, si contra eius uoluntatē tutores hæredum eam uendiderint, usucapi non potest.*[d] *Propter causam sæpe inutilis censetur contractus: utputa cùm ea uel nulla est, uel turpis & iniusta: uel demum non sequitur cōtractum. Proinde ex huiusmodi cōtractibus solutū etiam repetitur certis cōdictionibus: ueluti condictione sine causa, condictione ob turpem uel iniustam causam, & condictione causa dati, causa nō secuta. Propter modum inutilis est, ut si procurator rem domini uilius uendiderit, ut dominum damno adficeret.*[e] *Propter factum deniq; aliquod consequens, redditur irrita obligatio: utputa si liberatio contigerit, puta per acceptilationem, nouationem, solutionem, &c. Quàm multis igitur modis traditio ex causa inutilis esse poßit, ex iam dictis arbitror esse manifestum. Causa enim traditionis inutili existente, ipsa traditio utilis & iusta qui potest esse? Cùm enim princi-*

a l. usucap. ff. de usuca. & §. sed aliquando. instit. eod.

b C. ne rei dominicæ.

c §. res fisci. inst. de usuca. & l. quamuis aduersus. ff. eod.

d l. 2. C. de usucap. pro empt.

e l. qui fundū. §. procurator ff. pro empt.

principalis causa non consistit, nec ea quæ sequuntur locum habent. Cùm autem traditio inutilis est, non transfertur dominium, sed tantùm possessio, quam sequitur usucapio, & longi temporis præscriptio. Propter reliquas item circumstantias traditio sæpe iniusta & inutilis est: utputa si nō ei traditur, cui debetur, uel alia res quàm debetur etc. Planè quantum ad personam tradētis attinet, nihil interest, ipse dominus alicui rem suam tradat, an uoluntate eius alius, cui eius rei permißio concessa est. [a] *Multum tamen interest à quo res sit alienata, de qua re suprà dictum est de personis contrahentium. Cui autem res tradatur, plurimùm refert. Si mandauero tibi (inquit Paulus) ut fundum emas, & ex ea causa traditum est tibi: diutina poßeßione capis, quamuis poßis uideri non pro tuo poßidere.* [b] *Ex re inutilis censetur traditio, cùm uel plus, uel aliud quàm debetur, traditur: proinde interdum procedit usucapio in hoc casu, interdum non. Cùm Stichum emissem (inquit Paulus) Dama mihi per ignorantiam pro eo traditus est: Priscus ait, usu me eum non capturum: quia id quod emptum nō sit, pro emptore usucapi non poßit. Sed etsi fundus emptus sit, & ampliores fines possessæ sint, totum longo tempore capi: quoniam uniuersitas eius poßideatur, non sin-*

a §. uenditæ uerò. instit. de rerum diuisione, & acquir. modo. & l. qua ratione. §. nihil autē interest. ff. de acquiren. rerum dom.

b l. pignori rem. ff. de usucap. & l. 2. §. procuratorē. ff. pro empt.

gulæ eius partes. [a] Ex pòst facto denique utilis traditio sæpe fit inutilis: sic res uenditæ & traditæ emptori non acquiruntur, si is uenditori precium non soluerit, uel alio modo ei satisfecerit. [b] Item si cùm in diem addicta res esset, ut meliore conditione allata res inempta esset, melior conditio allata sit Sed in hoc casu usucapio ante allatam meliorem conditionem procedit. [c] Si ita res sit uendita, ut nisi intra certum diem pecunia soluatur, res inempta fiat, precio non soluto res usucapi non potest. [d] Quæ ergo inutilis traditionis species sint, ex his patet. Non autem ex quauis traditione, neq; ex quauis causa possessionis inutili & illegitima, etiamsi legitimæ causæ speciem habeat, usucapio procedit. Quid enim si is qui rem acquirit, seu cui traditur, traditionis uicium sciat? Certè possessio diutina, ut dictum est suprà, huic nihil prodest. Scientia autē & uicium auctoris, hoc est eius à quo possessor rem acquirit, usucapionem non impedit. Dolum auctoris (inquit Imp. Alexander) bonæ fidei emptori non nocere, certi iuris est. [e] Sane corrigit hoc ius quodammodo Imp. Iustinianus, constituens ut tunc demum uicium auctoris bonæ fidei possessori non noceat, si uerus rei dominus sciens rem suam atq; alienatā esse, eam intra usucapionis tempora non persequatur: sin

a l. 2 §. cum Stichū. ff. pro empt.

b §. uenditæ uerò. inst. de rerum diuisione, & acquir. modis.

c l. 2 §. si sub cond. ff. pro empt.

d ibidem.

e l. dolum. C. de periculo et commodo rei uenditæ. & l. 1. C. de præscr pt. longi temp. & l. qui fundum. §. procurator. ff. pro empt. & l. an uicium. ff. de diuersis tem. præscript.

tur: sin uerò id nesciat, nõ nisi triginta annis res à bonæ fidei possessore usucapitur.[a] Nec item *usucapio quamlibet bonæ fidei possessori procedit, si res domino uel ui uel furto sit ablata, ut suprà dictum est.*[b] *Si item pater filio donauerit, res à filio pro donato usucapi non potest:*[c] *nisi hæres defuncti patris donationẽ ratam habuerit: tunc enim ex eo die quo ratum habitum est, usucapionis tempus incipit currere.*[d] Res *autem aliena uiro ab uxore donata, uel uxori à uiro, usucapi potest.*[e] Idemq; dicendũ est, *si tutor ex actione pupilli, rem quam eius esse putabat, emerit: uel si procurator, qui'ue domini negocia gerit, ex actione domini rem, quam eius esse putabat, emerit.*[f] Is quoq; *qui à luxurioso, & pecuniã protinus scorto daturo, uel aliàs consumpturo rem emit, etiam si sciat uenditorẽ pecuniam statim consumpturũ, bonæ fidei tamen possessor uidetur, & rem usucapiet.*[g] Nihil itẽ *refert, res mobilis sit, an immobilis: quia & in rebus immobilib. locus est præscriptioni diutinæ possessionis:*[h] *itẽ in mancipijs.*[i] Res *sanè incorporales neq; traditionẽ, neq; usucapionẽ recipiunt.*[k] Proinde *seruitutes usucapi non possunt, nisi cum ædificijs.*[l] Libertas *tamen seruitutum usucapi potest.*[m] *Nihil insuper refert, quæ sit species causæ ex qua res inutiliter tradita est: si modò*

a Nouell. c. 119. ut donatio propt. nuptias specialis sit contract. §. ultra hęc sancimus.
b §. res furtiuæ. inst. de usucap.
c l. 1. §. si pater filio. ff. pro donato. & l. 2. §. filium. ff. pro hærede.
d l. si pater. ff. pro don.
e l. si uir uxori. ff. pro don.
f l. 2. §. tutor ex. ff. pro em.
g l. si quis cũ sci. ff. pro em.
h l. rescriptis. ff. de diuers. temp.
i l. longæ. ff. eod.
k l. seruus qui bon. ff. de acquir. rerum dom. mutatur hec ius l. fi. §. fin. C. de præscr. long.
l l. si alien. §. hec iure. ff. de usuca.
m l. sequitur. §. libertatem. ff. eod.

si modò ex earum numero sit, in quibus res hoc animo datur, ut fiat accipientis. Ex causa igitur *transactionis si res bona fide poßideatur, usucapio procedit.*[a] Item is qui *litis æstimationem obtulit, pro emptore incipit poßidere.*[b] Litis *enim æstimatio similis est emptioni.*[c] Itē is qui *ex donatione uel ex alia causa lucratiua rem bona fide poßidet, eam longa possessione suam facit.*[d] Pro legato *item usucapi potest, licet non rectè, nec iure legatum relictum sit, uel legatum sit ademptum.*[e] Hinc *etiamsi uiuente adhuc domino res legati nomine tradita sit, procedit usucapio.*[f] *sed etsi non traditam possessionem sine uicio ingrediatur legatarius, legatæ rei usucapio competit.*[g] Si *sub conditione inutiliter emptum sit, pendente conditione emptor rem non usucapit.* Idemq́; *est, si conditio defecerit, licet emptor id ignoret: itē si res empta sit ita, ut nisi intra certum tempus preciū soluatur, ea sit inempta: non nisi soluto precio competit usucapio.*[h] Diuersum *tamen respondetur, si res in diem addicta sit: ut si allata meliore conditione, uel si displicuerit, intra certum diem res inempta sit.*[i] Nihil *item refert, quo minus procedat pro donato usucapio, si is qui rem inutiliter donauit, donationem reuocare constituerit, iudiciumq́; ediderit.*[k] Pro dote *usucapio tunc demum pro-*

a l. penult. C. de usucap. pro emp.
b l. 1. ff. pro emp.
c l. 3. ff. eod.
d l. penul. C. de pr. long.
e l. pro legat. & l. fin. ff. pro legato.
f l. ea res. ff. eod.
g l. penult. ff. eod.
h l. 2. §. si sub condition. ff. pro emptore.
i l. 2. §. si in diem. ff eod.
k l. 2. ff. pro donato.

mum procedit, si sequatur matrimonium: nam cessante matrimonio, cessat pro dote usucapio. [a] *Sed ut utilis traditio ex pòst facto sæpe uiciatur, ut suprà est ostensum: ita quoq; traditio & possessionis causa, quæ ab initio inutilis & inefficax fuit, ex pòst facto cõualescit & utilis fit: utputa si fur, uel is qui rem furtiuam uendidit, postea domino hæres extiterit: uel si prædio dotali à uiro uendito, postea dos tota mariti lucro cesserit, defuncta in matrimonio muliere.* [b] *Item si dominus rei suæ uenditionem ratam habuerit.* [c] *Item si possessor domino rem uindicanti litis æstimationem obtulit: uel rem à domino dono acceperit.* [d] *Ex his causis & inutilis possessionis causa confirmatur, & res possessoris fit, sine usucapionis adminiculo.*

a l. 15. & est quæst. ff. pro dot.

b l. cum uir prædium. ff. usucap.

c l. penult. §. constat. ff. eo.

d l. 26. fin. ff. pro emp.

De temporis accessionibus & interruptionibus. Cap. XVI.

Cæterùm cum usucapio rei quidem mobilis triennio, rei autem immobilis inter præsentes decennio, inter absentes uicennio, ut dictum est, compleatur: non est ignorandum, quando tempus usucapionis cedat, seu currere incipiat: quæ tempora cõiungantur seu accedant, quando demum usucapio interrumpatur. Itaq; sciendum est, in usucapionibus continuum tempus numerari: [e] *neq; à momento ad momen-*

e l. nunquam §. in usucapionib.

momentum, sed totum ad postremum diem computari.[a] Ideoq; qui hora sexta diei Calendarum Ianuariarum possidere cœpit, hora sexta noctis pridie Calendas Ianuarias usucapionẽ implet. [b] *Vnde in usucapione (inquit Venuleius) ita seruatur, ut etiamsi minimo momento nouissimæ diei res sit possessa, nihilominus repleatur usucapio: nec totus dies exigitur ad explendũ constitutum tempus.* [c] *Cùm autẽ res bona fide empta est, traditionis initium spectatur, non emptionis:* [d] *Si tamen sub conditione emptio facta est, existente demum conditione tempus incipit currere.* [e] Proinde *si res empta sit ita, ut si pecunia intra certum diem non soluatur, inempta res fiat: nõ nisi soluta pecunia, incipit usucapio.* Diuersum tamen est, *si res in diem addicta sit, ut si melior conditio allata fit, uel si res intra certum diẽ displicuisset, inempta ea fiat.*[f] Rei quoq; *alienæ in dotem datæ usucapio, ante nuptias nõ procedit: nisi ita data res sit, ut continuò sponsi fieret.* [g] *tunc enim non pro dote, sed pro suo usucapit maritus.* Continuatur autem possessori *etiam anterioris iusti possessoris possessio.* [h] De *accessionibus possessionum (inquit Scæuola) nihil in perpetuum, neq; generaliter definire possumus. consistunt enim in sola æquitate.* Planè *tribuuntur his, qui in locum aliorũ succedunt, siue*

a l. in usucapionib. ff. eo.

b l. ideòque qui. ff. eod.

c l. in usucapione. §. 1. ff. de diuersi tẽp. præsc.

d l. si aliena res. ff. de usuca. & l. 2. §. si sub conditione. ff. pro em.

e l. 2. §. si sub cond. ff. pro empt.

f ibidem.

g l. 1. §. & primum. & l. 2. ff. pro dote.

h l. 1. §. hoc tantum obseruando. C. de usucap. trãsf.

ſiue ex contractu, ſiue ex uoluntate: hæredibus enim, & his qui loco ſucceſſorum habentur, datur acceßio teſtatoris. Itemq; ſi mihi uendideris ſeruũ, utar acceßione tua.[a] *Acceßio autem poſſeßionis fit non ſolùm temporis, quo apud eum fuit, unde is emit, ſed & eius qui ei uendidit unde tu emiſti. Sed ſi medius aliquis ex autoribus non poſſederit: præcedentium auctorũ poſſeßio non proderit, quia coniuncta non eſt. Sicut nec ei, qui non poßidet, auctoris poſſeßio accedere poteſt.*[b] *Venditoris igitur tempus emptori ad uſucapionẽ utile eſt.*[c] *Item donatario tempus donatoris.*[d] *Poſſeßio teſtatoris hæredi & bonorum poſſeſſori,*[e] *item legatario:*[f] *ſed & hæredis poſſeßio legatario prodeſt.*[g] *Porrò etiamſi à defuncto non ſit inchoata uſucapio, hæredi tamen procedit: ueluti ſi uicium quod obſtabat, non quidem ex perſona, ſed ex re purgatum ſit, utputa ſi res fiſci uel furtiua eſſe defierit.*[h] *Si tamen hæres non poßideat, uel medio tempore ab alio poſſeſſa res ſit, poſſeßio teſtatoris hæredi non accedit.*[i] *Vacuum tamen tempus, quod ante uel poſt aditam hæreditatem interceßit, ad uſucapionem hæredi procedit.*[k] *Si tamen poſt mortem domini ſeruus hæreditarius peculij nomine rem cœpit tenere, uſucapionis primordium erit tempus aditæ hæreditatis: quemad-*

a l. de acceſſionib. ff. de diuerſ. tẽp. pr. ſ.
b l. n uſucapione §. acceſſio & l. de acceſ. ion. §. etſi mihi. & l. penult. ff. de diuerſ. tempo. præſcript.
c l. 2. §. emptori. ff. pro emptore. & §. inter uenditorem. inſt. de uſucap.
d l. Pomponius refert §. ſed & is cui donat. ff. de acquir. uel amitt. poſſeſſ.
e §. diuti. inſt. de uſucap.
f l. id tẽ ff. eo.
g l. Põp. reſ. §. ſed & legat. ff de acq. uel.
h l. ubi lex inhiber. ff. de uſucap.
i l. Põp. ref. §. quæſitũ eſt. ff. de acqu. uel amitt. poſſ. & l. poſſ. ff. de uſu.
k l. nũquam uſuc. §. penult. & l. per. ult. §. non dum. ff. de uſucap.

quemadmodũ enim usucapietur, quod antè defunctus non possederat? [a] Cœpta igitur à defuncto possessio, & ante aditam hæreditatẽ potest impleri. [b] Vlteriori quoq; hæredi possessio defuncti prodest, quamuis medius hæres possessionem eius nactus non sit. [c] Rei quoq; alienæ in dotem datæ possessio, mulieris procedit marito. [d] Et mariti possessio procedit, mulieri dote reddita. [e] Cùm autẽ iam dictum sit, tempus uenditoris emptori accedere: hoc intelligendum est de eo tempore, quo possedit uenditor antequàm uenderet: nam si postea nactus est possessionem uenditor, hæc posterior possessio emptori non proficit. [f] Adhæc Africanus inquit: Si duobus eandẽ rem separatim uendiderim, ea possessio, quæ utranq; uenditionem præcessit, soli priori emptori, cui & tradita sit, proficit. Deniq; & si quã rem tibi uendiderim, rursusq; à te emam, & Titio uendam & meam omnẽ & tuam possessionẽ Titio accessuram: uidelicet quòd & tu mihi, & ego ei possessionem præstare debeamus. [g] Sed si à furioso emit quis, non accedit tempus emptori. [h] Etiam si autem tutor pupilli, uel curator uendiderit, accedit tamen emptori possessio pupilli. [i] Idem est, & si is qui negocia domini gerit, uendiderit. [k] Item si creditor pignus

a l.fin. §.si ff. eod. contraria est l. penult. §. nondũ. ff. eod.
b l. cœptum. ff. de usucap. & l. qui cum pro hær. §. fin. ff. pro empt.
c l.2. §. etiam hæredi. ff. pro emptor. & l. Pompo. ref. §. quæsitum est. ff. de acquir. uel am. poss.
d l. dotis fru. §. si res in. ff. de iure dot.
e l. Pompon. ref. §. in dotẽ. ff. de acquir. uel amit.
f l. id temp. ff. de usucapio. & l. penul. §. penul. ff. de diuers. tem. pr.
g l. si duobus §. 1. ff. de diuer si temp. præs.
h l. 2. §. si à furioso. ff. pro empt.
i l. si seruus. ff. de acquir. uel amit. pos. & l. penult. §. item dandi. ff. de diuers. temp.
k l. de accessionibus. §. item si absente. ff. de diuers. temp.

gnus uendiderit, debitoris tempus emptori accedit. [a] Item si à filio quis emit, accessio temporis, quo pater possedit, datur. [b] Si tamen auctori ante alienationem quæstio mota sit, possessio eius non accedit. [c] Re quoq; redhibita uenditor emptoris, & emptor uenditoris accessione uti potest. [d] Vt ergo possessio uenditoris emptori, ita quoque possessio emptoris uenditori accedit, si forte uenditori res redhibita est: uel emptio resoluta est, re emptori sub aliqua conditione addicta. [e] Ei quoq; qui precario concessit, accedit tempus eius cui concessum est. [f] Item re commodata uel deposita tempus eius, cui commodatum, uel apud quem depositũ est, accedit ei qui commodauit, uel deposuit: quia is possessionem retinet, ut suprà dictum est. Si tamen apud sequestrum res deponatur: tunc siquidem amittendæ possessionis causa deponatur, ad usucapionem rei possessio sequestri partibus non procedit: sin autem custodiæ causa, ad usucapionem procedere eam possessionem uictori constat. [g] Insuper qui pignori rem dat (inquit Pomponius) usucapit quandiu res apud creditorem est. Si creditor eius rei possessionem alij tradiderit, interpellabitur usucapio: & quantum ad usucapionem attinet, similis est ei quicquid deposuit uel cõmodauit: quos palàm

a l. de accessionibus. §. si. ff. eo.

b l. penult. §. sed etsi à filio. ff. eo.

c l. 1. C. de præscr. long. temp.

d l. Pompo. ref. §. præterea. ff. de acquir.

e l. si hominem. ff. de usu capion. & l. si duob. §. uendi di. ff. de diuer. temp.

f l. 1. §. si is qui precar. ff. de acquir. uel amit. possess.

g l. interesse puto. ff. de acquir. uel amit. poss. & l. licet deponere. ff. deposit.

a l. non solũ. §. qui pignori rem. ff. de usucap.

b ibidem.

c l. ei à quo fundum. ff. de eod.

d l. Pomponius. §. ex facto. ff. de acquir. uel amit. possess.

e l. naturaliter. ff. de usucapionibus.

f l. 1. §. per seruum. ff. de acquir. uel amit. & l. si is qui pro §. si seruus. ff. de usucap.

g l. Pomp. §. si iussu. ff. de acquir. uel amit. possess.

h l. Pom. §. si. ff. eo. & l. si. ff. de diuers. tẽp. præscrip.

i ibidem.

k l. si pater. ff. de don.

est desinere usucapere, si commodata uel deposita res alij tradita fuerit, ab eo qui cõmodatum uel depositum accepit. Planè si creditor nuda conuentione hypothecam contraxerit, usucapere debitor perseuerabit. [a] Item *si rem tuam, cum bona fide poßiderẽ, pignori tibi dem, ignoranti tuam esse, interrũpitur usucapio: nisi nuda conuentione pignus contractũ fuerit.* [b] Idem *iuris est, si domino rem locauerit, uel uẽdiderit.* [c] Tempus *quo res apud prædonem fuit, non accedit.* [d] Naturaliter *enim interrumpitur possesßio, cùm quis de posseßione ui deijcitur, uel alicui res eripitur.* [e] Quid *ergo, si aufugerit mancipium quod poßidebamus? Impletur nihilominus usucapio, quamdiu nemo eius posseßionem nactus est.* [f] Præterea, *si iussu iudicis res mihi restituta sit, acceßionem mihi dandam esse placuit.* [g] Acceßio *autem nemini, nisi qui ipse poßidet, proficit.* [h] Viciosæ *item posseßioni nulla potest accedere: sed nec uiciosa ei, quæ uiciosa non est.* [i] Proinde *si, cùm res in ea causa esset, ut usucapi non posset, postea uicium eius mutatum sit ut usucapi poßit, usucapionis tempus exinde incipiet, quo primùm cœpit posse usucapi.* [k] Vsucapio *item pro hærede, nõ nisi mortuo eo cui succeditur, procedit. Proinde opinione mortis falsa pro hærede posseßio*

rerum

rerum absentis procedere non potest.[a] *Ea tamen res, quæ legati nomine tradita est, quamuis dominus eius uiuat, legatorum nomine usucapictur.*[b] *Adhæc, si domus aliquandiu possessa sit, postea demolita, res mobiles ex integro poßidendæ sunt: nec accedit tempus, quo in ædificio fuerunt.*[c] *Item si, cùm fundũ aliquem longa poſſeßione caperem, partem ei ex uicini fundo adijciã, tempus quo poſſedi fundum, ad partem adiectam usucapiendã non prodest.*[d] *Non solùm autem temporum acceßiones noſſe oportet, sed usurpationes quoq;. Est autem usurpatio, usucapionis interruptio.*[e] *Interrumpitur igitur usucapio cùm ex causis prædictis, tum si poſſeſſor rem precariò rogauerit.*[f] *Si autem legatorum seruandorum causa quis in poſſeßionem mittatur, non interpellatur usucapio pro hærede.*[g] *Si dominus rem à poſſeſſore petierit, interrumpitur usucapio litis cõtestatione.*[h] *Planè si cùm poßideret quis alienam aream, & cùm in ea ædificare cœpiſſet, dominus soli denunciauerit, non interpellari usucapionem, Scæuola respondet.*[i] *Rei mistura non interrumpit usucapionem.*[k] *Captiuitate poſſeſſoris usucapio interpellatur.*[l] *Si autem is per quem poßidebamus, furere incipiat,*[m] *uel relinquendæ poſſeßionis gratia discesserit,*[n] *nihilominus*

a l. opinione. C. de usucap. pro hæ.
b l. ea res. ff. pro lega.
c l. eum qui ædes. ff. de usucap.
d l. qui fundum. ff. pro emptore.
e l. 2. ff. de usucapionib.
f l. qui pro hęrede. ff. pro emptore.
g l. 2. §. 1. ff. pro hærede.
h l. 1. & l. nec bona fide. C. de præscr. longi temp. & l. 2. C. de annali except. contraria est l. 2. §. fi. ff. pro emp.
i l. penult. ff. pro emptore.
k l. rerum mistura. ff. de usucapionib.
l l. si is qui pro. §. 1. ff. eo.
m l. nunquã in usucapion. §. si seruus. ff. de usucap.
n l. qui fundum. §. 1. ff. pro empt.

tempus longæ possessionis currit. Sed hactenus de temporis accessionibus & interruptionibus, seu usurpationibus, adeoq; de tota usucapionum materia, satis superq; expositum est. quòd autē paulò diutius in his moratus fuerim, id à me ideo factum est, quòd sine his temporales præscriptiones perfectè cognosci non possunt, & frequentes de usucapionibus incidant controuersiæ.

Conclusio præcedentium.
Cap. XVII.

SEd hactenus nouem exceptionum genera, cum quibusdam subiectis speciebus sunt exposita. Ex his autem patet, ex ijs causis competere exceptiones, ex quibus non competunt actiones. Quando enim ex ea causa agitur, ex qua non competit actio: uel quando is agit, cui ius agendi non est: uel quando cum eo agitur, cum quo agi non debet: uel per eum, uel apud eum, per quem, uel apud quem actio non datur: uel quando non agitur competenti loco, tempore, uel modo: uel demum, quando non id, tale, tantum' ue in actionē deducitur, quod, quale, quantum' ue in eam uenire solet, exceptiones dantur, quibus reus conuentus aduersario resistit,

ſiſtit, atque ſe aduerſus actoris calumniam defendit, ſuaſq; fortunas, ſuam exiſtimationem, ſuam libertatem, ſuam deniq; uitam (nam de his omnibus in iudicijs digladiari ſolet[a]) tuetur. Singulas autem exceptionum ſpecies enumerare, nedum deſcribere, propter infinitam illarum multitudinem, eſt impoßibile. Quæ autem & quot ſint exceptionũ genera, ex ſubiecta tabula cognoſcere licet.

a l. cognitionum. ff. de extraordinarijs cognitionib.

Tabula exceptionum genera exhibens.

Omnis exceptio sumitur ex actionis circunstantijs: hoc est, ex actionis

- Causa, cũ aut
  - Negatur
    - *Factum, & dicitur exceptio facti.*
    - *Ius, & dicitur exceptio iuris.*
  - Distinguitur uel ex
    - Circunstãtijs facti: utputa ex
      - Persona
      - Re
      - Causa
      - Loco
      - Tempore
      - Modo
      - Instrumento.
    - Antecedentibus, adiunctis uel consequentibus factum.
- Personis, ut ex persona
  - Actoris,
  - Rei conuenti,
  - Pocuratoris, & dicitur exceptio procuratoria.
  - Iudicis, ex cuius persona nascitur duplex exceptio.
    - Recusatoria iudicis,
    - Declinatoria fori, seu fori præscriptio.
- Re petita, cùm aut {Plus / Aliud} quàm debetur, petitur.
- Loco, Modo Tẽpore, cũ aut
  - Citius / Tardius quàm debetur, agitur: unde nascitur duplex exceptio
    - Temporis dilatoria.
    - Peremptoria, ut longi temporis præscriptio.

Commu-

Communia de exceptionibus,
Cap. XVIII.

Causæ exceptionũ, ex quibus competant. ex præcedentibus notæ sunt. Ex *quibus enim causis nõ datur actio, ex ijs (ut iam dictum est) competit exceptio.* Vt *autem actiones nõ cuiuis, neq; aduersus quemuis, neq; quouis tempore dantur: ita quoque exceptiones, etiamsi causa illarum iustißima sit, habent tamen certas personas, quibus, & aduersus quas cõpetant. habent item certum tempus, quo sunt obijciendæ. quòd si non competenti tempore, neq; competenti personæ, neq; à competente persona opponantur, eliduntur replicatione ab actore opposita.* Bene quidem Paulus: Non *sicut de dolo actio (inquit) certo tempore finitur, ita etiam exceptio eodem tempore danda est.* Nam *hæc perpetuò cõpetit, cùm actor quidem in sua potestate habeat quando utatur suo iure: is autem cum quo agitur, non habeat potestatẽ quãdo conueniatur.* [a] Bene *inquam hæc à* Paulo *iurisconsulto dicta sunt, ueráq; est uulgaris illa regula:* Q*uæ temporaria sunt ad agendum, ea perpetua sunt ad excipiendum: omnisq; exceptio perpetuam defendendi uim habet.* Sed *tamen reo in ius uocato, plurimùm interest, utrũ ante uel post litis contestationem, exceptio-*

a l. purè mihi decem §. fi. ff. de doli mali & metus.

nem ſuam opponat. Sunt enim quædam exceptiones ante litis conteſtationem obijciendæ, quæ ſane lite conteſtata fruſtra opponuntur. Huius generis ſunt, exceptiones dilatoriæ omnes.[a] Duplices enim ſunt exceptiones: temporales atq; dilatoriæ, & perpetuæ atq; peremptoriæ. Dilatoriæ exceptiones ſunt, quæ differunt actionem, & ad tempus nocent, temporisq; dilationem tribuunt: peremptoriæ ſunt, quæ agentibus ſemper obſtant, & ſemper rem de qua agitur perimunt, nec euitari poſſunt.[b] Dilatoriæ omnes ſunt eæ, quæ ex perſonis actionis ducuntur: utputa ex perſona actoris, rei conuenti, procuratoris & iudicis. Nam qui dicit non licere procuratorio nomine agere, non prorſus litem inficiatur, ſed perſonam euitat.[c] Siue item perſona iudicis recuſetur, ſiue iuriſdictio declinetur, Dilatoria exceptio eſt. Ex tẽpore ſanè duplex exceptio ducitur, dilatoria & peremptoria: ut ſuperius dictum eſt. Exceptio feriarum quoq; dilatoria eſt. Ex loco item, & ex modo actionis, exceptiones ſumptæ, dilatoriæ ſunt. Cæteræ autem exceptiones omnes, ſiue ex cauſa actionis dicũtur, ſiue ex re petita, perpetuæ ſunt atq; peremptoriæ. Nam ſiue negetur factum uel ius, ſiue diſtinguatur, lis perimitur, non differtur. ea tamen exceptio, quæ de

eo quod

a l. ſi quis ad-uocat. §. fin. C. de except. & præſcript. & l. exceptio. C, de probationibus.

b l. 2. §. fi. ff. de exceptionib. & præſcri. & §. appellãtur autem. Inſt. de exceptionib.

c l. 2. §. fin. ff. de exception, præſcript. & præiud.

eo quod facere poteſt, datur, ex re quidem peti ta ſumitur, ſed tamen temporalis atq; dilatoria uidetur: argumento l. cura extruendi. §. deficiẽtium. ff. de muneribus & honoribus, & l. uerum eſt quod. §. id quod facere. ff. pro ſocio. Accedit huic autoritas gloſſæ, in titulum Inſt. de exceptionibus. Poteſt tamen tam poſt quàm ante litem conteſtatam opponi: imò etiam poſt ſententiam aduerſus executionem obijci poteſt.[a] Excepta igitur hac, omnes quidem exceptiones dilatoriæ ante litis conteſtationem debent opponi: peremptorias autem quandocunq; ante dictam ſententiam obijcere licet.[b] Finitur tamen interdum quoq; exceptio, ut actio poſt longum tempus: ut exceptio nõ numeratæ pecuniæ, poſt biennium opponi non poteſt.[c] Præterea non quæuis exceptio cuiuis ſine diſcrimine eſt cõcedenda: nec enim omnis exceptio quæ competit reo, fideiuſſori quoq; ſolet competere. Exceptiones (inquit Iulianus) quæ perſonæ cuiuſq; cohærent, non tranſeunt ad alios: ueluti ea quã ſocius habet in id quod facere poteſt, uel parẽs, patronus'ue, non competit fideiuſſori: ſic mariti fideiuſſor poſt ſolutum matrimonium datus in ſolidum, dotis nomine condemnatur. Rei autem cohærentes exceptiones, etiam fideiuſſoribus competunt: ut rei iudicatæ, doli ma-

a l. ex diuerſo. §. fin. ff. ſoluto matrimonio, quemadmodum.

b l. præſcriptionẽ. C. de except. & præſcrip. l. 2. C. ſententiam reſcindi non.

c Inſt. de literarum obligationibus.

d l.exceptiones quæ.ff.de exceptionib. præscript.

b l.fideiussoris autem.ff. de pact.

c l.idem in duobus.ff.eo.

d l.iurisgentium.§.pactorum autem.ff. eod.

e l.si.tibi decem.§.si quis paciscatur.ff. eod.

f ibidem.

g l.& hæredi patris.§.fin. & l.idem in duobus.ff.eo. &l.1.C.de trāsactionibus.

h l.si tibi decem.§.pactum conuentum. ff.de pactis.

i l.si ti.de.§. cum possess, ff.eod.

li, iurisiurandi, quod metus causa factum est. [a] *Contrà quoq; fideiussori competens exceptio, non semper competit reo principali.* Fideiusso*ris conuentio(inquit* Paulus*)non proderit reo: quia nihil interest eius, à debitore pecuniam non peti. imò nec cōfideiussoribus proderit: neque enim quoquo modo cuiusq; interest.* [b] Ex*ceptio quoq; quæ datur defuncto, non semper hæredi eius indulgenda est. pactum enim personale nec ad hæredem, nec ad alium quemuis pertinet.* [c] E*st autē duplex pactū: in rem, & in personam.* In *rem est, quoties generaliter paciscor ne petam: in personam, quoties ne à persona, hoc est, ne à* Titio *petam.* [d] Igitur *si quis paciscatur, ne à se petatur, hæredi exceptio nō proderit.* [e] Idem *respondendum in duobus reis promittendi: quorum si alter in rem quidem pactus est, alteri quoq; pacti exceptio proderit: sin uerò in personam, paciscenti tantùm dabitur pacti exceptio, non etiam debiti socio.* [f] In *rem enim pacta omnibus prosunt, quorum obligationem dissolutam esse, eius qui paciscebatur, interfuit.* [f] Pa*ctum sanè conuentum cum uenditore factum, siue in rem, siue in personam conceptum sit, emptori quoq; prodest.* [h] C*ùm possessor alienæ hæreditatis pactus est, hæredi (si euicerit) pactum neque prodest, neque nocet.* [i]

Vt au-

Vt autem res inter alios acta, alijs non prodest: ita quoq; quod inter alios actum est, alijs obesse non debet.[a] Vnde regula iuris admodum uulgaris: *res inter alios iudicata, alijs non obest.*[b] *proinde si ex duobus petitoribus alter uictus adquieuerit, alterius petitioni nō præiudicatur,*[c] *nec obstat ei rei iudicatæ exceptio. Sanè alia ratio est, cùm quis de ea re, cuius actio uel defensio primùm sibi competit, sequentem agere patiatur: ueluti si creditorem experiri debitor passus sit de proprietate pignoris, aut maritus socerum uel uxorem de proprietate rei in dotem acceptæ, aut possessor uenditorem de proprietate rei emptæ.*[d] Rei *insuper iudicatæ exceptio à persona auctoris ad emptorem transire solet: retrò autem, ad auctorem ab emptore reuerti non debet.*[e] Adhæc, *si unus ex argentarijs socijs (ut inquit* Paulus*) cū debitore pactus sit, an etiam alteri noceat exceptio?* Et *respondetur, etiā si in rē pactus sit, alteri nocere.* Idem *quoq; in duobus reis stipulandi dicendum est.*[d] Ex *his patet, quòd exceptio sæpe, licet iusta sit, iniqua tamē sit, aduersus eū cui opponitur.* Præ*terea ut reus multis modis exceptione procuratoria actionem potest excludere atq; differre, ita contrà quoq; actor procuratoria replicatione exceptiones rei conuenti potest elidere. ut enim*

a C. res inter alios acta uel iud.

b ibidem. & l. Modestinus ff. de except. præscrip. & l. sæpe constitutum est, ff. de de re iudica.

c l. sæpe constitutum est. §. 1. ff. de re iudicata.

d l. sæpe constitutum est. §. 1. ff. de re iudicata.

e l. si à te hæreditat. §. fin. ff. de except. rei iudicatæ.

d l. si unus ex argent. §. 1. ff. de pactis.

enim non quæuis actio per quemuis intendi potest: ita nec omnis exceptio per quemuis potest opponi. Planè potest quis ad defendendum sine mandato procurator esse, cùm ad agendum nō nisi præcedente mandato procurator esse possit. Publicè enim utile est, absentes à quibuscūq; defendi. Nam & in capitalibus iudicijs defensio datur.[a] *Potest demum quis non plus sua exceptione comprehendere, quàm reuera in eam uenit. Nam si, cùm mihi uiginti deberes, pepigerim ne decem petam, exceptio pacti cōuenti tantùm in decem datur.*[b] *Postremò, ut sunt certa quædam officia actoris, quæ nisi præstiterit, ab actione excluditur: ita quoq; reo conuento quædam à legibus iniuncta sunt, quæ nisi præstiterit, ad exceptionem non admittitur. Debet autem reus conuentus similiter ut actor, iurare de calumnia,*[c] *quod putans se bona instantia uti ad reluctandum peruenerit: quod nihil penitus uel iudicibus patrocinij gratia, uel cuicunq; alij personæ ex eadem causa quocunq; modo dederit, promiserit ue, aut postea dabit, exceptis his quæ aduocatis suis pro aduocatione præbēt, aut alijs personis, quib. leges dare præscripserint.*[d] *Debet item reus iudicatū solui satisdare: item in exceptione doli mali designare, cuius dolo factum sit.*[e]

a l. seruū quoque §. publice ff. de procuratoribus & de [illegible]

b l. seruus ex arg. §. si cum mihi. ff. de pactis.

c l. 2. §. reus autem non aliter suis alleg. et §. quod si is/tor... de iureiurando propter calumniã dando.

d Nouel. c. 124. ut litigantes iurent in exordio lit. 6. 1.

e l. 1. §. & quidem illud. ff. de dolo malo & metus exceptione.

De

De replicationibus, duplicationibus & triplicationibus.

Cap. XIX.

NE *autem quis putet aliā esse rationem replicationum, duplicationum, triplicationum, quàm exceptionū.* Eadem *sunt genera replicationum quæ exceptionū, eadem ratio: idemq́; est actori replicatio, quod reo cō uento exceptio: & ex quibus causis denegatur reo exceptio, ex ijs datur actori replicatio.* Re*plicationes (inquit* Vlpianus*) nihil aliud sunt quàm exceptiones, & à parte actoris ueniunt.* Q*uæ quidem ideo necessariæ sunt, ut exceptiones excludant. semper enim replicatio idcirco obijcitur, ut exceptionem oppugnet.* Exceptio *actorem excludit, replicatio reum. Sed & contra replicationem duplicatio, & contra duplicationem solet dari triplicatio.* Et *contra triplicationem rursus quadruplicatio.* Et *ita deinceps multiplicantur nomina, dum aut reus aut actor obijcit.* [a] Replicatio *(inquit* Paulus*) est contraria exceptio, & quasi exceptionis exceptio.* [b] Replicatio *uocatur (inquit* Imp. Iusti*nianus) quia per eam replicatur atque resoluitur ius exceptionis: ueluti cùm pactus est aliquis cum debitore suo, ne ab eo pecuniam petat: deinde in contrarium pacti sunt, hoc*

a l.2.§.replicationes.ff.de exce.præs.r.

b l.exceptio est.ff.eod.

est, ut creditori petere liceat: si creditor agat, & excipiat debitor, ut ita demum condemnetur. Si non conuenerit, ne eam pecuniã creditor petat, nocet ei exceptio: conuenit enim ita. nanq; nihilominus hoc uerum manet, licet postea in contrarium pacti sint: sed quia iniquũ est creditorem̃ excludi, replicatio ei dabitur ex posteriori pacto conuento. [a] *Quare ut exceptiones sumũtur ex actionis circumstantijs, ita quoq; replicationes sumũtur ex circumstantijs exceptionis: hoc est, ex causa ex qua excipitur, ex persona excipientis, ex persona eius aduersus quẽ excipitur, seu cui exceptio opponitur: ex persona eius per quẽ excipitur, ex tẽpore et modo exceptionis, ex re quæ in exceptionẽ deducitur. In causa exceptionis actor replicãdo, ut reus excipiendo, negat factum uel ius, aut distinguit. Fingamus, exempli gratia, actorẽ agere cõdictione certi uel ex stipulatu, reumq; excipere solutionis exceptione, hoc modo: Si debitũ solutũ nõ sit. actor igitur replicãdo aut negat solutũ esse, aut distinguit. nam ius in hac exceptione negare non potest: distinguit ergo, si negare nõ potest, ex aliqua solutionis circũstãtia: utputa si dicat falso procuratori solutũ esse. nã tunc solutio inutilis est. Sic quoq; si filiofamiliàs credita pecunia sit, opponatq; reus conuentus exce-*

a §.1. inst. de replicationibus.

exceptionem ſenatuſconſulti Macedoniani: poteſt actor elidere exceptionem, replicando ex perſona creditoris, ſi fortè pupillus uel minor uigintiquinq; annis filiofamiliâs crediderit pecuniã. Nam his caſibus exceptio ſenatuſcõſulti Macedoniani ceſſat. [a] *Poteſt itẽ reus replicare ex cauſa crediti: ut ſi in neceſſarios uſus creditũ eſſe dicat.* [b] *Item ex conſequentibus, ſi pater creditũ ratũ habuerit.* [c] *Replicatio iuris eſt, utputa ſi quis aduerſus agentẽ ex delicto pœnali iudicio excipiat hoc modo: Niſi minor uigintiquinq; annis deliquerit. nam hæc exceptio ipſo iure nõ ualet. Neq; enim ut in contractibus, ita quoq; in delictis minorib. uigintiquinq; annis iura ſuccurrunt.* [d] *Item ſi quis ex cauſa tranſactionis cõuentus excipiat, Niſi ſecunda hora noctis tranſactio facta ſit: poteſt opponi iuris replicatio. Ipſo iure ſiquidem nõ ualet exceptio. Nec enim ad reſcindendũ pactũ ſufficit, quòd hæc ſecunda hora noctis interceßiſſe proponãtur: cũ nullũ tempus ſanæ mẽtis maioris uigintiquinq; annis cõſenſum repudiet.* [e] *Huius replicationis eſt phraſis illa iuriſcõſultorũ: Reſpondeo, nihil proponi cur nõ poßit. Quin etiã aduerſus exceptionem iuris, iuris replicatio datur: utputa ſi reus cõuentus excipiat ex iure aliquo poſtmodum mutato, uel ſcripto, uel conſuetudine: uelu ti ſi*

a l. ſi quis patremfam. §. 1. ff. de ſenatuſ. Maced.

b l. Macedonian. C. ad ſenatuſ. Mace.

c l. ſi filiusfa. §. 1. C. eod.

d l. ſi ex cauſa. §. nunc uidendum. ff. de minoribus uiginti quinque annis. & C. ſi aduerſus delictum ſuum.

e l. non minor m. C. de trãſactionibus.


ti si aduersus uxorem defuncti hæreditatem ab intestato petentem, reus conuentus et possessor hæreditatis & cognatus defuncti excipiat ex iure Romano *dicens, Ipso iure non ualere actionem, quoniam cognati præferuntur uxori in successione ab intestato: potest mulier replicare ex iure consuetudinis, qua præfertur uxor cognatis contra ius* Romanum. *Maiorem autem uim habet ius consuetudinis quàm ius* Romanum. *Proinde rectè dixit ille, quisquis fuit:* Legum Romanarum *(inquiens) non est uilis authoritas, sed non adeò uim suam extendunt, ut usum uincant, aut mores.* [a] *Cùm ergo eadem sit replicationum, duplicationum, &c. ratio, quæ exceptionum, non separatam desiderant tractationem: sed natura & ratio illarum, & tractandi modus, ex ijs quæ de exceptionibus hactenus dicta sunt, quæq; in posterum dicentur, innotescet.*

a §. legum au tem. lib. 2. feu dorum. ff. 1. tit. 1.

LIBRI QVINTI FINIS.

PRACTICÆ FORENSIS LIBER SEXTVS.

De ratione exceptionum inueniendarum. Cap. I.



Sus eorũ quæ hactenus de exceptionibus dicta sunt, non is tantùm est, ut exceptionum genera noscamus: sed etiã ad exceptiones & replicationes in causis inueniendas ualent plurimũ. Ostensi enim sunt loci ac sedes, in quibus exceptiones latent, & ex quibus sunt depromendæ. Plurimùm autem refert in causis agendis scire, exceptionum inueniendarum rationẽ ac uiam: hanc enim qui ignorant, causis agendis inutiles sunt, & plus sæpe causis obsunt quàm prosunt: arma habẽt, sed nesciunt ubi. Proinde huc atque illuc cursitant, sursum ac deorsum arma quærentes, quicquid primùm in manus uenerit arripiunt, irruenti hosti obijciunt, ut cursum eius aliquo modo remorentur, uimq; eius repellant: articulos super articulos congerunt, non discernentes quæstiones principales, uel status causarum & exceptiones, ab argumentis & quæstionibus particula-

ribus: omnia confundunt, cœlum miscentes terræ: non apparet in illorum oratione, quod sit exceptionis genus, quæ sit quæstio principalis, quis sit orationis status, quæ sint argumenta: omnia in æquali loco collocant, omnia ex æquo sine ratione oppugnant. Implicantur negocijs aduocati, implicantur negocijs iudices: in perpetuum extenduntur lites, scilicet iuxta regulam iuris: omnes actiones quæ morte aut tempore pereunt, semel inclusæ iudicio perpetuantur.[a] Euacuantur litigatorum loculi, ignescunt iræ, coaceruantur lites atq; discordiæ ciuium, quo rebuspublicis nihil potest accidere perniciosius. Hæc tot ac tanta mala uel propter hoc solùm euenire mihi uidentur, quòd ij qui causis agendis præpositi sunt, actionum & exceptionum tam inueniendarum quàm proponendarum rationem ignorent. Consilium ergo meum de hac ratione hoc libro exponam: liberum cuiq; relinquens, uel hanc, quam monstrabo rationem, uel aliam in causis agendis sequi.

a l. omnes actiones. ff. de reg. iuris.

Omnis ergo qui causam in foro agere uolet, debet sollicitus esse primò de re quam dicturus est: deinde de modo, quo dicturus est. Actor igitur primò bene expendet, quid uelit intendere, & propter quam rationem: tum demum,

quomodo

quomodo suam intentionem cum ratione apud iudicem rectè proponat. Intentio autem actoris plerunque in eo consistit, ut reus conuentus sibi ad dandum quid uel faciendum condemnetur, compellaturq́: huius intentionis debet certam & in iure fundatam adferre rationem. Reus *autem petit absolui ab iniqua actoris intentione seu petitione, cuius suæ petitionis certam, ut actor, debet dare rationem, quæ uocatur exceptio.* Ea *autem exceptio, ex aliqua actionis circumstantia, ut in præcedentibus libris expositum est, sumetur.* Vt *ergo aliquam huiusmodi exceptionem ad causam defendendam, & petitionem suam corroborandam inueniat: diligenter excutiet actionis circumstantias, causam ex qua agitur, personam actoris, personam suam, personam procuratoris, personam iudicis, rem petitam, locum & tempus actionis, modum deniq; & officia actoris.* In *actionis causa probè perpendet, quid intendat actor, & propter quam rationem.* Debet *enim actor manifestè proponere rem quam petat, & rationem quare petat, quod uocant iurisconsulti edere actionem.* [a] Q*ua quisque actione agere uolet (inquit* Vl*pianus) eam prius edere debet.* N*am æquißimum uidetur, eum qui acturus est, actionem edere: ut proinde*

a Vide gloss. in l. 1. ff. de edend.

sciat reus, utrum cedere an contendere ultra debeat. Et si contendendum putet, ueniat instructus ad agendum, cognita actione qua conueniatur. Edere autem est, copiam describendi facere, uel in libello complecti & dare, uel dictare.

a l.1.§.1.ff. de edendo.

[a] Iam ergo cognita intentione actoris cum sua ratione, debet eas reus uel aduocatus ob certius iudicium conijcere in formam Syllogismi. Fingamus, exempli gratia, reum aliquem conueniri ad restituendos decem aureos depositos. Hic actoris intentio est, ut sibi reus ad decem aureos restituendos condemnetur. ratio est: quia apud reum deposuit illos. Conijce in formam Syllogismi, hoc modo:

Depositum ei, qui deposuit, est restituendũ:
Actor decẽ aureos apud Titiũ reũ deposuit:
Ergo, Decem aurei actori sunt restituendi.

Hoc igitur modo intentione actoris cum sua ratione uel causa in formam Syllogismi redacta, animaduertet reus, utrum maior uel minor neganda sit, uel distinguenda. Quòd si minorem crediderit negandam, facti exceptio erit: sin maiorem, iuris exceptio: sin autem distinguet, distinctionis exceptio erit. Planè si minor definitionem, non factum continebit, negata minore, distinctionis exceptio erit dicenda: de qua re suprà lib. 4. cap. 4. est dictum. Perpensa autem

actio-

actionis causa, poterit & reliquas actionis circumstantias excutere: & animaduertere, num exceptio aliqua dilatoria etiam competat. Porrò *pluribus exceptionibus quis uti non prohibetur,* [a] *licet diuersæ sint. Nam exceptione facti & distinctionis quis simul uti potest.* [b] Nemo *ex ijs (inquit Caius) qui negant se debere, prohibetur etiam alia defensione uti, nisi lex impediat.* [c]

a l.nemo.ff. de exceptionibus.

b l.si quidem intention.C. de exceptionibus.

c l.nemo ex ijs.ff. de reg. iuris.

Porrò præter prædicta, duo sunt ei qui exceptiones inuenire uolet, omnimodo necessaria. Primùm, probè perspectam habere causam præsentem, cum omnibus suis circumstantijs: alterum, nosse genus atq; naturam actionis, quæ in huiusmodi causis datur. Hæc *duo non solùm reo ad excipiendum, sed actori quoq; ad agendum & replicandum, sunt necessaria.* Causa *quidem præsens nota fiet, si singulas eius circumstantias excutias & inquiras, si animaduertas quid & quale sit factum, quis qualis'ue sit is qui fecisse, contraxisse uel deliquisse dicitur: aut is cum quo, uel cui: cuius conditionis sit is, utrum sui iuris, an in potestate patria constitutus: utrum miles aut paganus, utrum magistratus an priuatus sit: cuius sexus sit, utrum mas uel fœmina: cuius ætatis sit, utrum minor an maior ætate, &c.* Res *quoque, circa quam uersa-*

tur factum, probè est examinanda: utrum sit sacra uel prophana, mobilis an immobilis, corporalis an incorporalis, una an plures. Nam quantitas distinguit furem ab abigeo. qui enim unam suem subripuerit, ut fur coërcebitur: qui gregem, ut abigeus. [a] Causa item facti inspicienda est: utrum sponte an coactus fecerit, utrum casu an bene deliberato animo, utrum per se an mandatu alterius, utrum dolo an culpa factum sit, &c. Temporis denique, loci, modi, & euentus ratio habenda est, antecedentium, adiunctorum & consequentium, de quibus omnibus in præcedentibus libris copiosius est dictum. Actionis quidem genus qua ratione sit inuestigandum, satis suprà in prima parte dictum est. Actionis autem natura patebit, si scias causas ex quibus ea detur, & ex quibus non detur: quibus item, & aduersus quos competat, uel non competat: per quem, & apud quem detur: quid in eam ueniat: quando & quamdiu, item quomodo competat. Actio uerò & causa præsens, si probè fuerint cognita, conferenda inter se sunt: causa præsens ad naturam actionis est examinanda, & actio causæ præsenti est applicanda. Sic causa illuminabitur, quid iuris in ea sit, apparebit: ubi latitent exceptiones, replicationes, duplicationes,

a l. aut si facta. §. quantitas. ff. de pœnis.

cationes, notum fiet: melius causa agetur, fœlicius defendetur, certius & æquius de causa iudex pronunciabit: causam cognoscet aduocatus quidem ex domino litis, iudex uerò ex aduocato: actio autem ex libris iuris patebit. In libris *siquidē iuris quælibet actio graphicè est descripta, natura & proprietas cuiusque actionis est explicata & confirmata, ut nihil desiderari uideatur.* Fingamus *aliquem de mutuo reddendo conueniri. Certi condictio competet: quæ quàm egregiè suis pennis in lib. 12. ff. tit. 1. & lib. 4.* C. *tit. 2. sit depicta, & per suas circumstantias descripta, animaduerte quæso.*

De certi condictione.
Cap. II.

Causæ, ex quibus datur certi condictio.

C*Ausa principalis huius actionis est, creditum. Credere autem dicimur, cum alicui rei assentimur, alienam fidem secuti, mox recepturi quid ex hoc contractu.* Proinde *est credendi generalis appellatio, omnesq; contractus complectitur, quos alienam fidem secuti instituimus.* [a] Vnde *creditores quoque accipiendi sunt ij, quibus debetur ex quacunque causa uel persecutione uel iure ciuili sine ulla exceptionis perpetuæ remotione, uel honorario,*

a l. 1. ff. si certum petatur.

uel extra ordinario, siue purè, siue in diem, uel sub conditione. [a] Creditum ergo à mutuo differt, quemadmodum genus à specie. [b] *Nam mutuum tantùm in ijs rebus consistit, quæ pondere, numero uel mensura constant. Creditum autem in alijs quoq;. Mutuum insuper damus, recepturi non eandem speciem quam dedimus, sed aliam, eiusdem tamen generis: in cæteris autem contractibus etiam eandem rem recipimus, ut in commodato & deposito: aut aliam diuersi generis. Præterea alij contractus fiunt uerbis tantùm, etsi nihil hinc proficiscatur: mutuum autem non, nisi pecunia numerata proficiscatur, intelligitur. Mutuum deniq; non nisi dominus rei dare potest: in cæteris uerò contractibus interdum etiam non dominus credere potest.* [c] Creditum ergo quid sit, ex hisce patet. Non autem ex omni credito, certi cōdictio datur. Sunt enim multæ crediti species, ex quibus uel nulla, uel alia datur actio. [d] Quid enim, si pupillus sine authoritate tutoris credat? Creditum sanè inutile est, & condictio cessat, uindicatio tamen locum habet. Planè consumpta pecunia, condictiò locum habet. [e] Idem iuris est, furioso credente. [f] Filiusfamiliâs uerò credens nūmos peculiares, condictionem acquirit non quidem sibi, sed patri. Planè cùm filiusfamiliâs uiaticum

suum

a l. creditores. ff. de uerbor. sign.

b l. 2. §. creditum ergo. ff. si certū petatur.

c l. 2. ff. eod.

d l. non omnis numer. §. 1. ff. eod.

e l. non omnis. §. si pupillus. ff. eod.

f l. si à furioso. ff. eod.

g l. 2. §. in mutui dat. ff. eod.

suum mutuum dederit, cùm studiorũ causa Ro*mæ ageret, extraordinario iudicio illi est subueniendum.* [a] Præterea *non licebat olim ijs qui prouincias regebant, qui'ue circa eos erant, mutuam pecuniam dare, & fœnebrem exercere.* [b] Propter *personam quoq; eius cui creditur, sæpe ius crediti uariatur: utputa si filiofamiliâs pecunia mutua data sit, nam tunc aduersus creditorem certi condictione agentem, tam filiofamiliâs quàm patri eius, & horum hæredibus datur exceptio ex senatusconsulto* Macedonia*no, de qua suprà dictum est.* Si *tamen hoc creditum sit solutum, non datur condictio indebiti.* [c] Pupillus *quoq; mutuam pecuniam accipiendo, ne naturali quidem iure obligatur.* [d] Pro*pter rem quoque creditam, inefficax reputatur interdum creditum: ueluti si alienam pecuniam quis crediderit, non suam.* Planè *consumpta ea pecunia, condictio competere incipit.* [e] Datur *tamen creditori quoq; cõdictio, etiam non consumpta pecunia, si scilicet ut propriã pecuniam numerauit, uel sibi dari stipulatus est.* [f] Socius *quoq; communes nummos mutuos dando, non nisi pro sua parte acquirit certi condictionem.* [g] Ex *adiunctis demũ crediti ius uariatur, aliaq; & alia actio competit.* Quid *enim si stipulatio interueniat?* Quoties *mutuam dantes pecu-*

a l.cũ filiusfam.ff.eod.

b l.principalibus.ff.eo. & l. eos qui. C. eod.

c l. si filiusfam.ff.eod.

d l.pupillus. ff. de actionibus & oblig.

e l.nã etsi fur. §.1. & l. non omnis numerat.§. fin. ff. si certũ petatur.

f l. 1. & l. si absentis. & l. non unde. C. eod.

g l. si is cui nũmos.§.1. ff. de solutionibus. & l.si socius. ff.si certum petatur.

niam (inquit Paulus*) eandem stipulamur, non duæ obligationes nascuntur, sed una uerborum: planè si præcedat numeratio, sequatur stipulatio, non est dicendum, recessum à naturali obligatione.* [a] *Quid ergo, si inutilis stipulatio interuenit? utputa si creditor alij numeratam pecuniam dari stipuletur: uel si ab eo stipuletur, cui postquàm pecunia numerata est, bonis est interdictum: uel si à pupillo sine tutoris autoritate stipuletur, cui tutore autore credidit: uel deniq;, si sub impoßibili conditione stipulatur?* In *his casibus cessat ex stipulatu actio, sed condictio mutui salua est.* [b] Ex *euentu denique & consequentibus ius crediti uiciatur, uel tollitur: ut si res restituta uel soluta est, sine dubio certi condictio cessat, opposita solutionis exceptione.* Item *si pecunia promissa quidem sit, sed non numerata, non numeratæ pecuniæ exceptio locum habet.* Si *quoque nouatio interuenit, prior obligatio tollitur.* Quid *tamen, si quod mihi purè debes, iussu meo* Attio *promisisti, & conditio postea deficiat, an condictio quasi contractu nouato cessat?* Re*spondet* Iabolenus, *non cessare.* [c] Si *autem res mutua data perierit, & in rerum natura esse desierit, nihilominus debitor obligatus manet.* [d] Ius *etiam crediti amittit creditor, si debitorem ui*

a l. si ita stipulatus. §. supereft. ff. de uerbor. obligat.

b l. certi condictio. §. quoniam igitur. ff. si certum petatur.

c l. pecuniã quam. ff. si certum petatur.

d l. 1. §. is quo què cui rem. ff. de actio. & obligat. & l. incendium. C. si certum petatur.

rem ui

rem ui inuaserit, & quod iure repetere debebat, ui repetierit. [a] *Ex hisce ergo atq; alijs pluribus quæ in titulis Si certum petatur, continentur, apparet, non ex quouis credito certi condictionem dandam esse, sed interdum aliam actionem, interdum etiam omnino nullam, quæ omnia reo conuento excipiendi materiam monstrant. Sed & actor ex ijsdem titulis contra exceptiones, replicationes petere potest, ut patet ex iam dictis de nouatione. nam aduersus eum qui certi condictione agit, nouato contractu reus propter nouationem potest excipere: si tamen conditio contractus defecerit, replicatio datur actori aduersus exceptionem.*

a l. 1. §. fin. C. de suffragio.

Quibus datur certi condictio?

Insuper personæ, quibus competat hæc actio, recensentur. Pro curatore, tutore & curatore credente & stipulante, ipsi domino, pupillo & adulto competit actio. [b] *Si item quis suos nummos alterius nomine crediderit, ei competit condictio cuius nomine credita est, non ei qui credidit.* [c] *Contrà quoquè, qui alienos nummos suo nomine credit, non ei cuius nummi fuerunt, datur actio, sed ei qui suo nomine credidit.* [d] *De credito quoq; serui similiter quæritur, cui ex eo competat actio.* [e]

b l. si pecuniam. ff. si certum petatur.
c l. certi condictio §. si nūmos. ff. eod. & l. si ita stipulatus. §. Chrysogonus. ff. de uerbor. obligat.
d l. 2. & l. non unde. C. si certum petatur.
e l. eius qui in prouin. ff. eod.

Aduersus

Aduersus quos detur?

Siue autem suo nomine quis obligatus sit, siue alieno, per hanc actionem (inquit Vlpianus) rectè conuenietur.[a] *Item si quis in res alienas mutuam sumpsit pecuniam, non in dominum rerum, sed in eum qui principaliter obligatus est, actio datur.*[b] *Neq; item in eum cui debitor credidit, datur actio, sed in ipsum creditorem.*[c] *Ciuitas insuper (inquit Vlpianus) mutui datione obligari potest, si ad utilitatē eius pecuniæ uersæ sunt: alioquin ipsi soli qui contraxerunt, non ciuitas tenebuntur.*[d]

a l. certi condictio. §. siue autē. ff. si certum petatur.

b l. eum qui mutuum. C. eod.

c l. non aduersus. C. eo.

d l. ciuitas. ff. eod.

Quid ueniat in certi condictionem?

Quæstio quoq;, quid ueniat in hanc actionem, accurate explicatur. Cùm fundus uel homo (inquit Paulus) per condictionē petitus est: puto hoc nos iure uti, ut post iudiciū acceptum causa omnis restituenda sit: id est, Omne quod habiturus esset actor, si litis contestandæ tempore solutus fuisset.[e] *Vinum quod mutuum datum erat (inquit Iulianus) per iudicem petitum est: quæsitum est, cuius temporis æstimatio fieret: utrū cùm datum esset, an cùm lis contestata fuisset, an cùm res iudicaretur? Sabinus respondit: Si dictū esset quo tempore redderetur, quanti tum fuisset: si non, quanti tunc cùm petitum esset.*[f] *Interrogatus (idem Iulianus inquit) cuius lo-*

e l. cum fundus uel ho. §. 1. ff. si certum petatur.

f l. uinum quod. ff. eod.

ius loci preciũ sequi oporteat? Respondi, si conuenisset ut certo loco redderetur, quanti eo loco esset: si dictum non esset, quanti ubi esset petitum.[a] Re *quoq; mutuò data, eiusdem generis & qualitatis res restituenda uenit.*[b] *Huc pertinent insuper leges de usuris: utputa l. lecta est in auditorio. ff. si certum petatur. & l. si ex precio. & l. si pro mutua. C. eodem. Huc item referr alias leges, ut l. rogasti me. §. si tibi decem. Si tibi decem dedero (inquit Vlpianus) ut nouem debeas, Proculus ait rectè, te non amplius ipso iure quàm nouem debere. Sed si decem dedero, ut undecim debeas: putat Proculus, amplius quàm decem condici non posse. Sed quorsum opus est, singulas leges enumerare?*

a ibidem.

b l. 2. §. 1. & l. 3. §. fin. ff. eod.

Quando detur certi condictio?

Non competit ante diem, uel conditionem contractus existentem.[c] *Præterea si is qui decem apud aliquem deposuit, permittat depositarium ijs uti: an, antequàm à depositario decem moueantur, condici quasi mutua possint, quæritur? & respondent iurisconsulti, posse.*[d] *Ex his ergo manifestũ est, quàm graphicè actiones in libris iuris per suas circumstantias describantur. Non enim ulla lex in illis titulis, si certum petatur, est, quæ non ad harum circumstantiarum aliquam explicandã pertineat: idq; non tantùm*

c l certi condictio §. 1. & l. non omnis §. 1. ff. si certum petatur. Huius loci est l. pecuniã quã mihi, cum tribus legibus sequentibus. ff. eod.

d l. certi condictio. §. fi. & l quod si ab initio. ff. eod.

tantùm in certi condictione cernere licet, sed in alijs actionibus omnibus.

Vi bonorum raptorum.

Cap. III.

VIdeamus idem in alia actione magis speciali: utputa in actione ui bonorum raptorum. Certi enim condictio generalis est, competens ex omni causa, & ex omni obligatione, ex qua certum petitur, siue ex certo contractu petatur, siue ex incerto. Videamus igitur, ui bonorum raptorum actionem, quæ & breuis est, & specialis. Hæc describitur lib. 4. Inst. tit. 3. lib. 47. ff. tit. 8. & lib. 9. C. tit. 33.

Causæ, ex quibus datur.

Causa huius actionis est rapina, si uidelicet alicuius bona rapta sint. l. 1. ff. ui bonorum raptorum. Distinguitur hæc propositio ex persona raptoris: utputa si impubes raptor sit, qui doli mali capax non sit, cessat hæc actio. l. 2. §. in impuberem. ff. ui bonor. raptor. Item si dominus rem suam rapuerit à possessore. l. 2. §. hac actione is demum. ff. eod. Nihil autem refert, siue solus quis uim fecerit, siue coactis hominibus. l. 2. §. item si proponas. ff. eod.

Item ex causa facti, & modo: utputa si sine dolo malo rapuerit, cessat hæc actio. §. ita tamen com-

men competit. Inst. eod. & l. 2. §. hac actione is demum. ff. eod. Definitio doli mali est. l. 2. §. dolo autem. & §. doli mali. ff. eod. Proinde is qui aliquo errore ductus, rem suam esse existimans, eam rapuit, hac actione non tenetur. §. ita tamen competit. Inst. eod. Publicanus quoq;, qui pecus meum abduxit, dum putat contra legem uectigalis aliquid à me factum esse, ui bonorum raptorum actione non tenetur. l. 2. §. si publicanus. ff. eod. Siue autem ui, siue clàm fiat, nihil refert. l. 2. §. doli mali. ff. eod.

Deducitur item ex re rapta hoc modo: Nisi rem suam quis rapuerit. l. 2. §. hac actione is demum. ff. eo. Huius item loci quæstiones hæ sunt: An si res immobilis sit. §. quod non solum. Inst. eod. An si res non sit eius cui rapta est, seu ablata, sed ei fortè locata, uel pignori data. §. sanè in hac actione. Inst. eod. & l. 2. §. in hac actione. ff. eod. An si una res sit, uel minima. §. 1. Inst. eod. & l. 2. §. quod ait prætor. ff. eod.

In hunc ergo modum causa huius actionis distinguitur non solùm in citatis legibus, sed in alijs etiam, eorundem tamen titulorū. Huc pertinet etiam clausula uniuersalis: Ex quibus causis furti actio competit in re clàm facta, ex ijsdem causis omnes habent hanc actionem. §. fin. Inst. eod. & l. 2. §. & generaliter. ff. eod.

Quibus,

Quibus,& aduersus quos detur
hæc actio?

Hæc actio (inquit Vlpianus) hæredi, cæterisq; successoribus dabitur: in hæredes autem, cæterosq; successores non dabitur: quia pœnalis actio in eos non datur. l. 2. §. fin. ff. eod. Hac au*tem actione tam is qui homines ad rapinā coëgit, quàm is qui inter coactos fuit, & quid rapuit, tenetur. l. 2. §. si quis homines. ff. eod.*

Quid ueniat in hanc actionem?

Intra annum quadrupli, post annum simpli est. §. 1. Inst. eod. & l. 2. cum tribus legib. seq. C. eod. In hoc autem quadruplo, rei persecutio continetur. §. quadruplū autem. Inst. eod. Præterea rei uerum preciū, non quod interest, quadruplicandum. l. 2. §. in hac act. ff. eod.

Adfinia remedia.

Adfinia quoq; remedia huius actionis enumerantur. Vt est actio furti, damni iniuriæ, condictio, & rei uindicatio. §. 1. Inst. eodem. & l. 1. & l. 2. §. cæterùm neq; furti. & §. & generaliter. & §. rerum raptarum. ff. eodem. Adfine item remedium est iudicium publicum, de ui priuata & publica. l. 2. §. hoc edicto. ff. eodem.

Hæ sunt leges titulorum de ui bonorum raptorum, sed non omnes: ad eadem tamen capita reliquæ sunt referendæ. Quàm eleganter igitur

actiones

actiones in libris Pandectarum, Codicis, & Institutionũ describantur, ex hisce exemplis arbitror esse perspicuũ. Si ergo naturam actionis, quæ in iudiciũ deducitur, ex hisce libris probè didicerimus, & causam præsentem rectè perspexerimus, nihil uideo quid nobis ad exceptiones inueniendas supersit difficultatis.

De exceptione solutionis. Cap. IIII.

Porrò quam dixi exceptionum, eadem & replicationum inueniendarum ratio est. Vt igitur reus, uel aduocatus eius, exceptiones quærens, probè cognitam habere debet & causam ex qua agitur, & actionis competentis naturam: ita quoq; actor, uel aduocatus eius, replicare uolens, debet bene nosse & causam ex qua excipitur, & exceptionis naturam, proprietatemq́;. Exceptionis natura aut in titulo actionis, qua experitur actor, explicatur: aut separatim singulari titulo describitur. Separatim describitur exceptio solutionis: nã ea propriũ habet titulũ tam in Pandectis quàm in Codice, scilicet tit. 3. ff. lib. 46. et tit. 43. C. lib. 8. in quo natura eius traditur. Videamus igitur quomodo ea in illis titulis sit descripta, & quæ sit eius natura: frequens enim & usitata est hæc exceptio. Describuntur autem exceptiones, ut actiones, per suas circumstantias.

Causæ huius exceptionis.

Causa generalis huius exceptionis est solutio, cum uidelicet quis id quod à se petitur, docet esse solutum. Vt enim ex contractu & obligatione nascitur actio: ita ex solutione eius quod debetur, omnis tollitur obligatio, perimitur actio & oritur exceptio. Qui igitur couentus ex quacunq; obligatione uel actione docere potest, se soluisse, exceptione solutionis tutus est. Multis *tamen modis aduersus eam exceptionē replicari potest. Multum enim interest, cui solutū sit, quid solutum sit, quomodo solutum sit, &c.*

a l. qui homi nem. §. si nullo. ff. de solutionib.

b l. cum maritum. C. de solutionibus.

c l. solutā pecuniā. & l. cū iussu. ff. eod. & l. quod iussu. ff. de regu. iuris.

d l. si pupilli debitor. ff. de solut.

e l. pupilli. §. 1. ff. eod.

Igitur ex persona eius cui solutum est, inefficax censetur *solutio, si forte alij, quàm ei cui debetur, solutum sit, iniussu creditoris.*[a] Proinde *etsi marito eius cui debetur solutum sit, solutio non liberat.*[b] Planè *si iussu creditoris alij solutū sit, debitor liberatur, exceptioq́; solutionis competit.*[c] Attamen *si debitor pupilli, iussu eius alij soluerit, stricto iure non liberatur: sed tamen duplicatione se aduersus replicantē actorem æquitatis ratione tuebitur.*[d] Sed *pupilli debitor iussu tutoris creditori tutoris soluens liberatur, nisi malo consilio cum tutore habito hoc factum esse probetur.*[e] *Sed etsi creditor debitorem suum alij soluere iußit, postea autem, antequam solutum sit, prohibuit: soluens*

debitor

debitor non liberatur.[a] Sane si non ex nudo permissu creditoris, sed iure stipulationis, debitor alij soluere potest, tunc etiam postea prohibente creditore, debitor alij soluendo liberatur.[b] Si autem quis, cum debitorem suum alij iußisset soluere, postea alium uetuerit accipere, exceptio solutionis non datur debitori, si sciuerit creditorē alium accipere prohibuisse: at si ignorauerit, solutio ei proficit.[c] Ad hæc, si creditor post mortem demum suam alij solui mandauerit, uel iusserit, solutio debitori non proficit: quia mandatum morte finitur. sane ei qui mandatu creditoris post mortem eius sibi solui stipulatus est, utiliter soluitur.[d] Sed etsi omnino non iussus sit debitor alij soluere, si tamen creditor alij solutum ratum habuerit, solutio efficax est: quia ratihabitio mandato cōparatur.[e] Sed etsi neq; ratum habuit creditor, si tamen ab eo cui solutum est, creditori solutū uel restitutum sit, exceptio solutionis competit debitori.[f] Procuratori sane creditoris, recte etiam iniussu eius soluitur.[g] Vnde etiamsi procurator negocia administrare prohibitus sit, uel pecuniam exigere: hocq; debitores ignorantes soluerint ei, solutio nihilominus liberat.[h] Sane si falso procuratori, & cui mandatum non est, solutum sit, liberatio nō contingit.[i]

a l. uero procuratori. §. sed etsi. & l. aliud est. & l. fin. ff. eod.

b ibidem.

c l. uero procuratori §. sed etsi. & l. si quis seruo. § fin. ff. eod.

d l. fin. ff. eo.

e l. solutā pecuniam. ff. eo. & l. multo. C. eod.

f l. sed etsi lege §. certe si minor. & l. si quid possess §. fi. ff. de pett. hereditat.

g l. uero. §. 1. & l. qui homi nem §. si Titium. ff. de solutio.

h l. qui hominem. §. si Titium. & l. dispensatori. ff. eod.

i l. qui hominē. §. si nullo. ff. eod.

a l. uero pro curatori. §. si. & l. si quis of ferenti. §. 1. ff. de solut.

nisi forte creditor postea ratum habuerit.[a] Litis *item procuratori non recte soluitur: nam absurdum est (inquit* Paulus*) cui iudicati actio non datur, ei ante rem iudicatā solui posse. Si tamē ad hoc datus sit, ut solui ei poßit, debitor ei soluēdo liberatur.*[b] *Si quoq; ei qui sine mandato negocia administrat & cōtraxit, soluatur, solutio utilis censetur.*[c] Tutoribus *quoq; & curatorib. recte soluitur, nec intereſt legitimi, an testamentarij, an uerò ex inquisitione tutores dati fuerint.*[d] *Sane tutori remoto uel suspecto postulato, uel ei qui tutor esse desiit, nō recte soluitur.*[e] Ei *quoq; qui notitiæ gratia tutor datus est, utiliter soluitur, nisi ei solui prohibitum sit.*[f] Sed *& uni tutorū solui poteſt.*[g] Adhæc, *si mihi aut pupillo uel furioso* Titio *dari stipulatus sum, tutori quoq; pupilli, uel curatori furiosi recte soluitur.*[h] Idem *dicendum est, etsi conditionis implendæ causa pupillo uel furioso quis soluere iussus sit.*[i] Insuper *quæro (inquit* Paulus*) an tutoribus uel curatoribus in prouincia datis,* Romæ *pecunia solui poßit: quæ in prouincia ita ab his fœnerata esset, ut* Romæ *solueretur, cùm ijdem tutores uel curatores rerum* Italicarum *administrationem nō sustineant?* Paulus *respondit:* Tutoribus *his, uel curatoribus recte pecuniam pupillo debitā solui, qui negocia eius administra-*

b l. hoc iure utimur. ff. eo.

c l. filiæ interstato. & l. filius qui. ff. eod.

d l. quod si forte §. sunt quidam. ff. eod.

e d. l. quod si forte. §. sunt quidam. ff. eo.

f d. l. quod si. §. siue autem ff. eod.

g d. l. quod si. §. siue autē. ff. eod.

h l. Stichum aut. §. usum fruct.

i ibidem.

nistrant:eos autem qui prouincialium rerũ curatores uel tutores sunt, Italica *negocia administrare nõ solere,nisi specialiter tutores prouincialiũ rerũ,ut sibi* Romæ *res redderet, promitti curauerunt.*[a] Perseueranti *quoq; tutori in tutelæ administatione,licet capitis reo,rectè solui tur.*[b] *Quia reo criminis postulato,nihil prohibet rectè pecuniam à debitoribus solui.*[c] *Sed & illi,qui pro tutore negocia gerit,soluendo debitores liberantur,si pecunia in rem pupilli peruenerit.* At ut *tutori rectè soluitur:ita pupillo sine tutoris autoritate solutum,nõ proficit debitori ad exceptionem.*[d] Proinde *licet conditionis implendæ causa quis pupillo dare iussus sit, non tamen pupillo ,sed tutori eius soluendum est.*[e] Sanè *si mihi aut pupillo dari stipulatus sim: promissor pupillo sine tutoris autoritate soluendo à me liberabitur.*[f] *Sed etsi nummi pupillo inutiliter soluti salui sint, petentem pupillum doli mali exceptione debitor submouebit.* Idem *est,etsi pupillus ex ea solutione locupletior sit factus.*[g] *Cùm autẽ quæritur,an nũmi salui sint, uel ex ijs pupillus locupletior sit factus:tempus quo agitur,est inspiciendum.*[h] Planè *etiamsi perierit res ante litem contestatã, interdum quasi locupletior factus intelligitur:id est, si necessariam rem sibi emit,quam necessariò de suo erat*

a l.quæro. ff. eod.

b l. quamuis, §.fin.ff.eo.

c l.reo crim. ff.eo.

d l.pupillo.ff. eod & l.at ex contrario.instit.quib. aliena re licet, ue non.

e l.seruos decem.ff.de solutionib.

f l. si stipulatus.ff.eod.

g l.pupillo.ff. eod.& §.at ex cõtrario.Inst. quibus aliena re licet.

h l.in pupillo. §.1.ff.de solutionib.&l. in pupillo.ff. de exception. præscript.

empturus: nam hoc ipso quod non est pauperior factus, locupletior est.[a] Adhæc minori quoque uigintiquinque annis non rectè soluitur, nisi curatoris autoritate interueniente. nam si pecuniam solutam perdiderit, debitor manet obligatus.[b] Eadem dicenda sunt, si furioso sine curatoris autoritate sit solutum.[c] Matri quoque creditoris, etiamsi negocia eius gerat, inutiliter soluitur.[d] Gener quoque dotem socero, ignorante filia, soluens, non liberatur.[e] Cuilibet autem successori rectè soluitur.[f] Planè substituto, deliberante hærede instituto, non rectè soluitur: si tamen ad eum hæreditas postea deuoluta sit, debiti obligatio soluitur.[g] Pluribus item hæredib. creditori existentibus, quibusdam ex his solui potest: optimum tamen est, id per magistratum facere.[h] Sanè si iis, quibus testator nomen adscripsit, solutum sit, cæteri agentes exceptione sunt repellendi. De eo dubium non est, quin uni ex reis stipulandi rectè soluatur.[i] Idem dicendum est, si mihi aut Titio dari stipulatus sim. Nam Titio utiliter soluitur, licet agere non possit.[k] Sanè si Titius decesserit, hæredi eius solui non potest.[l] Titio item solui non potest, si ego litē cum debitore sim contestatus.[m] Etsi autē promissor mihi partem soluerit, reliquū tamen Titio rectè dabit.[n] Sed etsi debitor constituerit se mihi

a l. in pupillo. §. plane. ff. de solutionib.
b l. ait prætor §. 1. ff. de minorib. uigintiquinque.
c l. seruus decē. ff. de solut.
d l. filiæ. intestato. ff. eo. & l. libert. uel amic. §. quanquam ff. negoc. gest.
e l. qui hominē. §. si gener. ff. de solutio.
f l. pupilli debitor. §. fin. ff. eod.
g l. si stipulatus. ff. eod.
h l. 1. C. de excep. & præsc.
i l. si rem aliquam §. si duo ff. de nouatio.
k l. quod stipulatus. & l. uero. §. interdum & l. si ita stip. ff. de solu.
l l. si stipulatus sim §. 1. ff. eod.
l l. si quis stipul. ff. eod.
m l. cum decem. 1. §. ff. eo.

se mihi soluturum, potest tamen adhuc adiecto soluere.[a] *Nisi expreßim cõstituat, se mihi soli so luturũ.*[b] *Planè etsi ego postea prohibuero pro missorem* Titio *soluere, nihilominus ei soluendo liberatur.*[c] *Postremò, cum quis sibi aut* Titio *dari stipulatus est: magis est ut ita demum recte* Titio *solui dicendum sit, si in eodem statu maneat, quo fuit cũ stipulatio interponeretur. Cæterùm siue in adoptionem, siue in exilium ierit, uel aqua & igni ei interdictum sit, non rectè ei solui dicendum est: tacitè enim hæc conuentio inesse stipulationi uidetur, si in eadẽ causa maneat.*[d] *Sed quatenus ex persona eius cui solutum est, sumantur aduersus solutionis exceptionem replicationes, hactenus est ostensum.*

Propter soluentis uerò personã nunquã inutilis censetur solutio. Nec *enim interest quis soluat: utrum ipse qui debet, an alius pro eo. liberatur enim & alia soluẽte, siue sciente, siue ignorante debitore, uel etiã inuito solutio fiat.*[e] *Planè non ideo eos (inquit* Paulus*) qui uirilem portionem ex causa fidei cõmißi inferre debuerũt, liberatos uideri, quoniam quidam ex collegis per errorẽ plus debito intulerint.*[f] *Si item alius mortuo debitore pro eo iudicium acceperit, & condemnatus soluerit, hæredem non liberat: potest tamẽ se doli mali exceptione tueri aduer*

a l. si ita stip. §. 1. ff. eod.

b l. si uero mi. ff. de constit. pec.

c l. uero, pcu ra §. alia causa est. ff. de solut.

d l. cum quis sibi. §. 1. ff. eo. contrariæ fũt l. Stichum aut §. usumfructũ. ff. eod. & l. eũ qui ita §. qui si bi aut. ff. de uer. oblig.

e §. 1. Instit. quibus modis tollitur oblig. & l. manifesti iuris. C. de solut. & l. solution. & l. soluere pro. & l. qui mandat. & l. cum iussu. ff. eod. & l. soluendo. ff. nego. gest.

f l. Paulus respondit. ff. de solut.

sus actorem. [a] *Quid tamen, si cui pecuniam dederim, ut creditori meo solueret, & is suo nomine soluerit? Caßius ait, neutrum liberari. Planè si nūmi à creditore consumpti sint, eū liberari qui suo nomine soluit.* [b] *Procurator quoq; soluens, liberat dominum, nec ea pecunia à domino repeti potest.* [c] *Idem dicendum est, tutore soluente. Nam licet neq; dominus, neq; pupillus solutum ratū habuerit, nihilominus liberatur.* [d] *Pupilli sanè, sine tutoris autoritate, soluere nō possunt. quia id quod soluunt, non fit accipientis: cùm scilicet nullius rei alienatio eis sine tutoris autoritate sit concessa.* [e] *Proinde uindicari pecunia à pupillo soluta potest: sed & condici potest, si à creditore sit consumpta. Planè si fuerit consumpta, etiam liberabitur pupillus.* [f] *Vt autem reo criminis postulato rectè creditoribus: ita quoq; is rectè creditoribus soluit.* [g] *Is quoq; à quo hæreditas relicta est, utiliter soluit creditoribus hæreditarijs.* [h] *Sanè is qui pro hærede poßidet, soluens hæredē non liberat: quia pecunia repeti potest.* [i] *Nam cùm quis suo, non debitoris nomine, soluit, debitorem non liberat.* [k] *Postremò, qui se perpetua exceptione tueri potest, solutum repetit, & ideo non liberatur: quare si ex duobus reis promittēdi alter pepigerit ne à se petatur, quamuis soluerit, nihilo minus*

a l. de qua re. §. cum absente. ff. ubi quis agere uel.
b l. Cassius ait. ff. de so.
c l. quodlibet ff. eod.
d l. pupilli. §. cum pupillo ff. eod.
e §. fin. Inst. quibus aliena re licet, uel nō
f l. quod si forte. §. fin. ff. de solutionib. & l. non omnis. §. si pupillus. ff. si certum petatur.
g l. sed nec illud. ff. de solutionib.
h l. ante restitut. ff. eod.
i l. cum quis sibi. §. de peculio. ff. de solutionib. & l. si pœnæ cau. §. quamuis. ff. de condict. inde.
k l. si quid possess. §. 1. ff. de petit. hæred.

minus alter obligatus manet. [a] Non autem ut *debitum, quod iure consistit, altero soluente, alter liberatur: ita quoq; cùm factum debetur, alter faciens alterum liberat: utputa si nauem à se fabricandam quis promisit, uel domum ædificandam, fossam'ue faciendam: & hoc specialiter actum est, ut suis operis id perficiat: fideiussor ipse ædificans, uel fossam faciens, non consentiente stipulatore, non liberabit reum: quia inter artifices longa est differentia & ingenij, & naturæ, & doctrinæ, & institutionis. Quare etiamsi illis stipulationibus fideiussor accesserit, per te nō fieri quo minus mihi ire agere liceat: patientiam præstans fideiussor non efficiet, quo minus cōmittatur stipulatio: quemadmodum nec stipulationem committit, si prohibuerit ire.* [b]

a l. qui homi nem. §. fi. ff. de solut.

b l. inter artifices. ff. de solut.

Cæterùm res quoquè in solutùm data, sæpe materiam replicandi aduersus solutionis exceptionem præbet. Quid enim si aliud pro alio soluatur, idq; inuito creditore? Certè liberatio non contingit. [c] *Planè consentiente creditore contingit.* [d] *Si tamen per errorem consensit, utputa si cùm aurum deberem, æs quasi aurum ignoranti creditori soluerim, solutio inefficax est.* [e] *Sed etsi res alia pro alia consentiente creditore soluta sit, si tamē postea res uel pro par-*

c l. 2. §. mutui. ff. si cert. peta.

d §. 1. Instit. quibus modis tollitur obligatio. & l. manifesti. C. de solutionib.

e l. si cum aurum. ff. de solutionibus.

te euincatur, non liberatur debitor. [a] *Sanè si uir uxori prædia, quæ doti erant obligata, dlrempto matrimonio se in solutum daturum promisit, dotis quantitatem offerens etiam inuita muliere liberabitur.* [b] *Adhæc si tignum ædibus iunctum uindicetur, preciũ illius tigni etiam inuito creditori solui potest.* [c] *Si item auri debitor nõ habeat aurum quod soluat, sed res immobiles, quas uendere nequit, & propterea eas in solutũ dare paratus est: creditor eas etiam inuitus accipere cogendus est.* [d] *Vt autem res pro re regulariter, ita quoq; factum pro facto inuito stipulatore solui non potest.* [e] *Adhæc ne nũmos quidem dißimilis formæ creditor accipere cogendus est, si ex ea re damnũ aliquod paßurus est.* [f] *Reproba item pecunia soluta non liberat soluentem, si modò eam creditor reddere uelit.* [g] *Vnde quæsitũ est, si creditor oblatam à debitore pecuniã, ut alia die accepturus, distulit: mox pecunia, qua illa Respublica utebatur, quasi ærosa iussu præsidis sublata est: utrius sit detrimentum, creditoris ne an debitoris? Et respondit Scæuola, creditoris detrimentum non esse.* [h] *Præterea qui non solidum, sed partem debiti soluit, non nisi in eam partem, quam soluit, liberatur.* [i] *Sanè si quis cum equum deberet, partem alicuius equi, utputa Bucephali soluerit: ni-*

a l. si quis aliam rem. ff. e.

b l. quamuis stipu. ff. eo.

c qui res suas §. si. ff. eo.

d Nouell. c. 4. ut creditores primùm aggre. §. quod autem conse.

e l. qui res suas. §. mihi Romæ. ff. de solut.

f l. Paulus respond. t cred. ff. eo.

g l. elegãter. §. qui reprobos. ff. de pignor. actione.

h l. creditor oblatam. ff. de solu.

i l. si stipulatus sum §. qui decem. ff. de solu. & l. si ex maiore. C. de except.

rit: nihilominus equum debet, & equus adhuc ab eo peti potest. sed si reliquam partem Bucephali soluerit, uel per actorem steterit quo minus accipiat, liberatur in solidum.[a] *Ignorandum autem non est, quòd creditor partem debiti oblatam accipere sit cogẽdus, & reliquum persequi: quandoquidem reipubl. interest, lites deminui.*[b] *Si quis item, cum partem accepisset, scripserit se solidum accepisse, residui nihilominus habet petitionem, nisi per acceptilationem in reliquam partem liberauerit, uel transegerit.*[c] *Replicatio item aduersus solutionis exceptionem datur, quamdiu aliquid iuris rei deest. nam tunc adhuc ipsa res petenda est: utputa fundum possum petere, licet mihi traditus sit, si ius quoddam cautionis supererit.*[d] *Non item liberatur debitor hominis, si hominem uulneratum soluat: quod & de equo, boue, &c. intelligi potest.*[e] *Is quoq; qui per dolum pluris æstimatum fundum in solutum dederit, non liberatur, nisi id quod deest repleatur.*[f] *Sed si fideiussor sine adiectione bonitatis tritici pro altero triticum spopondit, quodlibet triticum dando, liberari eum posse existimo, inquit Iabolenus: à reo autem non aliud triticum repetere potest, quàm quo pessimo tritico liberare se à stipulatore licuit. Itaq; si paratus fuerit*

reus,

a l. si stipu. ff. de solut.

b l. quidam exist. ff. si certum petatur.

c l. si inter patrem. & l. interest. C. de solu.

d l. etiam circa. ff. eod.

e l. qui sibi. §. qui Stichum. ff. eo.

f l. si quis alium. §. fi. ff. eo.

reus, quod dando ipse creditori liberari potuit, fideiussori dare: & fideiussor id quod dedit, id est, melius triticum condicit, exceptione eum doli mali submoueri existimo. [a] *Ad iustam insuper solutionem pertinet, ut res quæ in solutũ datur, soluentis sit, non alterius. Nam si alieni nũmi inscio uel inuito domino soluti sunt, manent eius cuius fuêre. Sanè si misti alijs sunt, ut discerni non poßint, eius fiunt qui accepit: furti tamen actio domino, cum eo qui dederit, competit.* [b] *Ita tamen actor, cui res aliena in solutum data est, aduersus solutionis exceptionem replicare potest, si offerat rem quam accepit. Nam si is cui nũmos debitor soluit alienos, nũmis integris pergat petere, quod sibi debeatur, nec offerat quod accepit: duplicatione doli submouebitur.* [c] *Proinde si res ab eo qui eam in solutũ accepit, consumpta sit, liberatur debitor,* [d] *Idem dicendum est, si res in solutum data, usucapta sit.* [e] *Idem iuris est, si debitor postea rei dominus factus sit.* [f] *Res autẽ aliena uidetur & ea, quam debitor à pupillo sine tutoris authoritate accepit.* [g] *Quoties item suos nummos in solutum acceperit creditor, non contingit liberatio.* [h] *Is quoq; qui communes nummos in solutum dat, nõ nisi pro parte, quam in ijs habet, liberatur.* [i] *Alienam item rem dare uidetur, qui rem sub*

a l. fideiussorem. ff. mandati.

b l. si alieni nummi. ff. de solutionibus.

c l. si is cui nũmos. §. 1. ff. eo.

d l. non omnis §. fina. ff. si certum peta.

e l. is qui alienum. ff. de solutionib. & l. Iustinian. ait §. fi. ff. mandati uel contrà.

f l. si is cui nũmos. §. 1. ff. de solutionibus.

g l. non omnis. §. fin. ff. si certum petat.

h l. si manda uero §. si mandauerim. ff. mandati.

i l. si is cui nummos. §. 1. ff. de solut.

rem sub conditione à se legatam soluit: proinde tunc demum liberatio contingit, cùm conditio defecerit:[a] *nisi post interitum rei defecerit.*[b] *Si item usufructus rei in solutum datæ alienus sit, non procedit liberatio, nisi usufructus interierit.*[c] *Planè si propter interitum rei usufructus extinctus sit, non cõtingit liberatio.*[d] *Idẽ iuris est in re pignori obligata.*[e] *Nam non nisi extincta pignoris obligatione liberatio procedit.*[f] *Deniq; si pater rem castrensis peculij soluat, perinde obseruatur, ac si alienam rem dedisset: quamuis poßit residere apud eum cui soluta est, mortuo prius intestato filio: sed tũc acquisita creditur, cùm filius decesserit,*[g] *Porrò si nomen debitoris in solutum datum sit, procedit liberatio: quamuis nulla nec delegatio, nec litis contestatio præcesserit.*[h] *Planè creditorem nolentem suscipere nomen creditoris, compelli iuris ratio non permittit.*[i] *Adhæc, si quis stipulatus sit hanc uel illam rem, alterius rei solutio totam perimit obligationem.*[k] *Sed cùm quis illud aut illud debet, & constituit alterum, alterum quod non constituit soluendo non liberatur.*[l] *Idem dicendum est, si alterum, quod soluitur, sit creditoris. nam Stichum aut Pamphilũ stipulatus sum (inquit Marcellus) cùm esset meus Pamphilus: nec si meus esse desierit, liberabitur promissor*

a l. qui res su. §. 1. ff. eo.

b l. cum quis sibi. §. qui ho. ff. eo.

c l. si hom. ff. de solut.

d l. cum quis sib. §. qui ho. ff. eo.

e l. si rẽ. ff. eo.

f l. si hom. & l. qui res. §. 1. ff. eo.

g l. qui res suas. §. rem autem. ff. eo.

h l. 2. C. de oblig. & act. & l. pupilli debit. §. soror. ff. solut.

i l. eũ à quo. C. de solut.

k l. obligationum. §. modus. ff. de act. & oblig.

l l. illud aut illud. ff. de cõstituta pecu.

missor Pamphilum dando: neutrum enim uidetur in Pamphilo constitisse, nec obligatio, nec solutio.[a] *Eadem quoq; ratio est, si altera res interierit: nam tunc sola ea quæ adhuc in rerum natura est, debetur: nisi post moram à creditore factam altera interierit. Sanè si debitoris sit electio, ut utrum uelit præstet: si altera res interierit, altera adhuc peti potest.*[b] *Postremò, si ita à te stipulatus sim (inquit Paulus.) Si fundum non dederis, centum dare spondes? Sola centū in stipulatione sunt, in exolutione fundus. Sed si nauem fieri stipulatus sim, & si non feceris, centum: uidendum, utrum duæ stipulationes sint, pura & conditionalis, & existens sequentis conditio non tollat priorem: an uerò transferat in se, & quasi nouatio prioris fiat: quod magis uerū est.*[c] *Sed quatenus ex re soluta replicationes dentur, hactenus indicatum est. Interest insuper multum, quomodo soluatur: Nam qui sic soluit (inquit Vlpianus) ut recuperet, non liberatur:*[d] *quemadmodum non alienantur nummi, qui sic dantur ut recipiantur.*[e]

Quinetiam locus & tempus solutionis sæpe replicandi materiam adferunt. Vnde extat constitutio Imp. Diocletiani & Maximiani in hæc uerba: Obsignatione totius pecuniæ debitæ solenniter facta, liberationē contingere manifestū est: sed

a l. qui decē. §. Stichū aut. ff. de constitu ta pecun.

b l. Stichum aut. §. 1. ff. de solu.

c l. obligationū. §. si ita à te. ff. de act. & oblig.

d l. qui sic solnit. & l. in perpetu. l. si quis duos. §. fi. ff. de solut.

e ibidem.

est: sed ita demum debitori obsignatio liberationem parit, si eo loco solutio fuerit celebrata, quo debetur. [a] *Quinimò qui non debito loco soluit, non solum non liberatur, sed & actione arbitraria in id quod interest, tenetur creditori.* [b] *Is quoque qui non statuto tempore soluit, æquiparatur ei qui non soluit solidũ quod debetur.* [c] *Sane cum aliquis statim soluere debet, cum aliquo temperamento temporis intelligendum est: nec enim cum sacco (inquit Paulus) adire debet.* [d] *Neq; enim damnum magnum est in mora modici temporis.* [e] *Quod quis aliquo anno dare promittit, aut dare damnatur (inquit Pomponius) ei potestas est quolibet eius anni die dandi.* [f] *Planè is etiã, qui iudicio accepto ante rem iudicatam satisfacit actori, absolui debet: licet in ea causa fuisset iudicij accipiendi tempore, ut dãnari deberet.* [g] *Non autem ut solutio post moram facta ad liberandum inefficax censetur: ita quoq;, si ante diem facta sit, inutilis est censenda. Nam quod die certo promissum est (inquit Celsus) uel statim dari potest: totũ enim medium tempus ad soluendum promissori liberum relinqui intelligitur.* [h]

Postremò, solutio utiliter facta ex pòst facto non infirmatur, nisi forte res in solutum data euincatur. Nam re euicta, pristina durat obligatio.

a l. obsignatione. C. de solut.

b ff. de eo quod certo loco dari oportet.

c l. solidum non. ff. de sol.

d l. quod dicimus. ff. eod.

e l. si debitori me. ff. ubi quis agere uel.

f l. quod quis aliqu. ff. de act. & oblig.

g §. si. inst. de perpetuis & temp. act. & l. si reus parat. ff. de procurat.

h l. quod die certa. ff. de solutionib.

gatio. [a] *Etsi pars rei euicta sit, pro solido durat obligatio.* [b] *Planè si minor uigintiquinq; annis ex ea obligatione, in qua se circumscriptum docet, rem solutam per in integrum restitutionem euincat, prior obligatio non reuiuiscit.* [c] *Solutione autem ritè facta nihil nocent instrumenta non reddita, neque inducta, uel cancellata.* [d] *Causæ ergo ex quibus datur solutionis exceptio, & aduersus eam replicationes, hæ ferè sunt.*

Quibus datur solutionis exceptio?

Videamus alteram quæstionem: quibus scilicet hæc exceptio detur? Reo itaq; soluente, fideiussoribus quoq; datur solutionis exceptio. [e] *Et contrà soluente fideiussore, liberatur reus principalis.* [f] *Sed & altero reorum promittendi soluente, alter quoquè liberatur.* [g] *At cùm quis duos dedit fideiussores, potest ita soluere, ut unum liberet tantum.* [h] *Vnde uno fideiussore suam partem soluente, tanquam negocium rei gerat: is fideiussor solus liberatur, cuius nomine solutio facta est: perinde enim habendum est, ac si reus unius fideiussoris partem soluerit.* [i] *Si fideiussor pro duobus in dena fideiußit, obligatus est in uiginti: & siue uiginti siue dena soluerit, utrunq; reum liberabit: sed si quinq; soluerit, eum reum releuabit in quinq;, de quo actum est: at*

a l. qui sibi aut. §. 1. & l. qui res su. §. 1. ff. eo.

b l. si quis alium. ff. eo.

c l. qui res suas. §. huic appel. ff. eo.

d l. nihil interest. & l. si actor. & l. inductum. C. de solut.

e §. item si reus Inst. quibus modis tollitur oblig.

f d. §. item si reus. Inst. eo.

g §. ex huius modi. Insti. de duobus reis.

h l. in his uerò. §. si duos. ff. de solut.

i l. quoties unus. ff. eo.

est: at si non appareat, antiquius debitum erit inspiciendum. Idem est, etsi quindecim sint soluta: siquidem appareat quid actum sit, in decem & aliunde quinque erunt releuata. si uerò non appareat, ex antiquiore contractu decem, ex alio quinq; erunt releuata. [a]

a l. ubi fideiussor. ff. eo.

Quid ueniat in solutionis exceptionem, seu à quo debito liberatio contingat?

Cùm ergo quis ex pluribus causis debet, & soluerit ex quibusdam: dubitari potest, in quod debitum id quod solutum est, sit acceptum ferendum, poteftq; actor replicare: non ex ea causa, ex qua agit, sed ex alia esse solutũ. Proinde sciendum est, cui debito solutum accepto ferendum sit. Primò itaq; animaduertendum est, quòd debitum debitor dixerit se soluturum. nam in arbitrio soluentis est dicere, quod potius debitum uelit esse solutum. Et quod dixit, id erit solutum. [b] *Quòd si non dixerit, in arbitrio accipientis est, cui potius debito acceptum ferat. Debet tamen creditor in id debitum acceptum ferre, in quod si ipse deberet, esset soluturus: hoc est, in id quod non est in controuersia, aut in illud quod quis pro alio fideiusserat, aut cuius dies nondum uenerat.* [c] *Semper enim in duriorem causam acceptum feret.* [d] *Planè si in sortem & in usuras cõstituat, prius in usuras com-*

b l. 1. §. 1. & l. Paulus respõdit. ff. de solu. & l. 1. C. eo.

c l. 1. ff. de solu. & C. eo.

d l. cæterum postea. ff. eo.

a l.in his uero.§.fi.cum le. seq.ff.eod.

b l.1.§.fi.& l. seq.ff.eod.

c l.cū ex pluribus.ff.eod.

d l. cæterum postea.§.fi.& l.in his uero.§.1.ff.eod.

e l.& magis.cum l.seq.§.1.ff.eod.

f d.l.& magis.ff.eod.

putandum est: & quod superfuerit, in sortem.[a] Debet autem in re præsenti, hoc est, statim atq; solutum est, creditor constituere. nam postea nō permittitur.[b] Si uerò utriusq;, hoc est tam creditoris, quàm debitoris demōstratio cessauerit, tunc potior habebitur causa eius pecuniæ, quæ sub infamia debetur: mox eius, quæ pœnam continet: tertiò, quæ sub pignore contracta est: post hunc ordinem potior habebitur propria quàm aliena causa, ueluti fideiussoris. Quod ueteres ideo definierunt, quod uerisimile uideretur, diligentem debitorem admonitū ita negotiū suum gesturum fuisse: etsi nihil eorum interueniret, uetustior contractus antè solueretur.[c] Quòd si à neutro (inquit Vlpianus) dictum sit: in his quidem nominibus, quæ diem uel conditionem habuerunt, id uidetur solutum, cuius dies iam uenit: in his uerò quæ præsente die debentur, constat, quoties indistinctè quid soluitur, in grauiorem causam uideri solutum. Si autem nulla prægrauet, id est, si omnia nomina similia fuerint, in antiquiorē.[d] Grauior autem causa uidetur, quæ sub satisdatione debetur, quàm ea quæ pura est.[e] Item propria grauior est quàm aliena, hoc est fideiussoris. Itē grauius debitū est quod sub pœna debetur, quàm quod sine pœna.[f] Grauior item uidetur causa iudicati, quàm non iudi

cati. item pœnalis, & quæ inficiatione crescit, quàm non pœnalis: famosa, quàm non famosa. [a] Grauior item ea ex qua ad solutionem compelli tunc, cum soluebat, poterat. [b] Ea item causa potior haberi debet, cuius dies prior uenit, quàm ea cuius dies posterior extitit. [c] in usuras item potius quàm in sortem acceptum ferendum est. [d] Ad eas tamen usuras hoc pertinet, quas debitor exoluere cogitur. & sicut ex pacti conuentione datæ repeti non possunt: ita proprio titulo non numeratæ, pro solutis ex arbitrio percipientis non habebuntur. [e] Si solutum in usuras sit, tunc siquidem aliæ sunt debitæ, aliæ indebitæ, æqualiter ad utranq; causam tam debitarum quàm indebitarum proficit: si item summa usurarum inæqualis sit, æqualiter ad utranq; causam proficit quod solutum est, non pro rata. [f] Postremò, si par & dierum & contractuum causa est, ex omnibus summis pro portione uidetur solutum. [g] Quod autem pœnæ nomine solutum est, non computatur neq; in usuras, neq; in sortem: sed lucro creditoris cedit. [h] Euenit autem interdum, ut una numeratione duæ obligationes tollantur, uno mométo: ueluti si ex stipulatione iudicatū solui solutum est. nam tunc etiā ex causa iudicati solutū uidetur. [i] Sed hactenus de solutionis exceptione sit dictum.

a l. si quid ex famoso. ff. eo.

b l. cum ex plurib. ff. eod.

c l. ex plur. §. fi. ff. eod.

d l. Titia cū. §. fi. ff. eo. & l. 1. §. fi. C. eo.

e l. in his uero §. quod generaliter cōst. ff. eod.

f l. in his uero §. quod generaliter cōst. ff. de solut.

g l. illud inelegāter. ff. eo.

h l. id quod pœnæ. ff. eo.

i l. cum quia sibi. §. de peculio. ff. eod.

Difficultatis iuris causæ tres, cum suis remedijs. Cap. V.

EX *prædictis exemplis patet, quàm accuratè & egregiè actiones & exceptiones in libris iuris per suas circunstantias depingantur, describantur ue: ut facilè cuiuslibet actionis & exceptionis natura & proprietas ex illis posßit intelligi, materiaq; ad excipiendum & replicandum inueniri.* Miseret ergo me *illorum, qui præteritis ueterum legislatorũ & iurisconsultorum libris, huc atq; illuc cursitant, nunc ad* Bartolum, *nunc ad* Baldum, *nunc ad alios nescio quos, ad immensum cõmentariorum pelagus per saxa, per ignes aberrãtes, anhelantes, trepidi, semper dubij, semper de uictoria diffidẽtes, semper quærentes, nunquã inuenientes, obijciẽtes ex illis sine iudicio quicquid in transcursu arripuerint.* Rectè D. Oldendorpius, *uir acris ingenij, in suis* Claßibus *inquit:* Quòd in *tractãdis actionibus iuris (inquiẽs) tãta difficultas reputatur, non materiæ, sed hominum uicio accidit.* Hoc *sanè nihil poteſt dici uerius.* Nam *genere atq; natura actionis ex libris antiquißimorum* Iurisconsultorũ *cognita, & causa proposita penitus perspecta: quæ,* Deus *bone, poteſt uel actori ad agendum & replicandum, uel reo ad excipiendum & duplicandum superesse difficultas,*

difficultas, quis labor? Examinet *aduocatus causam propositam ad actionis naturam: & facile uidebit, quid in causa iuris sit: facile uidebit, ubi exceptiones & replicationes in causa latitent: ultro ei tum ad excipiendum, tum ad replicandũ materiæ succurrent.* At dicet *forte aliquis formulariorũ:* Difficilimũ *esse, actionũ & dxceptionum naturas discere ex libris* Pandectarum, *Codicis &* Institutionũ, *propter legum obscuritatem & difficultatem.* Huic *ego sic respondeo; Multo difficilius esse eas ex* Bartolo, Baldo, *Accursio, & alijs infinitis (quibus tamen plus quàm* Pandectis *uulgus aduocatorum incumbit) cognoscere.* Commentatorum *enim scripta infinita sunt, iura* Pandectarum *& constitutionum finita.* Hæc *fontes sunt, illa riuuli. leges* Pandectarum *& Codicis, necnon &* Institutionum, *sine commentatoribus intelligi possunt: commentariorum scripta sine illis intelligi non possunt, imò plus tenebrarum (si uerum fateri licet) iuri ueteri enucleato isti commentatores offundunt, quàm lucis adferunt.* Quod *quidem intelligens prudẽtißimus* Imp. Iustinianus, *probibuit suis libris, utpote per se satis perspicuis, ullos commentarios applicari: Nostram (inquiens) consummationem, quæ à nobis annuente* Deo *componetur,* Digestorum *seu* Pan-

dectarum nomen habere sancimus: nullis Iurisperitis in posterum audentibus commentarios illi applicare, & uerbositate sua supradicti Codicis compendium confundere: quemadmodum & antiquioribus temporibus factū est, cum per contrarias interpretātium sententias totum penè ius conturbatū est, &c. Rectè quoq; cum formulario expostulat D. Oldendorpius in Claßibus suis: Dic mihi (inquiens) perlectis omnium Accursianorū commentarijs, quis est uerus contractuum usus? quorsum pertinent? quare tot actionum formulæ sunt introductæ, ut contractus seruentur? Responde? Quid subsistis? Habes'ne de contractibus tot uolumina, ut sufficiant onerandis aliquot uehiculis? Euolue istas magnificorum titulorum Lecturas, aureas, præclarißimas, adde subtilißimas, &c. Quare qui neglecto Iure enucleato ad Commentatores confugiunt, ab ijs certitudinē iuris petunt, qui ipsi semper de iure dubitāt, semper cum doctoribus suis quærunt, nec quæsita inueniunt unquam, uarijs tam se quàm iudices erroribus inuoluunt. Adeò satius esset, causam ad Ius ciuile probatißimorū Iurisconsultorū finitum exigere, quàm ad glossemata tot Commentatorum infinita: præsertim cum illud ius autoritate publica sit confirmatū, longa consuetudine receptum: hæc uerò non solum

lum non confirmata, sed etiam summi Imperatoris Iustiniani sacratißima constitutione, ut iam dictum est, antiquata.

Planè si est ulla Iuris enucleati, Pandectarum puto, & Codicis, uel obscuritas, uel difficultas: ea mihi propter tres potißimum causas uidetur euenire: uidelicet,

Propter loquendi phrases, Iuriscōsultis illis & legislatoribus peculiares.

Propter res nostro seculo obsoletas et incognitas.

Propter leges demum male dispositas.

Vt omnis ars sua propria habet uocabula, suasq; loquendi phrases, quas nemo nisi eius artis peritus satis intelligit: ita quoq; in iure peculiares phrases sunt, propriaq; uocabula, quæ eius artis imperito prorsus uidentur Arabica.

Huius generis sunt, Acceptilatio, Nouatio, Delegatio: item habere actionem, habere exceptionē, &c. Sic habere actionē ex empto, nihil aliud est, quàm posse petere apud iudicē emptorem, ut uenditor sibi rem uenditā tradat, uel aliquid aliud, quod sibi ex contractu emptionis debetur, det, uel faciat. Habere exceptionem Senatusconsulti Macedoniani est, non debere debitorem creditori soluere, quòd pecunia filiofamilias mutua data sit. Has ergo atq; alias plures loquēdi phrases & uocabula Ius enucleatū seu Pā

declarũ habet propria, uel ijs in alia significatione utitur: & propterea uidetur obscurũ atq; cognitu difficile, earum uocum imperito. Nam *qui non percipit uoces* Romanas *(inquit* D. *Oldendorpius) & Graecas in* Pandectis Iustiniani *principis: is certè non potest percipere res, & sanctiones rerum à* Iurisconsultis *significatarũ.* Quomodo *enim* Barbarus *rectè intelliget* Romanum.[a] Deflectere *sanè ab hisce phrasibus* Iurisconsultorum, *nouasq; sibi fingere, quemadmodum fecerunt commentatores, iuri ciuili perniciosissimum est.* Nam *hac ratione uerus iuris sensus amittitur, atq; ab eo longè aberratur.* Quòd *ab aliquot annis (inquit* D. *Oldendorpius) non solùm discessum sit à uerbis* Iurisconsultorum Romanorum, *obtrusis uicissim barbaris uocibus: sed etiam quod rerum significatio & interior illa uis, quae usui humano rectè debet accõmodari, omnino neglecta sit, ostenditur exemplis, & maximè* Reipub. *calamitate.* Nam *incertitudo uerborum, trahit secum incertitudinem rerũ.* Et *tandem facit, ut ius ciuile non possit certò ac constanter tradi in scholis, uel in foro, sicut humana necessitas exigit.*[b] Vt *autem ad iuris cognitionem necessarium est scire uerborum, quibus iura exprimuntur, significationes: ita quoq; rerum, circa quas iura uersantur, seu*

a libro de duplici significatione, scilicet uerborum & rerum.

b cap. exempla aliquot neglectę significationis, libro de duplici uerborum & rerũ significatione.

de quibus iura cauent, cognitio omnimodo est necessaria. Rerum autem, *quarum formam ac naturam leges præscribunt, quædam nostra ætate penitus sunt obsoletæ & incognitæ: utpote est Seruitus hominum, & hinc proueniens manumißio, libertinitas, patronatus: item liberorum emancipatio, adoptio & abrogatio, abdicatio: quæ res olim quidem in usu fuerunt.* Et *propterea de illis multa & uaria iura constituta sunt. nunc uerò in desuetudinem abierunt & res ipsæ & ipsarum iura: propterea lectio iuris nobis est difficilior.* Veruntamen *omnem legendi difficultatem, quæ uel ob res obsoletas, uel ob phrases* Iuris*consultis familiares & proprias contingit, duæ res potißimùm minuunt.* Prima *est, uerborum & rerum descriptæ significationes, seu definitiones.* Est *enim duplex significatio uel definitio: una nominis seu uerbi, altera rei: illa quidem uim uocabulorum tam simplicium quàm coniunctorum describit: hæc autem uel per essentiã, uel per causas, uel per partes, uel per congeriem accidentium rem penitus absoluit.* Tam *autem rerum quàm uerborum significationes nobis descriptas exhibent tituli* Pandectarum & Codicis, *de uerborum & rerum significatione inscripti.* Ediderunt et *alij docti uiri de eadem re libros, quos legere,*

ad legum notitiam admodum est utile. Altera res, qua & phrases Iurisconsultorum obscuræ & res nostra ætate incognitæ intelliguntur, est frequens Pandectarum, Constitutionum & Institutionum lectio. Nam omnis legendi labor, legendo superatur.

Tertiũ deniq;, quod nobis iuris ciuilis lectionem & cognitionem reddit difficilem, est legũ inordinata & confusa congeries. Ordo sane, et apta legum atq; præceptorum dispositio, dilucidam facit legum traditionem, & breuem quodammodo facilemq; iuris cognitionem: & inordinata confusio magnam parit obscuritatẽ atq; difficultatem. Ordo præceptionum plurimùm adiuuat discentẽ, cõfusio plurimùm remoratur. Ordo quidẽ librorũ & titulorũ in Pandectis et Codice, uidetur mihi nõ esse improbandus, ipsarũ uerò legũ in titulis contentarũ dispositionẽ uel nullam uel inordinatã, & sine ratione factã esse, tum res ipsa loquitur, tum omnes docti uiri & testantur & conqueruntur. Sæpe lex legem declarat uel corrigit, quæ tamen longo interuallo nunc præcedit, nunc sequitur, interiectis alijs legibus diuersæ materiæ. Quid? quod eiusdem legis paragraphi alij aliam rem tractant. ut taceam interim, de eadem re in alijs atque alijs titulis atque libris tractari, & in Pande-

ctis, & in Institutionibus, & in Codice, & in Nouellis constitutionibus. Sæpe lex in alio loco posita, in alio loco remotissimo nunc declaratur, nunc emendatur, nunc mutatur, atq; penitus tollitur. Non eget id, quod dico, multa probatione: res ipsa loquitur: testantur loci superius à me tractati, utputa locus de exceptione solutionis, de certi cōditione, &c. Ibi enim uidere licet, quàm ex diuersissimis locis leges eiusdem materiæ mihi fuerint comportandæ. Vnde manifestum est, dispositionis rationem in legibus congerendis uel nullam, uel exiguam habitam fuisse. Quæ res facit ut leges, quæ si recto ordine essent collocatæ atq; dispositæ, dilucidæ essent, & intellectu faciles, nunc uideantur obscurissimæ. Nec tamen hæc res compilatoribus uitio uerti debet. Illi tot leges saluberrimas spacio temporis breui, hoc est triennio, ex immenso librorum numero, hoc est, ex duobus penè milibus librorum excerptas, collegerunt in unum, singula perscrutantes, et quod optimū fuit eligentes, omni similitudine & contrarietate explosa. Hæc quanta cura, quanta uigilantia, quanto deniq; studio & labore ab ijs facta sint, uix cogitari, ne dum dici potest. Itaque tot legibus innumeris summo labore, cum summo totius Imperij fructu in unum congestis: reli-

ctus nobis est labor sanè non magnus, hoc est, leges congestas in ordinem redigere: quanquã id etiam aliquo modo à compilatoribus est præstitum. Nam partes Digestorum et Codicis principales, *hoc est, libri ac tituli certo constant ordine.* Ipsæ *autem titulorum leges dispositionem magis exquisitam desiderãt.* Possunt *tamen uel à mediocriter docto in meliorem redigi ordinem.* Tradunt Dialectici *certos rerum describendarũ locos: ut est* Definitio, *diuisio, genus, species, differẽtia, propriũ, totũ, partes, causæ, effectus, similia, contraria, cõparata, &c.* Huc *pertinẽt etiã actionũ circũstantiæ: ut personæ, res, causa, locus, tẽpus, modus.* Horũ *locorũ ordinem si quis in legibus ordinandis sequeretur, facilis fieret legum dispositio, perspicuæ fierẽt leges ad suos locos redactæ & compositæ: sine labore perciperentur, & in memoria, quamlibet multæ, firmius multo hærerẽt.* Sæpe *autẽ uni eidemq; loco & circũstantiæ, plurimæ leges essent subijciendæ: utputa causæ actionis.* Nã *proposita causa actionis generali, distinguitur ea alijs legib. specialioribus, sumpta distinctione nũc ex personis facti, nũc ex re, nũc ex loco, nũc ex tẽpore, nunc ex causa, nũc ex antecedentib. adiunctis, uel consequentibus, &c.* Vt *patet ex superioribus locis, exempli loco à me propositis.* Sed *& methodus iuris ciuilis de legatis*

& fi-

& fideicommiss. & in libros feudorum, quàm ædidi, prædictorum exemplum exhibent. Istam igitur rationem collocandi, is qui leges fœliciter & cum fructu disponere atq; legere uolet, debet obseruare. Sic enim fiet intellectus illarũ multo facilior, memoria fidelior, & natura cuiuslibet actionis cognitu expeditior. Hactenus *ergo, quæ sit ratio indagandi & inueniendi exceptiones, pro mea uirili ostendi: docens, in primis intentionem actoris cum sua causa seu ratione esse obseruandam: deinde, causam illam & naturam actionis competentis probè perlustrandam esse.* Quomodo *autẽ ea fieri oporteat, exposui.* Hæc *autẽ si in exceptionibus inuestigãdis obseruabuntur tam diligenter, quàm à me sunt tradita fideliter: ultro exceptiones, si quæ in causa sunt, occurrent, causæ rectius defendentur, citius decidentur lites, nec in multã prorogabuntur ætatem.*

De actionibus & exceptionibus formandis, seu apud iudicem proponendis. Cap. VI.

I*Nueniendæ tam actionis quàm exceptionis ratione monstrata: formandæ ratio consequitur monstranda.* Nam *certa forma, composita oratione, actio & exceptio iudici est proponen-*

ponenda: quia sæpe non minus refert quomodo dicas, quàm quid dicas. Non rarò siquidem contingit, ut bona quidem causa malè proposita in iudicio amittatur: mala uerò bene & doctè exposita, fœlicem indignumq́; sortiatur euentum. Hinc non tam ius quàm casum atq; fortunã in iudicijs regnare, uulgus autumat. Quare sciendum est, rationem seu formam proponendarum actionũ et exceptionẽ multiplicẽ, non simplicẽ esse: neq; aliã exceptionis et replicatiõis, quàm actionis proponendæ esse rationem. Actio autem, & proinde exceptio quoq;, uaria potest proponi ratione, nunc syllogistica, nunc alia argumentationis forma. Syllogistica forma: ueluti cum primò proponit actor ius, quo sua nititur intentio, quod uocant Dialectici propositionem maiorem. Deinde subijcit causam intentionis suæ, quæ plerunq; in facto cõsistet, quod uocatur à Dialecticis Minor propositio. Postremò infert suam intentionem, quod uocatur cõclusio. Exempli gratia, intendit aliquis actionem ex uendito ad soluendum sibi preciũ. Hic actor sic dicet syllogistica forma: Domine Iudex, Ius manifestum est, & minimè dubiũ, quo re aliqua uendita, emptor uenditori precium, quanti res uendita est, soluere tenetur. [a] *Hæc maior propositio est. Minor uerò est: Vendidit*

a l. Iulianus. libro 5. ex uendito actio. ff. de acti. empt. & uend.

autem

autem Lucius Titius ciuis Marpurgensis, Seio reo conuento, domum suam centum aureis. Sequitur conclusio: Petit ergo Titius uenditor, idemq; actor, Seium emptorem, eundemq; reũ conuentum, sibi ad soluendum precium centum aureorum condemnari.

Eadem forma potest reus conuentus suam proponere exceptionem, hoc modo: Domine Iudex, excipiendo reus dicit, quòd ante preciũ solutum dominij quæstione mota, precium emptor non cogatur soluere. [a] Sed mouetur reo conuento emptori de domo uendita ab alio dominij quæstio. Petit ergo reus conuentus, se à petitione actoris absolui.

a l. habitationum.§.fi.ff. de periculo et commodo rei uenditæ.

Replicare item eodem modo actor potest: si fideiussores idonei à uenditore euictionis nomine offerantur: tunc etiam dominij quæstione mota, emptor precium soluere cogendus est. [b] Sed uenditor actor offert fideiussores idoneos euictionis nomine: Ergo petit idem, quod antea quoq; actor, sibi reum conuentum ad soluendum precium condemnari. Hæ sunt formæ syllogisticæ omnium perfectissimæ. Verùm ijs semper uti, & infantiæ est, & fastidij, ut inquit Rodolphus Agricola. Infantiæ quidem, quòd nihil potest aut minus disertum, aut magis puerile uideri, quàm omnia uelut puerum

b ibidem.

rum dictata à magistro, ad unam certam legem, formamq; dicere. Fastidij quoq;, quòd necesse est sequi eos, qui aures nulla unquam uarietate delicatißimam nostri partem tentant reficere. Varietas sicut omnium rerũ, sic orationis præcipuè leuat tædium. Igitur nõ semper forma syllogistica, sed & alijs argumentationum formis uti debemus: uertendæq; sunt formæ argumentationum, & partes earum uaria collocatione disponendæ: nunc præponenda minor, nunc conclusio: nũc altera propositionũ omittenda, uel ratiò eius pro ea subijcienda: nunc maior cum sua ratione, nunc minor cum suis probationibus est proponenda. Vitare autem similitudinem poterimus (inquit Cicero) non semper à proposito ordientes, & si non omnia confirmando disputabimus, breuiterq; interdum quæ erunt satis aperta, ponemus: quodq; ex his efficitur, si id apertum sit, non habebimus necesse semper concludere. Possunt insuper propositiones nunc breuius, nunc copiosius dici: potestq; minor, cùm factum contine, longa narratione descriptis singulis facti circumstantijs, & alijs contingentib. exponi. Nec tamen hæc sine ratione fieri debent, sed uel ad demonstrandum factũ, uel ad probandũ, uel ad amplificandum singula debent adhiberi: eritq; narratio breuis,

breuis, perspicua & probabilis. Est item & illa (*ut inquit* Cicero) *in argumentando uarietas, & non iniucunda distinctio: ut cum interrogamus nosmetipsos, aut percontamur, aut imperamus, aut optamus: quæ sunt cum alijs compluribus sententiarum ornamenta. Sed ea quæ pertinent ad formandam tum actionē, tum exceptionem seu orationem, multa sunt: nec à* Iurisconsultis, *sed à* Rhetoribus *petenda.* Iurisconsulti *materiam agendi & excipendi suppeditant, rhetores formam præscribunt:* Iurisconsulti *quid,* Rhetores *quomodo dicendum sit, docent.* Nec *ergo quisquam se causis agendis idoneum credat, qui præceptis* Rhetorum *non sit instructus.* Eum, *qui causas in foro agere uolet, oratorem esse necesse est: nec sufficit ad causas agendas* Iurisprudentia, *sine scientia bene dicendi.* De *actione igitur, exceptione & formanda nihil dicam amplius: sunt enim eius rei pleni libri* Rhetorum, *qui legendi sunt ei, qui causas fœliciter agere uolet.* Exposita *autem ratione tam inueniendarum quàm formandarum exceptionum, nec non generibus exceptionum enumeratis atque descriptis: nihil uideo quid insuper de exceptionibus præcipi sit necessarium.* Nam *genera exceptionum nosse, ad inuentionem earum ualet plurimum.* Exceptione

autem inuenta & confirmata, certa forma ea est in iudicio proponenda: aliàs parùm proderit reo, parùm item oberit actori. Quòd si exceptio iusta nobis contigerit, eaq; iudici rectè fuerit exposita: tunc demum faciet id quod sui est officij, hoc est, excludet actionem, & defendet reum conuentum: nullisq; alijs ad eam rem opus habebit adminiculis, nisi iudice bono & æquo, iurisq; non ignaro.

Exemplum exceptionum inuestigandarum. Cap. VII.

PLanè, quo prædicta fiant apertiora, addam ad finem huius Operis exemplū exceptionum & inuestigandarum, & formandarum. Fingamus exempli gratia, in iudicium deductam esse hanc causam, qua Titius Seio equum uiginti florenis uendidisse dicitur, Seium autem Sempronio pecuniam sine mandato exigenti soluisse, Sempronium solutam sibi pecuniam dedisse Septicio perferendam ad Titium uenditorem: Septicium uerò, cùm obligatum sibi Titium haberet, pecuniam compensationis iure retinuisse, Titium autem Seium emptorē nihilominus ad precium soluendum conuenire. Exceptio rei conuenti. *Iam ergo, etsi exceptio in hac causa in propatulo quodam modo est, fingamus tamen exempli gratia, quærendam eam esse. Obseruabit itaq;*

bit itaq; primò is qui excipere uolet, actoris intentionē cum sua causa. Est autem intentio actoris hìc: ut sibi à Seio soluantur uiginti floreni, in eam enim rem Seium sibi à iudice condemnari petit. Causa seu ratio intentionis est: Quia uendidit Seio reo equum uiginti florenis. Iam quo res seu negocium facilius dijudicari possit, rediget iam dicta in formam Syllogismi hoc modo:

Qui rem aliquam ab aliquo emit, is de soluendo precio uenditori tenetur.
Seius à Titio rem, hoc est equum emit. Ergo,
Seius Titio de soluendo precio tenetur.

Hoc ergo modo intentione actoris cum sua ratione ob oculos posita: altera cura erit, uidere an possit negari minor Syllogismi, hoc est factum, quod hoc loco est emptio uel uenditio. Nam si potest negare reus, uenditionem equi factam esse, ulterius non est sollicitus. [a] actori enim incumbit facti probatio: quam si præstare non potest, reus absoluendus est. Sed in hac causa factum, hoc est uenditio, negari non potest: procedendum itaq; est ad maiorem propositionem, hoc est, ad ius quo nititur actoris intentio: uidendumq; similiter, an ea negari possit. Sed ea hìc multo minus negari potest. Quid enim iustius, quid æquius est, quàm emptorem soluere-

a l. siquidem intentionem, C. de exceptionibus & præscript.

a l. Iulianus. §. ex uendito. ff. de act. empti & uendit.

precium, de quo conuenit, uenditori? [a] *Quid ergo nunc faciet reus conuentus? cedet'ne aduersario, & palmam ei dabit, & fugiet?* Minimè gentiū. Excutiet *singulas causæ, hoc est uenditionis circumstantias: antecedentia, adiuncta, & consequentia obseruabit, quò aliquam in causa latentem conditionem uel iure expressam uel tacitam inueniat, qua ius illud summū, quo usus est actor, corrigatur, iuris'ue rigor temperetur.* Nam *animaduertet, an uenditio, quam non factam esse dicere non potest, inutilis uel irrita dici poßit.* Ad *hanc rem fœlicius peragendam, dixi duo esse necessaria. primùm ipsam causam cum omnibus suis circumstantijs & contingentibus probè habere perspectam: deinde actionis quoq;, quo experitur actor, genus, naturam & proprietatem nosse.* Genus *actionis est, ex uendito actio, cuius natura describitur in* Pandectis, Codice, & Institutionibus. Causa *superius exposita est.* Potest *autem reus conuentus in hac causa uenditionis obligationem dicere irritam, propter factum uenditionem consequens, quod est solutio precij.* Nam *solutione eius quod debetur, cùm omnis obligatio, tum uenditionis contractus tollitur.* [b] Excipiet *ergo reus hoc modo: nisi precium solutum sit.*

b §. 1. Instit. quibus modis tollitur obligatio.

Replicatio actoris.

Iam eandem, quam modo in indaganda exceptione

ceptione ostendi, rationem sequetur actor in inquirenda replicatione. Videbit, quid reus conuentus petat, & qua ratione: in formam Syllogismi ea conijciet: animaduertet utrum factum, hoc est solutio, negari poßit, aut ius quo exceptio nititur; sed neutrum horum in hac exceptione potest negari. Restat igitur, ut distinguat, si potest. Id poterit facere, si causam, hoc est solutionem recte considerat, eiusq; naturam cognitam habeat. Solutionis autem, seu exceptionis huius natura describitur proprijs titulis Pandectarum & Codicis: quos si leget, sciet, si alij sine iussu creditoris solutum sit, solutionem nullius esse momenti. Nam si nullo mandato intercedente (inquit Iulianus) debitor falso existimauerit uoluntate mea pecuniam se numerare, non liberabitur: & ideo procuratori, qui se ultro alienis negocijs offert, soluendo nemo liberabitur. [a] *Sed huius solutionis exemplum nobis exhibet causa præsens. Potest igitur actor replicare ex persona eius cui solutum est, hoc modo: Si mihi, & non alij, sine iussu meo, esset solutum.*

[a] l. qui homi nem §. si nullo. ff. de solutionib. & liberationibus.

Potest tamen aduersus hanc replicationem duplicare reus ex consequentibus solutionem, in hunc modum: Etsi alij solutum sit iniussu creditoris, si tamen nummi ad creditorem perue-

nerint, liberatur debitor. Sed nummi alij, hoc est Sempronio, soluti, ad creditorem Titium peruenerunt. Ergo liberatur debitor Seius. Maior probatur autoritate Pauli, dicentis: In perpetuum, quoties id quod tibi debeam, ad te peruenit, & tibi nihil absit, nec quod solutum est repeti poßit, competit liberatio.[a] Vlpianus quoq; ait: Sed etsi id quod à debitoribus exegit possessor, petitori hæreditatis soluit, liberantur debitores. Et Iulianus scribit: siue bonæ fidei possessor, siue prædo fuit, qui debitũ ab his exegerat, ipso iure eos liberari.[b] Minorem quoq; actor triplicando negare non potest: nam nummi ad creditorem uidentur peruenisse: etsi non ei, sed creditori eius soluti sunt. Nam si quis (inquit Paulus) obligatione liberatus sit, potest uideri accepisse.[c] Obligatione autem hoc casu liberatus est Titius: quia exceptione compensationis tutus est. Desinit debitor esse (inquit Marcellus) qui nactus est exceptionem iustam, nec ab æquitate naturali abhorrentem.[d]

a l. in perpetuũ. ff. de solutio.

b l. sed etsi lege. §. certè si minore. ff. de petitione hæreditatis.

c l. si quis obligatione. ff. de regul. iuris.

d l. Marcellus notat. ff. de reg. iuris.

Exemplum actionum & exceptionum formandarum. Cap. VIII.

INuenta est igitur iam exceptio aduersus intentionem actoris: item replicatio aduersus exceptionem rei: necnon & duplicatio, aduersus replicationem. Sed quibus formis nunc

ista iu-

ista iudici sunt proponenda? Dixi *suprà, eandem esse rationem & actionũ & exceptionum formandarum, seu concipiendarum.* Proinde *primò formabo actionem, deinde exceptionem: deniq; replicationem & duplicationem.*

Forma proponendæ actionis.

Quomodo igitur, seu qua forma proponet aduocatus actoris intentionẽ? Vario *certè modo potest eam, ut suprà ostendi, proponere: sed unam tantùm formam exempli gratia exhibebo.* Dicet *ergo aduocatus actoris hoc modo:*

Lucius Titius(Iudices)*ciuis* Dreisensis, *equis emendis ac uendendis operam dans, uendidit equum* Seio, *ciui* Cassellano *equiti, uiginti florenis in nundinis* Cassellanis, *quando huiusmodi mercatura solet exerceri plurimùm.* Conuenit *de precio soluendo proximè sequentibus nundinis: conscriptum super hoc cõtractu chirographum est: in præsentia quorundam fide dignorum uirorum acta res est: equus* Seio *emptori à* Titio *est traditus.* Verùm *totus nunc annus elapsus est, ex eo tẽpore quo* Seius *precium soluere debuit: sed adhuc non soluit. estq; semel atq; iterum interpellatus, sed frustra.* Solutionem *illegitimè & sine iusta causa recusat, uenditionem negare non potest.* Extat *super ea re* Seij *chirographum; testes, si opus sit, produci*

1. Minor, seu narratio, uel ratio intentionis.

Ratio minoris, seu confirmatio.

Amplificatio. *possunt, uiri fide dignißimi.* Vendidit *actor equum suum, non alienum: sanum, non morbosum, nec uiciosum: de precio certo conuenit, scilicet uiginti florenorum: non minori uigintiquinq; annis, sed quinquagenario ferè uenditus equus est: circumscriptum se in uenditione,*

2 Conclusio. *emptor docere non potest.* Hæc *ergo cum ita sint, petit actor* Titius *à uobis iudices, ut Seium reum ad precium ex lege conuentionis atq; uenditionis debitum, cum usuris ex mora debitis, soluendum sibi condemnetis: & compellatis, ut id quod ultro soluere non uult, uestra autoritate compulsus soluat.*Hæc *est(meo quidem iudicio) simplicißima proponẽdæ actionis forma: quam qui rectè contemplatus fuerit, nullum ferè uerbum in ea uidebit positum sine causa: omnia uel ad docendum, probandum'ue, uel amplificandum spectãt.Posita primo ratio intentionis est, seu minor, seu antecedens: postea ipsa intentio, seu conclusio uel consequens.* Maior *omissa est.* Minor *non simpliciter proponitur, sed exponitur copiosius: subiecta est ei ratio, seu facti confirmatio, cui subijcitur amplificatio.* Post *hæc demum sequitur intentio, seu conclusio.*

Formula exceptionis.

Eodem *ergo modo potest proponi & solutionis exceptio: sed & aliter potest proponi, hoc modo.*

Vt obligationes (iudices) ex cōtractibus nascuntur: ita quoq; solutione eius quod debetur, rursus tolluntur. Nec, semel debito soluto, creditor debitū amplius exigere potest. Bona enim fides (inquit Caius iurisconsultus) non patitur, ut bis idem exigatur.[a] *Quod cùm in omnibus obligationibus uerum sit, tum in obligatione ex uendito uerißimum est; nec uenditor precium ab emptore solutum, iterum potest exigere. Venit paulò post diem solutionis cedentem Sempronius ciuis Cassellanus, ad Seium emptorem, eundemq; reum conuentum, exigens uiginti florenos ex causa uenditionis, indicans id sibi à Titio amico suo esse mandatum. Soluit ergo uiginti illos aureos exigenti Sempronio Seius. Cùm itaq; iudices, iniquißimum sit, & tam naturali quàm ciuili iuri & rationi contrarium, semel solutū iterum exigere: petit à uobis Seius reus conuentus, ab iniquißima actoris petitione se absolui. In hac formula uides integrū & perfectum Syllogismum. Nam primò ponitur maior propositio, ornata comparatione. Hinc sequitur minor, per narrationem proposita. Postremò sequitur conclusio, per repetitionem maioris.*

1 Maior.

a l. bona fides. ff. de reg. iuris.

2 Minor.

3 Conclusio.

Hoc autem loco prætereundum nō est, quòd si uelit aduocatus rei conuenti, poßit post ex-

positam minorem seu exceptionem, occurrere replicationi actoris, & eam duplicatione refutare: quod occupationem & præsumptionem Rhetores uocant. Et sanè hæc ratio ad breui expediendas lites est optima. Nam tunc non est opus separata uel singulari oratione ad replicandum, & ad duplicandum: sed actor postea respondebit duplicationi rei conuenti, proposita triplicatione, si quam habet. Hāc rationem actor quoq; in proponenda intentione sua obseruare posset, respondendo simul exceptioni. Prædicta itaq; forma, si mihi defendendus reus esset, exceptionem proponerem. Alius fortè singula uerba in actione actoris posita (iuxta uiciosum receptum morem) excuteret, ad singula uerba responderet: breuiter tamen singulis applicato hoc uerbo Credit, uel non credit, item Verum est. Breuißima est & simplicißima oratio hæc, qua respondetur simpliciter hoc modo, Credit, & uerum est, uel non credit: breuißima inquam & simplicißima est oratio, si scilicet ad quæstionem principalem seu statum orationis sic responderetur. Verum si ad singula narrationis uerba sic respondeatur, fiet oratio longißima, intricata, obscura & perplexa, utputa si respondeas ad orationem actoris suprà dictam, hoc modo:

Credit

Credit Seius reus conuentus, Titium actorem ciuem Dreisensem esse

Credit, eum equis emendis ac uendendis operam dare.

Credit eundem Titium equum sibi uendidisse.

Sed non credit, in nundinis Cassellanis id factum esse, sed alio tempore: non Cassellis, sed alio loco.

Credit, uiginti florenis equũ emptum esse, &c.

Verum est, Sempronium ad Seium uenisse.

Verum est, precium ab eodem Seio eundem Sempronium ex causa uenditionis exegisse, dicens id sibi à uenditore esse mandatum.

Verum est, Seium Sempronio pecuniam soluisse, &c.

Molestum ac tædiosum est, singula sic recensere in digitis. Stultißima est hæc excipiendi ac respondendi forma. quis negat? at ita fieri uulgò quotidie uidemus. Hac ratione aduocati se cum iudicibus, negocijs implicant, ut neque principium neque finem controuersiæ tandem ullum uideant, atq; in causa tanquam in Labyrintho oberrent. Nam finge actorem ad singula rursus respondere, quæ non credit aduersarius: finge singula illum conari probare: quàm inutiles, quàm stultæ, quàm innumeræ, Deus bone, nascentur rixæ? quàm intricatũ fiet negocium?

quàm

quàm longißimo tempore ad causam peragendam, & litem dirimendam erit opus? Sed (ut spero) relegabuntur tandem è foro atq; ex tribunalibus, iusticiæq; officinis, huiusmodi ineptiæ, non Rhetorum, neque Iurisconsultorum antiquißimorum præceptis introductæ: sed errore primùm, deinde consuetudine obtentæ.

Formula replicationis.

Videamus autem replicandi quoq; formulam
1 Minor. *aliquam. Dicet actor, replicando sic: Si potest, iudices, reus conuentus certo argumento probare, exactionem debiti Sempronio à me mandatam esse: ultro ei cedam, & eum absolui patiar. Sed id nulla ratione, nec modo ullo probare poterit. Non enim neq; Sempronio ut debitum à Seio exigeret, neque Seio ut Sempronio solueret, mandaui unquam. Quid ergo solutionem obijcit, quæ non mihi creditori, sed alij, neq; iubente, neq; sciente me, neq; ratam haben*
2 Maior. *te, est facta? Scitis iudices, neq; idē ignorat reus, solutionē alij non mandante creditore factam, neq; liberare debitorem, neq; creditorem pe-*
3 Conclusio. *tentem submouere. Quid ergo sibi uult reus conuentus, cum inutili sua solutione? A` uobis iudices peto, quod antea quoq; petij, ut Seium reum conuentum ad precium uiginti aureorum, cum usuris legitimis soluendum mihi, condemnetis.*

Huius;

Huiusmodi forma replicatio proponi potest, quæ paulò diuersior est à procedentibus. Nam *hîc præponitur minor: eã sequitur maior, quæ in actionis quidem forma penitus est omissa: in exceptionis autem forma, præposita. Postremò, ut in præcedentibus, infertur conclusio.*

Formula duplicationis.

Restat formanda duplicatio: ea sic formari potest Quòd antea dixi iudices, idem & nunc dico: iniquissimam uidelicet esse actoris petitionem. 1 Conclusio.
Itaq; iure peto me absolui. Etsi *enim Sempronio sine iussu actoris, ut ipse dicit, soluta est pecunia: tamẽ certum est, nummos ad actorem, eundemq; creditorem, peruenisse.* 2 Minor.
Dedit *enim eos Sempronius Septicio, ad Titium creditorem perferendos. Cùm autem Titius Septicio ex contractu quodam obligatus esset: Septicius eos nummos compensationis iure retinuit. quod quidem idem esse credendum est, ac si eos Titio Septicius restituisset.* Ratio minoris.
Nihil *enim interest, utrum acceperit creditor nummos, an obligatione liberatus sit. Si quis obligatione liberatus sit (inquit Paulus iurisconsultus) potest uideri accepisse.* [a] *Sine dubio autẽ Titius obligatione, qua Septicio obligatus fuit, iure compensationis est liberatus: nec Septicius aduersus Titium actionem ulterius habet, quia per exceptionẽ compensatio-* Occupatio.

a l. si quis oblig. ff. de reg. iuris.

pensationis potest submoueri. Nihil interest (inquit Paulus) ipso iure actionem quis non habeat, an per exceptionem ea infirmetur. [a] *Desinit debitor esse (inquit Marcellus) qui nactus est exceptionem iustam, nec ab æquitate naturali abhorrentē.* [b] *Cùm ergo peruenisse ad Titium nummi uideantur, quos creditor eius accepit: certum est, Seium reum conuentum à Titio actore liberatum esse. Nam in perpetuum (inquit Marcellus) quoties id quod tibi debeā, ad te peruenit, & tibi nihil absit, competit liberatio.* [c] *Vlpianus quoq; in hanc sententiam ait: Sed etsi (inquiens) id quod à debitoribus exegit possessor, petitori hæreditatis soluit, liberantur debitores. & Iulianus scribit, siue bonæ fidei possessor, siue prædo fuit, qui debitum ab his exegerat, ipso iure eos liberari.* [d] *Dixi.*

Hac forma reus conuentus duplicare potest. Est autem ea syllogisticæ formæ omnino contraria. Nam primò ponitur conclusio, deinde minor, postremò demum maior. Videre autem in ea forma licet exemplum eius, cuius suprà memini de præoccupanda exceptione, replicatione, duplicatione, &c. Nā poterat actor triplicando negare minorem, hoc est, Nummos ad se peruenisse. Cui triplicationi hìc occurritur, & respondetur. Hæ sunt formulæ actionum

a l. nihil interest. ff. de reg. iuris.

b l. Marcellus notat. ff. eod.

§ Maior.

c l. in perpetuum. ff. de solut.

d l. sed etsi lege. §. certè si minore. ff. de petiti. hæt.

& ex-

& exceptionum proponendarum, breuißimæ ac simplicißimæ. Possunt autem & longiores & magis ornatæ fingi, pro personarum ac rerum qualitate ac conditione. Sed huius rei scientia, ut antea dixi quoq;, non à Iurisconsultis, sed à Rhetoribus est petenda. Qui enim causas in foro fœliciter agere uolet, is non tantùm leges & iura scire debet, sed aliarum quoq; artium, Rhetorices præsertim, præcepta addiscere: ne in eas, de quibus iam semel atq; iterum dixi, ineptias Rebuspublicis perniciosißimas incurrat.

LIBRI SEXTI ET SECVNDAE PARTIS FINIS.

Practicæ Foren-
sis pars tertia.

De statibus causarum & de probationibus, necnon de referendi & iudicandi ratione.

ET GENERIS NOBILITATE, ET MORVM INTEGRITATE, NEC NON IVRIS *utriusque cognitione clarißimo uiro domino* ERICO VOLMARO *à Berlijs, iudicij Cameræ* Imperialis *assessori, domino suo,*

NICOLAVS VIGELIVS S. D.



AXONES, uir clarissime, nostris eò fœliciores iudicandi sunt: quo magis apud eos ij qui causis cognoscendis, dirimendisq; litibus præsunt, ad statum causæ intenti, superfluas & stultas aduocatorum disputationes resecant, lites in in-

finitum nec produci, nec multiplicari ſinunt: & ob id Articulatos libellos, ſine quibus nos cauſas non rectè cognoſci poſſe falſò arbitramur: illi tanquam ineptos, & litibus magis producendis, quàm expediendis deſeruientes, reſpuunt: ante omnia ſtatum, in quo cauſa conſiſtit, inquirunt, eum ueluti nodum reſoluunt: quo uno reſoluto, tota dirigitur controuerſia. Noſtri ſanè Articulati libelli, & circa ſingulos articulos diſputationes, quibus nullum certum caput eſt, nec ad quem dirigantur, ſcopus: cauſis (ſi uerum licet fateri) intricandis quàm extricandis, magis ſunt accommodæ. Proinde Rex quoquè Galliæ, eas (ut audio) è iudicijs ſuis edicto expulit, cùm publicæ paci; & tranquillitati deuaſtandæ, quàm conſeruandæ, eas animaduerte-

uerteret aptiores. Nec ſanè paci & tranquillitati publicæ, quæ litium deſiderat deminutionem, cauſarum adamat celerem expeditionem, & ſententijs executionem paratam: nihil tam eſt inimicum, quàm iſti longæui iudiciorum proceſſus, & inextricabiles diſputationum labyrinthi. Ego certè auſim affirmare, iſtam circa ſingulas narrationis particulas diſputandi rationem, in media barbarie, qua omnes bonæ literæ extinctæ fuerunt, ortam eſſe: nec ratione certa, ſed errore primùm in forum introductam, deinde obtentam conſuetudine. Cùm is narrationis finis ſit, ut cauſa iudici exponatur, quò ad diſputationes cauſæ præparetur (quoniam de diſputationibus, antequàm cauſam de qua diſputatur, intellexerit, ritè dijudicare non

poteſt) nunc narratio propoſitionis officio fungitur, eaq́ omnia quæ ad factum non ſolùm exponendum, ſed & probandum & amplificandum pertinent, ſimul ad diſputandū proponuntur. & cùm uniuſcuiuſque cauſæ unus ſtatus & Rhetoribus & communi ratione dictantibus eſſe ſoleat, ad quem omnia in diſputando ſunt referenda: nunc tot finguntur ſtatus, quot ſolent eſſe narrationis particulæ. Vnde cauſa per ſe ſimplex & plana iſtis irrationabilibus diſputationibus nullum certum caput, nec ſcopum habentibus, redditur intricata & perplexa: ut tandem nec aduocati, quid ſibi præcipuè obtinendum: nec iudex, quid ſpectandum ſibi maximè ſit, intelligant: plusq́ hinc mali, quàm boni, ex iudicijs ſolatij capiunt: quum his ius ſuum, il-

lis

lis maliciæ suæ pœna differatur: & postea etiam (quod peius est) casu magis, quàm consilio, propter perplexas disputationes sententia feratur. Ideo (dicunt Practici) articulati libelli sunt introducti, ut actor, probandi onere releuetur. Nam quum ius in causa positum sit, nec ut actio detur, sufficiat factum, contractum'ue esse: sed & ut utiliter & legitimè factum contractum'ue sit, requiritur. Proinde non illud solùm, sed & hoc actor probare, habet necesse. Hinc non solùm ipsum factum, sed & omnia facti, uel causæ requisita, & circumstantias reo per positiones, ad singulariter singulis, mediante iuramento, respondendum proponit: ut in ijs, quas credit reus ueras, probandi onere releuetur. Hæc & si positionum & articu-

lorum ratio communiter allegatur; tamen si quis rem penitus perpenderit, fatebitur istis articulatis libellis, actorem non solùm à probandi onere non releuari, sed etiam multis indebitis onerari probationibus. Nam omnis actio, etiam si mille proponatur articulis, non potest plus quàm tria principaliter continere: ius seu legem, cuius authoritate agitur, factum ex quo agitur, & rem in quam agitur: quæ tria, tribus ad summum articulis, instar Syllogismi dialectici, rectiùs quàm mille positionibus, ad disputandum proponi possunt. Vnde ZASIVS quoque Iurisconsultus ait, Omnem libellum tria continere, & ob id Syllogismum Iuristarum uocari. Nec item reus rectius, si rationem potius, quàm consuetudinem no-

stram

ſtram conſulamus, ad actionem actoris reſpondere poteſt: quàm aut negando uel factum, uel ius quod propoſitum eſt: aut diſtinguendo, & factum inutile dicendo, ratione ex circumſtantijs eius, in quibus ius latere ſolet, ſumpta. Vt enim actor, certam qua exponi uolet actionem, proponere debet: ita quoquè reus, certam ad reſiſtendum exceptionem, debet allegare. Nec nunc hoc negare, nunc illud: aliud inficiari, aliud defendere: alium articulum multiplicem dicere, alium impertinentem, alium captioſum. Et ſic in nullo conſtanter perſiſtere: quod diffidentis potius ſe iuſta inſtantia uti, quàm fidentis eſt. Nec poteſt iudex certò & conſtanter quid definire, ubi omnia inconſtanter acta ſunt. Si ergo reus rectè, ut debet, re-

ſpondendo ius actionis negauerit, de iure quæſtio erit: in qua tota conſiſtet controuerſia, eiusque probandæ, onus actori incumbet: ſin factum ex quo agitur, negauerit: utrum factum ſit, nec'ne quæretur: cuius quoque unius probatio actori incumbet: ſin denique diſtinxerit reus, & factum iniuſtum & inutile dixerit: reo, non actori, probandi onus imponetur: quo caſu, non ſolùm requiſita facti actor probare non tenetur, ſed ne ipſum quidem factum, quoniam de illo lis non eſt. Planè ſi reus propter aliquod requiſitum & ſubſtantiale omiſſum, dixerit factum nullum, & inutile, actori adhuc probatio incumbet: at unius tantùm eius, de quo quæretur. Secundum dictam ergo rationem, & Rhetoribus & Iuriſconſultis antiquiſſimis

mis probatam, actor reo quidem id quod propositum est negante, unam tantùm positionem, hoc est statum causæ : distinguente autem, plerunque nihil probare de iure tenetur. At nunc cùm nostro more, per plures positiones non solùm factum in genere, sed & omnes facti circumstantias, earumque qualitates reo ad respondendum & disputandum proponit: seque ad probanda ea, quæ non creduntur, obstringit: plures plerunque positiones probandæ ueniunt, pluribusque sese actor non solùm indebitis, sed & non necessarijs probationibus onerat : tantum abest, ut per istum modum probandi onere releuetur. Ista ergo articulatorum libellorum ratio, quæ pro actore introducta esse dicitur, ita contra actorem est, ut magis cõtra eum esse non possit.

ſit. At quamuis hæc ita ſe habe-
ant, tamen ij qui Practicam fori
hodie docent, nihil niſi Articula-
tos libellos, & ad ſingulos articu-
los reſponſiones inculcant: inte-
rim: quod in cauſa tam agenda,
quàm defendenda potẽtiſſimum
eſt, hoc eſt, ſtatum cauſæ ſemper
ob oculos habere, ad eum omnia
reliqua agenda, dirigere, &c. de eo
uerbum faciunt nullum. O erro-
rem Rebuspublicis perniciosiſſi-
mum. Sed hæc contra Articula-
tas diſputationes paulò liberius,
quòd uel ſolæ illæ ſtatum iudicio
rum noſtrorum mihi uideantur
corrumpere, diſſerui: ad te autem
Vir clariſſime, quàm ad alium, ea
ſcribere malui: quod ſperauerim
tibi ea, ob patriæ tuæ morem, quo
iſtæ Diſputationes omnino reſ-
puuntur, aut probata, aut minus
quàm alijs improbata fore. Pro-
inde

inde Tertiam quoquè Practicæ meæ partem, quæ de Statibus caũ ſarum, de Probationibus, necnon de Referendi & Iudicandi ratione tractat, tibi ſimul dedico: ut ſub tuo nomine, tutius in publico uerſetur.

Vale.

PRACTICAE FORENSIS LIBER SEPTIMVS.

Statum causæ in omni disputatione forensi diligenter esse obseruandum. Cap. I.



Vm aliud ius sit, aliud causas agendi defendendiq; munus, Rhetorumq; sit benè dicendi artem, & disputandi formam in causis forensibus præscribere, iuris doctorum iura docere: haud prudenter uidentur mihi Practici nostri agere, qui Rhetorũ præceptis & arte pòst habitis à Iuris doctoribus disputandi formam et artem causas agendi ac defendendi petunt: cùm cuiq; in sua, nõ in aliena arte (iuxta Philosophi dogma & rationis dictamen) sit credendum.

Omnis quæ in iudicium uenit causa, uno aliquo continetur statu, quẽ & orator præcipuè sibi obtinendum (ait Quintilianus)[a] *& iudex spectandum maximè intelligit: in eo enim causa consistet in arte altercandi (idem Quintil. inquit)*[b] *præcipuum est semper id in oculis habere, de*

a lib.3.Instit. orato.cap. 6.

b lib.6.Inst. orat.cap. 5.

re, de quo quæritur, & quod uolumus efficere: quia propositum tenentes, in rixam nō ibimus: nec causæ debita tempora conuiciando conteremus, gaudebimusq́; si hoc aduersarius faciat. At de eo nec Practica Ferrariensis per totū orbem (ut inscribitur) celebratissima, nec aurea Lanfranci practica, ne uerbum quidem facit, nec id uulgus aduocatorū hodie obseruat. Cùm ad omnem causam quæ in iudicium deducitur, breuiter aut negando factum, aut id inutile & non obligatorium dicendo (ut infrà ostendam) rectè responderi & possit & debeat: nunc propositis pluribus articulis, reus singulariter singulis respondet, alios non credit, alios dicit impertinentes, alios irreleuantes, alios ambiguos, alios obscuros, alios nescio quo alio uicio laborantes: posthæc articulos defensionales actori uicissim opponit, quibus singulis singulariter eodē modo actor rursus respondet. Vterq; tam actor quā reus prioribus articulis alios addit, quos additionales uocant: producuntur insuper articuli elisiui, elisiui elisiuorū, probatorij, reprobatorij, & nescio qui alij. At dic mihi (quæso) quod est omniū istorum articulorū caput? quis huiusmodi disputationum scopus est? quæ quæstio principalis? quæ secundaria? ubi illud unū quod et orator præcipuè sibi obtinendū, et

iudex spectandum maximè intelligit? quæ dispositionis ratio ibi esse potest, ubi status in disputando nullus obseruatur? At oratio carens recta dispositione (inquit Fabius[a]) tumultuetur necesse est, & sine rectore fluitet, nec cohæreat sibi, multa repetat, multa transeat, uelut nocte in ignotis locis errans, nec initio nec fine proposito casum potius quàm consilium sequatur. M. Tull. Cicero summus inter omnes quotquot unquam fuerunt orator, quo certè meliorē, quem in causis agendis sequantur, aduocati nostri nullum habent: cùm defenderet causam Milonis, non ad singulas Narrationis particulas, qua accusator interfectionem Clodij exposuerat, singulariter respondit: sed concesso facto suam defensionem uis illatæ contrà producit: nec eam uicißim accusatori per innumeros articulos ad singulariter singulis respondendum proponit, sed eam narratione, ut iudici nota fieret, exponit: hinc statum, in quo tota causa & controuersia consistebat, demonstrat, & proponit hisce uerbis. Nūquid igitur aliud in iudicium uenit, nisi uter utri fecerit insidias? Profectò nihil. Si hic illi, ut ne sit impunè: si ille huic, tum nos scelere soluamur. Quonam igitur pacto probari potest insidias Miloni fecisse Clodium? Ecce statum causæ, & omnis reliquæ disputationis, in

a lib. 7. Inst. orat. cap. 1.

quo pedem figit orator, ad quē omnes suas probationes, præsumptiones, confirmationes & refutationes dirigit. At processus, quibus Cicero causas egit (dicet mihi Practicorum *quispiam) fuerunt summarij, & summariæ cognitiones, non ordinariæ. Sanè si ordinariè procedi dicitur, cum nullo certo statu proposito articuli super articulos congeruntur, & sic causa intricatur magis quàm extricatur: non refragor. Sunt & alia quæ pro articulatis disputationibus allegari solent, sed confutabunt tandem seipsas: omnes confiteri neceße est, præsentem iudiciorū statum ob litium immortalitatem persistere nō poße: sed quomodo ei poßit succurri, nemo animaduertit.* Plerią; *in multitudine litium, causam tanti mali credunt sitam eße: at sæpe unius causæ acta & actitata tanta sunt, ut iurares istis actis conficiendis trienniū, etiam nullis alijs causis interim actis, sufficere non potuiße.* Quis *articulatas disputationes in causa eße credat?* Sed *cùm &* Rhetorum *autoritate (quæ quantum ad rationem in foro disputandi attinet, uel sola attendenda eßet) & ex communi ratione constet omnem causam contineri aliquo statu, eumq; in omni disputatione forensi in primis eße obseruandum: eoq; diligenter obseruato effici, ne plura quàm opus est, nec pauciora, nec quæ nihil*

ad rem attinent, in disputatione producantur: quæ mihi de statibus causarum maximè cognita probataq; sunt, in gratiam eorum, qui causas in foro rectè agere cupiunt, paucis exponam: nec enumerabo diuersas de hac re Rhetorum opiniones, sed quod mihi ex omnibus uerisimilibus uidetur, proponam breuiter. Nam cùm in alijs omnibus (inquit Fabius) inter scriptores summa dissensio sit: tum in hoc uidetur mihi præcipuum quoq; studium diuersa tradendi fuisse: adeò nec qui sit numerus, nec quæ nomina, nec qui generales, qui ue speciales sint status, conuenit.

lib.3. Inst. orato. cap.7.

Quid sit status, & quæ sit inter statum & exceptionem differentia?

Caput II.

STatum ergo Rhetores uocant, uel quòd ibi sit primus causæ congressus, uel quod in hoc causa consistat. Est autem status (authore Fabio) quæstio quæ ex prima causarum conflictione oritur. Cuius definitionis singulas excutiamus particulas. Quæstio hîc pro genere status ponitur. Est autem quæstio, elata cum interrogatione oratio. Vt, an factum sit? an Titius Seio centum promiserit? an iure occiderit Clodium Milo? Conflictio causarum constat ex intentione & depulsione, cùm idem altera pars

lib.3. Inst. orator. cap.6.

affirmat,

affirmat, altera negat. Vt cùm actor dicit: Fundum mihi uendidisti: reus negat se uendidisse: confligere actor & reus in eo dicuntur, ex qua conflictione, ueluti ex duorum corporum collisione sonus, quæstio oritur hæc: An reus actori fundum uendiderit? Planè quoties alter id quod ab altero propositum est, non quidem negat, sed distinguit: & sic quidam conditione confitẽtur, conflictio cessat, nec status uel quæstio inde oritur. Vtputa cùm actori dicenti, Centum spopondisti, reus respondeat: sed sine tutoris authoritate: uel dicenti, Filio feudum à patre alienatum reuocare licet: reus respondeat, Nisi filius tempore alienationis non esset natus. Quibus casibus conflictio nulla est. Nam confligere tum demum litigatores dicendi sunt, cùm alter simpliciter sine conditiõe negat, quod alter affirmauit: uel contrà, simpliciter affirmat quod negauit alter. quamdiu enim alteruter distinguit, consentire quodammodo uidentur? quamdiu autem consentanea dicunt, conflictio non est, & proinde nec quæstio, utpute causa cessante potest oriri. [a] *Porrò non quæuis quæstio, quæ in controuersiam incidit, causæ status est: sed ea demum, quæ ex prima conflictione nascitur, cuius occasione nascuntur aliæ. Vtputa si ex stipulatu actione conuentus quis exci-*

a Fabius lib. 3. Inst. orator. cap. 7.

piendo neget stipulationem esse factā: erit hæc prima inter actorem & reum conflictio, ex qua nascetur quæstio hæc, an stipulatio facta sit? hic status erit, & caput totius reliquæ disputationis. Idem si actor, quod stipulatio intercesserit, probaturus instrumentum produxerit, idq; reus falsum asserat, actor falsum neget: orietur alia quæstio, hæc scilicet, An productum instrumentum falsum sit? quæ quidem status causæ nō rectè dicetur. Similiter si reus non quidem stipulationem factā esse neget, sed neget eam ad producendā actionem utilem: dicat fortè se sine tutoris autoritate promisisse, uel causam iniustā in stipulationem deductam, uel se soluisse: & actor ad exceptionem propositam negando replicet, in eo erit prima conflictio, ex qua nascetur quæstio talis. Vtrum reus sine tutoris authoritate spoponderit? Vel utrum reus soluerit &c. quæ quæstio principalis erit, & status causæ, cuius occasione nascentur aliæ minus principales. Sanè si quando reus non una tantùm, sed pluribus utitur exceptionibus: utputa cùm factum negat, subijcitq;: & si factum, contractúmue esset, inutiliter factum contractúm ue esse, ita ut ex eo non poßit competere actio: non duo hinc nascentur causæ status, sed unus tantùm, ex eo scilicet quod potentius est. Cùm dicit

reus

reus(uerba sunt Quintiliani) etiamsi feci, rectè feci: qualitatis utitur statu: adijcit, Sed non feci: coniecturam mouet. Semper autem firmius est non fecisse. Ideoq́;(inquit)in eo statum esse iudicabo, quod dicerem, si mihi plus quàm unum dicere non liceret. Nam *&* pro Rabirio *Posthumo* Cicero, *prima parte orationis in hoc incumbit, ut actionem competere in equitem* Romanum *neget: secunda, nullam ad eum pecuniam peruenisse cõfirmat. Statum tamen dicam in eo fuisse quod est potentius.* Planè *si pluribus actionibus, uel ex pluribus causis, actor simul (quod ei aliquando conceditur) experiatur, tot nascentur status, quot causæ et actiones in iudiciũ deducuntur.* Verùm *ex coniuncta propositione(inquit* Fabius*)plures quæstiones & status esse possunt, si aliud negat reus, aliud defendit, aliud à iure actionis excludit.* Porrò *ne quis putet hæc definitionis uerba,* Ex *prima causarum conflictione: ita strictè intelligenda, ut sine discrimine in quacunq; re partes primùm confligant, in ea etiam status causæ sit constituendus.* Quid *enim si actor dicat reo:* Debes *mihi fundum, uel est mihi aduersus te actio: idq́; reus neget: profectò ex hac conflictione status ducendus non est, cùm esset nimium generalis, & à disputationibus sequentibus remotior.* Vnde *rectè* Quintilianus:

lib.3. Inst. orator. cap.6.

lib.7. Inst. capite.1.

Inde uerò ingens (inquit) malè interpretãtibus innatus est error, qui quia primã cõflictionem legerãt, credidêre statum semper ex prima conflictione ducendum, quod est uiciosissimũ &c. Proinde *status causæ ex prima cõflictione, non quæ fit circa causam generalissimam & nimiũ remotam, sed quæ fit circa causam propinquã et specialem, ducendus est: ut ex eo,* Vendidisti, *nõ uendidi: bona mea rapuisti, non rapui. non ex eo,* Debes: *non debeo.* Nam *& actor specialem suæ intentionis causam edere tenetur: alioquin libellus tanquam ineptus reijciendus. l. 1. ff. de edendo, & ibi glossa.*

Quid *ergo status sit, ex iam dictis patet: ex quibus etiam quæ sit inter statum & exceptionem differentiæ, facilè potest intelligi.* Nam *exceptio est id quod reus actori respondet & opponit.* Status *autem id est, quod ex ista responsione, oppositione, & hinc nata conflictione oritur: hoc est, quæstio.* Exceptio *igitur statũ præcedit, quemadmodum causa suum effectum: nec status ibi esse potest, ubi nulla est exceptio: nec ulla lis est (inquit* Fabius*) si is cum quo agitur, nihil respondeat.*

lib. 3. Inst. orator. ca. 7.

Omnem

Omnem statum aut iuris esse, aut facti.

Caput III.

RHetores iuxta Exceptionum genera, status quoq; diuidũt: utputa, cùm factum ex quo agitur, negatur: statum inde ortum dicunt coniecturalem: cùm negatur ius, quo actoris nititur intentio. Statum uocant qualitatis absolutum, cùm demum distinguitur. Statum appellant qualitatis assumptiuum, cùm deniq; non ex causa in iudicium deducta, sed ex alijs actionis circumstantijs excipitur: Vtputa ex persona actoris, rei conuenti, procuratoris & iudicis. Statum uocant translationis, & actionis quæstionem, quòd ea lis à causa ad actionem transferatur. Hæc quidem statuum diuisio, ex causa efficiente sumpta est. Possunt autem nõ incõmodè quoq; diuidi ex materia, seu re, de qua quæritur. Nam aut de facto in foro quæritur: ut, an stipulatio intercesserit? an rapuerit? Aut de iure: ut, an iusta et utilis stipulatio sit? an iustè rapuerit? an domino liceat rẽ suã ui auferre? Omnis ergo status, adeoq; omnis omnino quæstio, quæ in iudiciũ uenit, aut facti est, aut iuris: nam ignorãtia quoq; omnis aut facti, aut iuris esse dicitur. Cùm de facto quæritur, status à rhetorib. uocatur cõiecturalis: cùm uerò de iure, status dicitur qualitatis. Sanè licet de definitione quæstio sit: status

iuris commodè dici potest; utputa cùm is qui seruo ut fugeret persuasit, furti actione conuentus, fateatur quidem se seruo ut fugeret persuasisse, sed id furtum esse neget: et inde quæratur, an is qui seruo ut fugeret persuasit, furtum commiserit? Item si quæratur, an commēdare, sit deponere? An sacrilegium sit, si res priuata è loco sacro subripiatur, &c. Hæ atq; huiusmodi aliæ quæstiones & status definitiui (ut eos Rhetores appellant) iuris esse quæstiones, rectè quis dixerit; cùm eodem modo quo iuris quæstiones probari soleant, hoc est autoritate legum, & alijs argumentis ex locis artificialibus ductis: ut dictæ questiones deciduntur. l. qui seruo. ff. de furtis, & l. commodare. ff. de uerbor. significatione. Et sanè qui huiusmodi definitiones ignorat, sine dubio ius ignorare dicendus est, cùm aut facti aut iuris sit ignorantia. Quæstiones insuper quibus de lege aut alio quolibet scripto aut uoce quæritur; ut sunt status scripti & uoluntatis, contrariarū legum, syllogismi & ambiguitatis, aut iuris sunt aut facti. quod dicendum quoque est de statibus translationis, seu actionis quæstionibus. Omnis ergo quæstio forensis, aut facti est, aut iuris. De iuris quidem quæstione Iurisconsultus, de facto autem orator rectius cō sulitur. Vnde Gallus Iurisconsultus, si quando

apud eum quæstio non de iure, sed de facto incidisset, dicere solitus est: Nihil hoc ad ius, sed ad Ciceronem; *rectè existimans* Iurisconsulti *esse de iure, nõ de facto respondere.* Aliud item iu*dicis officium, est circa facti quæstionem, aliud circa quæstionem iuris, ut infrà dicetur.*

Subdiuisio status tam iuris quàm facti.

Caput IIII.


Porrò Iuris *quæstio subdiuiditur in quæstionem finitam & infinitam.* Quæstiones *finitæ sunt (autore* [a] Quintiliano*) ex complexu rerum, personarum, temporum, cæterorumq;.* Infinitæ *sunt, quæ remotis personis, temporibus & locis, cæterisq; similibus, in utranq; partem disputãtur.* Nam *aliàs de iure causæ uel indiuidui quæritur: aliàs de iure generis.* Genus *quidem est, ut uenditio, locatio, furtum, pupillus, fœmina.* Causa *uerò & indiuiduum est, ut hæc uenditio inter* Titium *&* Seium *contracta, hæc locatio, hoc furtum, hic pupillus, hæc fœmina* Arethusa. Species *quoq;, media generis appellatione cõtinetur: ut uenditio pupillo facta, uenditio fundi patrimonialis, pupillus pubertati proximus.* De *iure igitur generis quæstio est: ut an ex uenditione detur actio?* An *ex uenditione cum pupillo, sine tutoris authoritate contracta detur actio?* De *iure autem causæ & indiui-*

[a] lib. 3. inst. orat. cap. 5.

dui quæstio est: ut, An *ex hac uenditione inter* Titium *&* Seium *contracta, detur actio?* An *fœminæ* Arethusæ *competat* Exceptio *senatuscon-sulti*Velleiani?An *iure occiderit* Clodium Milo? Hæ *quidem finitæ, &* ὑποθέσεις Græcè: *illæ uerò infinitæ quæstiones, &* θέσεις *Græcè dicuntur.* Omnis *autem de finitis quæstionibus disputatio ad quæstiones aut facti, aut iuris infinitas decurrit, in ijsq́; desinit: utputa, cùm agitatur hæc quæstio finita,* An Titius *filius feudum à patre suo alienatum Sempronio, reuocare possit?* Si *reus Sempronius excipiendo neget hac ratione: quòd* Titius *actor, tempore alienationis nondum fuerit natus: actorq́; contrà replicãdo neget, eius argumenti in syllogismum redacti uel minorem: nascetur facti quæstio hæc: an actor tempore alienationis nõdum fuerit natus? uel maiorẽ: nascetur quæstio iuris infinita hæc.* An *feudum à patre alienatum filius qui tempore alienationis nondum fuit natus, reuocare possit?* Circa *quam quæstionem reliqua disputatio uersabitur.* Sanè *si distinxerit actor, & reus duplicando eius distinctionis aut maiorem aut minorem negauerit, idem eueniet: sicq́; omnis circa finitas quæstiones disputatio, ab illis ad quæstiões uel facti uel iuris infinitas procedit.* Quæstio *insuper iuris infinita aut uniuersalis est, aut*

parti-

particularis. Vniuersalis est, cùm generaliter et absq; conditione quæritur: ut, an pacta sint seruanda? an fur sit suspendendus? Particularis est, cùm quæritur specialiter, & cum quadam conditione: ut, an pactum de turpi causa sit seruandum? an si fur minus quàm quinq; solidos furatus sit, sit suspendendus? Facti etiã quæstio non unius generis est. Nam aut de ipso facto quæritur, an factum sit: ut an uenditio sit cõtracta? an furtum sit factum? Aut cùm ipsum factum constat, quæritur de facti circũstantijs: ut, an hic fecerit? an hoc in loco? an Titius furtum fecerit? Statuum ergo, adeoq; omnium forensiũ quæstionum genera, hæc sunt: quæ quo magis perspiciantur, sequens tabella etiã demonstrat:



Quo-

Quomodo status qui latet, sit indagandus?

Cap. V.

Porrò quoniam statum causæ omnino ob oculos fixum exploratumq́;, et aduocatos in disputando & iudices in iudicando habere cõuenit: is autem præsertim, ut nunc aguntur causæ, plerunq; latet. quæ sit eius indagandi ratio, nũc monstrabo. Cõflictio, ex qua status oritur, cõstat (ut dixi) ex intentione et depulsione: cùm idem altera pars affirmat, altera negat: nec potest constare status, nisi prius quid & actor intendat, & reus ad intentionem actoris respondeat, constet. Qui ergo statum causæ fœliciter uolet indagare, debet ante omnia considerare & actoris actionem, & cõtra eam rei conuenti exceptionem. Tria in actione spectabit: primò rem quam petit actor: deinde genus causæ, ex qua petit: postremò, ius seu legem, cuius authoritate petit: eam hisce tribus omnis continetur actio. In actione uenditi actor petit sibi solui precium: hæc res est, genus causæ est uenditio. Ius cuius authoritate actio ista intenditur, apertum est, hoc nimirum, Emptorem uenditori ad precium quanti res uenit soluendum, uenditi actione teneri. l. Julianus. §. ex uendito. ff. de actioni. empti & uenditi. Hæc tria ob certius in

tius iudicium, in formam syllogismi erunt conijcienda, & postea quid ad ea reus respondeat, attendendum. Nec enim status constare potest, nisi prius constiterit exceptio: nec conflictio esse potest, quãdiu aduersarius ad id quod propositũ est, nihil respõderit. Reus ergo cõtra id quod propositum est excipiendo, aut negabit uel maiorem syllogismi, uel minorem, aut distinguet. Nec enim reus ad causam ipsam respondens aliter condemnationem effugere potest, quàm aut negando factum quod minor continet, aut negando ius quod maior continet, aut demum distinguendo distinctione sumpta ex aliqua facti circũstantia. Nam omnis argumentatio (ut dialectici dicere solẽt) soluitur aut negãdo eo quod propositũ est, aut multiplici distinguẽdo: nec aliud etiã reus suis respõsionib. agit, quàm aut maiorẽ aut minorẽ negat, aut distinguit: etiamsi innumeros actoris articulos omnes nõ credat, plures defensionales articulos opponat, additiõales & supperaditionales addat, elisiuos, et elisiuorũ elisiuos exhibeat. Si ergo maiorẽ negauerit reus, iuris exceptio dicetur, nasciturq; hinc status iuris, infinitus: sin minorẽ negauerit, exceptio facti erit, statusq; hinc proueniens facti. Planè interdum negata minore, non facti, sed iuris status nascitur: utputa cùm reus negat factum suum tale

esse.

esse, quale id esse actor in minore proposuit: quo casu uel de definitione, uel de qualitate facti quæstio erit: cuiusmodi quæstiones iuris quæstionibus subijciendas esse suprà monui. Sin denique non negando, sed distinguendo responderit reus: utputa si ad soluendum precium uenditi actione conuentus exceperit hoc modo: Si suum non alienum fundum actor uendidisset: exceptio distinctionis dicetur, quo casu ad replicationem actoris procedēdum erit: nec enim quando alter id quod ab altero propositum est, distinguit, sed quando negat, conflictionem esse suprà docui. Quanquam Rhetores in huiusmodi casu statum qualitatis assumptiuum cōstituunt, non obseruata inter exceptionem & statum differentia. Quintilianus sanè: Sit accusatoris intentio (inquit) hominem occidisti: si negat reus, faciet statum qui negat: quòd si confitetur, sed iure à se adulterium dicit occisum (nempe legem esse, certum est quæ permittat) nisi accusator aliquid respondeat, nulla lis est: non fuit (inquit) adulter. Ergo depulsio incipit esse actoris, ille statum faciet. Hæc Quintiliani uerba sunt. Proinde quoties reus distinguit, toties ei qui statum quærit, procedēdum erit ad replicationem actoris, prius exceptione, quemadmodū suprà de actione monui, in formam Syllogismi redacta.

lib.3.Instit. cap.7.

cta. Hinc similiter utrum actor ad propositam exceptionem negando, an distinguendo respondeat, uidendum: idemq; hic quod iam monui, obseruandum erit: ut scilicet si negetur maior syllogismi, Iuris status constituatur: sin minor, facti status: nisi actor neget factum tale esse, quale id reus in minore esse asseruit: tunc enim iuris status erit, ut dixi. Sin denique actor rursus distinxerit, ulterius ad duplicationem rei conuenti erit procedendum: & sic eousque donec uel actor, uel reus id quod propositum est, neget: & sic inter se partes confligant. Ad ista, quæ de statu indagando hactenus dixi corroborãda, ne fortè quis ea domi meæ nata existimet, uerba Quintiliani Rhetoris clarißimi, producam. Erat mihi curæ (inquit Quintilianus libro septimo Instit. orat. cap. primo) in controuersiis forensibus omnia nosse, quæ in causis uersarentur, & primùm (quod non difficile dictu est, sed tamen ante omnia intuendum) constituebã, quid utraque pars uellet efficere: tum quidem hoc modo cogitabam, Quid primùm petitor diceret: id aut confessum erat, aut controuersum. Si confessum, non poterat ibi esse quæstio. transibam ergo ad responsum alterius: idem intuebar: nonnunquam etiam quod inde obtinebatur confessum erat. Vbi primùm cœperant non con

uenire,

uenire, quæstio oriebatur. Id tale est, occidisti hominem: occidi: conuenit: transeo: rationem reddere debet reus quare occiderit. Adulterum (inquit) cum adultera occidere licet, legem esse certum est. Tertium iam aliquid uidendum est, in quo pugna consistat. Non fuerunt adulteri: fuerunt: quæstio, de facto ambigitur, coniectura est. Interim ergo & tertium confessum est adulteros fuisse. Sed tibi (inquit accusator) illos non licuit occidere. Exul enim eras & ignominiosus: de iure quæritur. At si protinus dicenti, Occidisti: respondeatur, Non occidi: statim pugna est. Sic explorandum est, ubi pugna, ubi controuersia incipiat. Et considerari debet, quæ primam quæstionem faciat. Hactenus Quintilianus, qui etiam si alijs quàm ego uerbis scribat, non tamen aliam status inquirendi uiam monstrat. Sanè si reus non quidem ad causam actionis respondeat, sed ex alia actionis circumstantia excipiat: utputa si dicat, Actori non competere actionem, uel non apud hunc iudicem, uel non hoc loco, uel non hoc modo, &c. non erit alia, quàm monstraui status explorandi ratio. Nam reus utique istiusmodi suæ exceptionis rationem reddere tenetur: utputa cùm dicit, Non competit apud hunc iudicem contra me actio: addet rationem hanc fortè, Quia mihi domicilium

lium hîc non est. Hæc ut in præcedentibus monui, conijcienda erunt in formam Syllogismi, quid actor ad ea respondeat, attendendum. & siquidem propositum negauerit, status ibi constituendus erit: sin uerò distinxerit, procedendum, donec in aliquo actor & reus confligant. Eademq́; in alijs quæstionibus minus principalibus constituendis, erunt obseruanda.

De probationibus, & cui probandi onus incumbat? Caput VI.

STatu controuersiæ apparente, onus probandi eius consequitur. Nam actor non probans suam actionem, causa cadit: reus quoq; non probans suam exceptionem, damnatur. quæ quidem intelligenda sunt si uel in actione uel in exceptione partes confligant, facto uel iure actionis uel exceptionis ab aduersario negato. Nec enim placet mihi ille mos, quo actor omnia actionis requisita, quorum sæpe plurima sunt, simul probare tenetur: reus quoq; contrà, omnia suæ exceptionis requisita: & sic status causæ, qui unus est, & ad quem omnis probatio referenda erat, non obseruatur. Plurimùm autem refert, uidere cui onus probandi incumbat, & quando onus illud à nobis in aduersarium transferre poßimus. Nam onere probandi in aduersarium translato, duplex inde capiemus

commodum. Primùm enim à probandi onere liberabimur: deinde aduersario non probante, litis obtinebimus uictoriã.[a] Proinde in eo cognoscendo obseruandum est, uter rem probandam affirmauerit, & uter negauerit. Nam ei qui affirmat, non qui negat, incumbit probatio.[b] Actor igitur uel factum uel ius suæ actionis quod reus negauit, probare tenetur: nec si uerum id esse ostendere non potest, reus id falsum esse ostendere habet necesse.[c] In rei quoq; uindicatione possessor, ne titulum quidem suæ possessionis dicere compellitur: sed actore nõ probante, reus absoluitur.[d] Contrà uerò reus factum uel ius suæ exceptionis ab actore negatũ, tenetur probare.[e] Nam in exceptionibus (inquit Vlpianus)[f] dicendum est, reum partibus actoris fungi oportere, & ipsam exceptionem uelut intentionem implere, cogendum esse: utputa, si pacti conuenti exceptione utitur, docere debet pactum conuentum factum esse. Item cùm quis se iudicio sisti promisit, et Reipublicæ causa abfuisse dicitur: & ob id non stetisse, uel dolo malo aduersarij factum, quo minus sisteretur: uel ualetudinem sibi impedimento fuisse, uel tempestatem: probare id eum oportet. Item si creditum petatur, & reus dicat solutam esse pecuniam: ipse hoc probare cogendus est: quia ipse affir-

a l. 2. C. de probationib. & l. siquidem C. de except. & præs.

b l. 2. ff. de probation. & l. actor quod. C. eod. tit.

c l. uerius est ff. de probationib. & l. 2. item. l. frustra. item. l. actor. C. eod. tit.

d l. 2. C. de probation. & l. cogi posses sorem. C. de petitio. hære. & l. 15. interrogato. ff. de interrogat.

e l. 50. ff. de probationib.

f l. in exceptionibus. in princip. ff. de probationib.

se affirmat, actor negat. [a] *Planè si pactum factum sit (inquit Celsus) in quo hæredis mentio non fiat: quæritur, an id actũ sit, ut ipsius duntaxat debitoris persona arctaretur? Sed quamuis uerũ est, quòd qui excipit, probare debet quod excipitur: attamen de ipso duntaxat, ac non de hærede eius quoq; conuenisse petitor, non qui excipit probare debet: quia plerunq; tam hæredibus nostris, quàm nobismetipsis cauemus.* [b] *Qui autem dolo dicit aliquid factum (licet in exceptione) docere debet dolum admissum esse.* [c] *Si indebitum dicatur solutũ uel cautum, nunc affirmantis, nunc negantis est probatio: quam rem eleganter definit Paulus Iurisconsultus in l. cùm de indebito. ff. de probationib. Si res pignori data, dationis tempore dantis non fuisse dicatur: actori probandi onus incumbit.* [d] *Si testator dicatur ignorans rem alienam uel obligatam legasse, actoris, hoc est, legatarij probatio est illum sciuisse rem alienam uel obligatam fuisse.* [e] *Is quoq; qui dicit uoluntatem mutatam esse, hoc probare debet.* [f] *Cùm quæritur utrum fideiussores pro tutoribus dati, dationis tempore idonei fuerint nec'ne: non à pupillo probatio est exigenda, sed ab his quorum officij fuit prouidere ut pupillo caueretur.* [g] *Cùm quis filius alicuius negatur, non ei qui negatur filius,*

a l. quinquaginta. ff. de probation. & l. 1. C. eod. tit. & l. fin. C. de solutionib.

b l. si pactũ. ff. de probationibus.

c l. quoties. §. qui dolo. ff. eod. tit.

d l. ante omnia. ff. eod. tit.

e l. uerius est. ff. eod. tit.

f l. 3. item. l. eum qui uoluntatem. ff. eod. tit.

g l. non est necesse. ff. de probationib. & l. 1. §. sed et si satis. ff. de magistrat. conuen.

sed ei qui negat, incumbit probatio. [a] *Siue autem de facto, siue de iure quæratur, regulariter ab affirmante non à negante, item ab actore in actione, & à reo in exceptione sua, probatio est exigenda.* [b] *Quando ergò quis onus probandi subire cogatur, & quando id in aduersarium suum transferre posit, ex his patet. Sanè is quoq; cui iure onus probandi potest imponi, potest id euitare, delata aduersario iurisiurandi conditione.* [c] *Sed & is cui iusiurandum delatum est, potest id referendo in aduersarium transferre: de qua re dicetur inferius deiureiurando.*

a l. quidam. §. fin. ff. de probation. & l. non nudis. §. fin. C. eod. tit.

b l. ab ea parte. & l. in exception. §. sed etsi. ff. de probationib.

c l. cum de indebit. §. omnib. autem. ff. de probationibus.

De Iuris quæstione infinita probanda. Caput VII.

CVm omnis status, adeoq; omnis fori quæstio (ut dixi) aut facti sit aut iuris. Iuris autem quæstio uel finita uel infinita. Iuris quæstio infinita quidem probatur legum authoritate. Omnis autem lex seu ius, aut naturale est, aut gentium, aut ciuile. Omnes populi (*inquit* Caius *Iurisconsultus*) [d] *qui legibus aut moribus reguntur, partim suo proprio, partim communi omnium hominum iure utuntur. Nam quod quisque populus ipse sibi ius constituit, id ipsius ciuitatis proprium est, uocaturq; ius ciuile, quasi ius proprium ipsius ciuitatis: quod*

d l. omnes populi. ff. de iustitia & iure.

uerò

uerò naturalis ratio inter omnes homines constituit, id apud omnes peræquè custoditur, uocaturq́; ius gentium, quasi quo iure omnes gentes utantur. Ius autem ciuile constat aut ex scripto, aut sine scripto. [a] Sine scripto ius uenit, quod usus approbauit: nã diuturni mores, consensu utentium comprobati, legem imitantur. [b] Omne igitur ius continetur aut natura, aut more, aut cõstitutione seu scripto. Scriptum ius, quo utuntur ciuitates & ditiones Christiani orbis non unius generis est. Nam aut commune est totius orbis seu Imperij Romani, aut proprium cuiusque ditionis uel ciuitatis. Commune est ius ueteris & noui Testamenti, ius Canonicum seu pontificium. Ius item Romanũ, seu (ut nunc uocant) Cæsareum: item constitutiones Imperatorum nouellæ. Hisce accedunt tam Pontificij quàm Cæsarij iuris commentaria, ut Bartoli, Baldi & aliorum. Hæc enim passim in iudicijs pro iure allegantur. Fides tamen eis habenda non est, nisi idoneam & in iure fundatam suæ sententiæ rationem reddiderint. Sic Cato puer parebat quidẽ pædagogo iubenti, sed rogabat, quam ob causam iuberet. Proinde Commentatorum sententijs non tam propter authoritatem authoris sui, quàm propter rationem in iure fundatam standum est. Proinde cessante ra-

a l. ius ciuile. ff. de iustit. & iure.

b §. sine scripto. instit. de iure naturali, gentium & ciuili.

tione legitima, cessat quoq; illarum sententiarum authoritas. Nec enim *sunt edicta praetorum, nec uim legum per se habent, cùm autores illarum, ius ferendi leges non habuerint.* Proprium *insuper cuiusque ditionis uel ciuitatis ius est, quod aut ditionis princeps constituit, aut ciuitatis decurionum ordo.* Ius *quoq; moribus constitutum similiter duplex est: nam est partim commune totius* Imperij, *ut sunt consuetudines feudorum: partim est proprium cuiusque ditionis uel ciuitatis.* Ex *hisce legum, iurisq; generibus, omnis probatio iuris sumenda est: etsi fortè lex specialis de quaestione cōtrouersa non extet, ad similes casus recurrēdum erit, sumptis argumentis à definitione, genere, specie, proprio, causa, effectu, & ex alijs locis quos* Dialectici & Rhetores *artificiales uocant.* Nec *enim possunt omnes articuli singilatim aut legibus aut senatusconsultis comprehendi (inquit* [a] Iulianus) *sed cùm in aliqua causa, sententia earum manifesta est: is qui iurisdictioni praeest, ad similia procedere, atq; ita ius dicere debet.* Quoties *enim lege aliquid unum aut alterum est introductum, bona occasio est & caetera quae tendunt ad eandem utilitatem uel interpretatione, uel certè iurisdictione suppleri.* Si *ergo quaestio illa de qua dubitatur, iure aliquo specialiter de-*

[a] l. non possunt. cum l. sequent. ff. de legib.

finita

finita non est: debet tamen argumentum, quod ad eam probandam adducitur, speciali aliquo seu legibus expresso iure niti. Erubescimus enim (Iurisconsulti inquiunt) sine lege loqui. Planè si quando aliquis cōtra alium, nouum ius impetrauit, uel iudex contra aliquem statuit: ex eo iure contra statuentem simul & impetrantem, agi, excipi, replicari, etc. potest: iuxta tit. ff. quod quisque iuris. Porrò quod ad confutandi iuris rationem attinet, id uarijs modis potest refutari: utputa si fortè is qui legem tulit, iuris dicendi potestatem non habuerit: uel si extra territorium suum, is qui iurisdictioni præest ius dixit, aut supra suam iurisdictionem.[a] *Item si interpres, seu commentator, suam sententiam non probat ratione legitima. Item si sit personale rescriptum quod personam non egreditur.*[b] *Item si fortè consuetudo uel statutum sit contra rationem iuris.*[c] *Multa tamen iure ciuili contra rationem disputandi pro utilitate communi recepta esse, innumerabilibus rebus probari potest.*[d] *Potest item ius ab aduersario allegatum refutari, si aliud ius specialius contrarium esse dicatur. Nam in omni iure, species derogat generi.*[e] *Item si ius posteriore aliqua constitutione uel consuetudine sit mutatum. Constitutiones enim posteriores tempore, potiores*

a l. extra territor. ff. de iurisdictione.

b l. 1. §. fin. ff. de constitu. princip.

c l. quod uerò cōtra. cum ll. sequen. & l. quod non ratio. ff. de leg.

d l. si ita uulnera. §. multa autem. ff. ad l. aquiliam.

e l. in toto iure. ff. de reg. iur. & l. sancdio legum. ff. de pœnis.

a l. fin. ff. de const. princ.

sunt his quæ ipsas præcesserunt.[a] Si deniq; ius aliud efficacius allegato contrarium proferatur, allegatum refutatur. Sunt autem iura naturalia efficaciora ciuilibus, nec ciuilis ratio naturalia iura potest corrumpere.[b] Cedit item ius humanum diuino, ius Romanum iuri municipali & consuetudini, consuetudo constitutioni principis & decreto ordinum.

b l. eas obligat. ff. de capite deminu. & l. ubi pugnantia. ff. de reg. iur.

De finita iuris quæstione probanda.

Caput VIII.

QVæstio autem iuris finita probatur partim ex genere & qualitate causæ: partim attributis uel personarum, si de iure personæ quæratur: uel rerum, si de iure ipsius rei uel causæ quæstio sit. Sic si dicatur ex hac causa quam Titius in iudicium deduxit, dari actionem, probatur ex genere causæ: quia forte sit uenditio, uel alterius contractus delicti ue species. Sic contrà, ex hac causa non dari actionem probatur ex qualitate eius: quia forte sit iniusta uenditio, uel inutilis stipulatio, uel uis iusta. Planè probantur interdũ huiusmodi quæstiones finitæ pactis priuatorũ, rescriptis principum, & iudicum sententijs: cùm ita ut actor uel reus dicit in ista causa seruari debere, uel iudex sententia sua definierit, uel princeps rescripto mandauerit, uel pacto inter partes placuerit. Per-

rit. Personarum attributa sunt genus, natio, patria, parentes, sexus, ætas, fortuna, uitæ conditio &c. Attributa rerum sunt circumstantiæ facti: puta persona, res, causa, locus, tempus, modus, instrumentum, antecedentia, adiuncta, & consequentia: quæ omnia & præsumptionem facti, & demonstrationem iuris in causa suppeditant. Sic si quæratur an hæc causa iniusta sit, inspici debent eius circumstantiæ, & exinde iniusta probari: utputa persona contrahentis, si fortè pupillus contraxerit, si fœmina pro alio fideiusserit. Item res, si res aliena, sancta, religiosa, uendita sit. Item causa & modus, si dolo contractum sit, si error interuenit. Similiter si quæratur de iure personæ, ut an accusatori non competat accusatio, uel testi fides habenda non sit? Consideranda est eius fortuna & conditio, an fortè pauper sit, an libertus eius quem accusat, uel contra quem testis producitur. Item sexus, an fœmina sit, quæ testis in testamento esse nequit. Item ætas, an minor ætate, ut ad accusandum uel testimonium perhibuendum iure non admittatur, &c. Sed de hac re satis suprà libro 4. de exceptionibus distinctionis disserui, multaq́; de attributis personarũ & rerum, Rhetores tradunt, ad quos studiosum lectorem remitto.

De facti statu probando.

Caput IX.

FActũ deniq; probatur instrumẽtis, testibus, fama, iureiurando, confeßione aduersarij, quæstionibus & tormentis, de quibus omnibus infrà copiosius differam. Sed & probatur factum signis, & circumstantijs facti: cùm argumentum sumitur ex personis, ex loco, ex tempore, ex causa, ex modo, ex euentis deniq; & ex signis, quæ partim antecedunt factum, partim facto insunt, partim factum sequuntur. Sic præsumitur furtum ex persona, si fortè pauper sit & luxuriosa: adulteriũ in fœmina iuuencula petulanti: homicidiũ præsumitur ex loco, si fortè in loco clãdestino in sylua homo mortuus inuentus sit: ex euentis & ex signis, si fortè reus postea alicui cum gladio cruento sit factus obuiam, si antea mortem occiso minatus est, &c. Sanè quæ argumenta ad quem modum (Imp. Ha*drianus rescripsit)* [a] *cuiq; rei probandæ sufficiant, nullo certo modo satis definiri potest. Sicut non semper ita sæpe sine publicis monumentis cuiusq; rei ueritas deprehẽditur: aliâs numerus testium, aliâs dignitas & autoritas, aliâs ueluti consentiens fama, confirmat rei de qua quæritur, fidem.* Hoc ergo *solùm tibi scribere possum summatim: non utiq; ad unam probationis*

a l. testium fides. §. eiusdem ff. de testibus.

speciem

ſpeciem, cognitionem ſtatim alligari debere: ſed ex ſententia animi tui, te exiſtimare oportere quid aut credas, aut parùm probatum tibi opineris. Proprietatis *dominium (Imp.* Antoninus Vito *reſcripſit* [a] *) non tantùm inſtrumento emptionis, ſed ex quibuſcunq; alijs legitimis probationibus oſtenditur.* In *eandem ſententiã* Imp. Diocletiano *Choriæ reſcripſit* [b] *hoc modo: cùm res non inſtrumentis geratur, ſed in hæc rei geſtæ teſtimonium conferatur: factam emptionem & in uacuam poſſeßionem inductum patrem tuum, preciumq; numeratum, quibus potes iure proditis probationibus, docere debes. Hoc tamen ignorandum non eſt, quòd in publicis iudicijs crimen non leuibus probationibus & ambiguis, ſed idoneis teſtibus, apertißimis documentis, indicijs ad probationẽ indubitatis & luce clarioribus oſtendi debet.* [c] *Sed hæc de probationibus in genere: ſequitur de inſtrumentis, teſtibus, &c.*

a l. proprieta tis. C. de pro batiombus.

b l. cum res non. C. de pro bationib.

c l. fin. C. de probationib.

De inſtrumentis. Cap. X.

I*Nſtrumentorum nomine (inquit* Paulus Iu*riſconſultus) ea omnia accipienda ſunt, quibus cauſa inſtrui poteſt.* Et ideo *tam teſtimonia quàm perſonæ, inſtrumentorum loco habentur.* [d] *Sed hoc loco inſtrumentorũ appellatione continentur tantùm tabulæ, & aliæ ſcriptu-*

d l. 1. ff. de fide inſtru.

ræ,

ræ quæ probationis causa conficiuntur: fiunt enim de his scripturæ, ut id quod actum est, per eas facilius probari possit.[a] In exercendis igitur litibus (ut inquit Imp. Constã.) eandem uim obtinent tam fides instrumentorum, quàm depositiones testium.[b] Instrumẽta autem sic concipi debent, ut nomen imperatoris, quo imperante acta res est, præponatur: item ut præponatur indictio: necnon mensis & dies quo conficiuntur, referrunturq; in literas quæ geruntur.[c] Tempus quoq; acti non obscuris & obsoletis literis scribendum est, sed uulgaribus & omnibus notis.[d] Subscriptio quoq; partium, testium, necnon ipsius notarij, omnimodo est necessaria.[e] Absolutum item & perfectum debet esse instrumentum ab eodem, non ab alio notario.[f] Testium quoq; præsentia opus est: pauciores autem quàm tres esse non debent.[g] Sané tanta circa instrumenta conficienda obseruatio non est necessaria, si contractus intra unam auri libram uersetur.[h] Pluribus insuper modis instrumenta perdunt uim suam. Quid enim si rei ueritas aliter se habeat quàm instrumentis scriptũ est: idq; manifestis indicijs probari possit? Instrumenta certé ueritati cedunt. Non enim figura literarum, sed oratione, quam exprimunt literæ, obligamur: hæc ergo si nulla est, literæ inanes sunt.

a l. in re hypothecæ. ff. eod.
b l. in exercendis. C. eo.
c nouell. cõ. 47. ut præponatur nomen Imper. M.
d d. nouell. c. 47. §. fin.
e l. script. quę C. qui pot. in pig. ha. & l. cõtractus uendi tio. 6. 1. C. de fide instru. & nouell. c. quõ instru. quæ apud iud. insin. sunt, fid. app. & nouell. c. de testib. §. quapropter neq; istiusmodi.
f l. contract. C. de fide inst. & nouel. c. de tabell.
g noue. c. quõ inst. quę apud iud. insi. sunt fi. & l. fin. C. si cer. petat.
h nouell. c. quõ inst. quæ apud iud. insi. sunt. §. porro. illud quoq;.

ſunt.[a] *Vnde ſi manifeſtè probetur, aliud actum, aliud ſcriptum eſſe: plus ualet quod actum eſt, quàm quod ſimulatè eſt conceptum.*[b] *Hinc dicit Vlpianus: Inter acceptilationem & apochā hoc intereſt, quòd acceptilatione omnimodo liberatio contingit, licet pecunia ſoluta non ſit: apocha non aliàs, quàm ſi pecunia ſoluta ſit.*[c] *planè ſi quis numeratam ſibi pecuniam ſcripſerit, quæ numerata non eſt, poſt biennium exceptione Non numeratæ pecuniæ uti nō poteſt.*[d] *Sed & ſi quis tranſactionis cauſa, non ſpe futuræ numeratioois, ſcripſerit ſe accepiſſe quod non accepit: exceptio non numeratæ pecuniæ locum non habet.*[e] *Præterea pugnantia ſcripta inefficax inſtrumentum faciunt.*[f] *Idq; non ſolum ſi in uno eodemq; inſtrumento pugnantia ſcripta ſint, ſed & ſi ſcripturæ diuerſæ ab una parte prolatæ fuerint. nam tunc utraq; ſcriptura infirmatur.*[g] *Abundans tamen quid ſcriptum, ſcripturam non uiciat.*[h] *Nec item librarij error in ſcribendo admiſſus, fidem ſcripturæ tollit.*[i] *Sed calumnioſam ſcripturam (ut inquit Paulus) in iudicio obtinere non conuenit.*[k] *Vnde ſi inuita uel ignorante altera parte, aliquid ſcriptum ſit, ſcriptura nihil ualet.*[l] *Ex falſis inſtrumentis non ſolum non procedit probatio, ſed etiam publicū iudicium datur. Suſpe-*

a l. non ſigura. & l. pl cu rator Seij. §. ff. de act. & obligat.
b l. C. tit. plus ual. quod agi. quam quod ſimulate.
c l. ſi accepttilatū. ff. de accept. Huc pertinet l. ſi inter patrem, & l. ſi obligatū. & l. ſi literarum. C. de ol. & l be. & l. neq; ſcript. C. de compe.
d Inſtit. de l. obl.
e l. inter. mutum. C. de ſol. & lib.
f l. ubi pugnantia. ff. de reg. iur.
g l. ſcript. C. de fi. inſtr.
h l. non ſolet. ff. de reg. iur. et l. teſtamentū nō. C. de teſt. & quema. ite l uerba ſuper. C. de donat.
i l. ſi librar. ff. de reg. iu. et l. errores C. de err. aduoc.
k l. 2. ff. de fi. inſt. l l. cum precibus. C. de probationibus.

a l.2.C. de fi. instru.& l. penul.C.de pro.

b l.3.C.de fi. instru.

c l.3.cum duabus leg.seq. C.de probat. & l.Publia Mæuia. §.fi. ff.de possess.

d l. fin. ff. de pro.& nouel. c. ut don.pro. nupt.&c.§.in super & hoc præcipimus.

e l.non epistolis.C. de prob.& l. epistola.ff. de pa.

f l.fi. §.fi.ff.de act. & obl. & l. Publia Mæuia.§.fi.ff.dep.

g l.Imp.ff.de prob.& præ.

h l.census,ff. eod.

ctæ quoq; scripturæ, & de quibus alius falsi accusatus uictus est, non aliter fidem merentur, quàm si ij qui ijs utuntur, ipsis ueritatem adstrinxerint. [a] Eo *etiam instrumento, quo se antea non usurum aduersarius contestatus est, cùm fides eius in dubium uocaretur, uti non potest.* [b] Domestica *insuper instrumenta, & priuatæ annotationes, nisi alijs adminiculis adiuuentur, solæ ad probationem non sufficiunt.* [c] Vt *item testes non rogati, sed casu interuenientes, nō probant: ita quoque si alicuius contractus mentio fiat in instrumento aliquo propter alium contractum conscripto, non probatur contractus is, cuius obiter mentio facta est ex eo instrumento.* [d] Epistolæ *quoq; emissæ nō probant.* [e] Pla*nè ex personis causisq; aliter statuendum est.* [f] Probationes (ut Imp. Antoninus et Verus rescripserunt) *quæ de filijs dantur, non in sola affirmatione testium cōsistunt: sed & epistolis, quæ uxoribus missæ allegantur (si de fide earum consistat) nonnullam uicem instrumentorum obtinere, decretum est.* [g] Census *sanè & monumenta publica (inquit* Marcellus) *potiora testibus esse, Senatus censuit.* [h] De *exemplis literarū seu copijs, ut nūc uocant, sic inquit* Paulus: Q*uicunque à fisco conuenitur, non ex indice & exemplo alicuius scripturæ, sed ex authentico conueniendus*

ueniendus est.[a] *Porrò ad infirmandam instrumentorum fidem, non rarò negatur manus eius esse, qui scripsisse dicitur: ideoq; literarum comparatio exigitur. sed ea non passim est admittenda: cùm scripturæ dissimilitudinem sæpenumero tempus, sæpenumero morb. ingrauescens efficiat. Atq; hæc eo magis dicenda sunt, si quando calami atq; atramẽti mutatio, ne per omnia quæsita similitudo esset, ademit.*[b] *Quatenus ergo comparationis ratio sit habenda, pulchrè traditur* Nouell. *c. quomodo instru. quæ apud iudicẽ insin. sunt, fidem appon. oporteat. item l. comparationes.* C. *de fide instrum. item* Nouell. *c.* 50. *de reis qui ingrediuntur ad expediendam appellat. &c. §. porrò & illud.* Adhæc *de eo quæsitum est,* An *cùm quis instrumentum protulerit, eiq; fidem imposuerit: postea autem persona, contra quam prolatum est, quasi falsum hoc redarguere nitatur: cogendus sit is qui antea protulit, iterum proferre? & constituit* Imp. Iustinianus, *non, nisi iuramento calumniæ ab aduersario præstito, cogendum: quid tamen, si proferre postea non possit? fortè quòd amissum sit, uel alia causa prolationem impediat? tunc (inquit* Imp. Iustinian.*) & ipse iuramentũ eius quod dicit, subire debet.*[c] *Potest tamen quis instrumenta alio loco, quàm quo litigatur posita desi-*

a l.1.ff. de fide instru.

b Nouell.c. quomodo instru. quę apud iud. ins. §.1.

c l. cum quidam. C. de fide instr.

ta desiderare, ut non adferre (si fortè hoc illi incõmodum sit) sed ut ibi ubi posita sunt, præsente litigatore uel procuratore eius, exhibere uel probare sibi liceat.[a] Non autem ut instrumenta prolata rem probant, ita quoq; amissa, uel ab initio penitus omissa, fidem ueritati derogant. Nam instrumentis etiam non interuenientibus, facta uenditio rata manet: nec amißis ijs quæ intercesserant, ueritatis substantia euanescit.[b] Fiunt enim de his scripturæ (ut inquit Caius iurisconsultus) ut quod actum est, per eas facilius probari poßit: & sine his etiã ualet quod actum est, si habeat probationem. Sicuti & nuptiæ sunt, licet testatio sine scriptis habita sit.[c] Callistratus quoq; in hanc sententiam ait: Si res gesta (inquiens) sine literarum consignatione quoq; ueritate factum suum præbeat: non ideo minus ualebit, quod instrumentum nullum de ea interceßit.[d] Qui ergo instrumenta amissa conqueritur, alijs argumentis rei ueritatẽ probare debet: nec amissorum instrumentorum habita testatio, ad probationem ueritatis prodesse potest.[e] Postremò ne inductum quidem, uel cancellatum, nec à debitore receptum instrumentum, rei ueritatem mutat, nec ei præiudicat, si modò manifestis probationibus rem aliter se habere apparuerit.[f] Planè si debitori meo cautio-

a l. iudices. C. eod.

b l. cum inst. C. eod.

c l. in re hypothecæ. ff. de fide inst.

d l. si res gesta. ff. eod.

e l. sicut iniquum est. & l. apud eos. C. eod. tit.

f l. si chirographũ. ff. de probat. & l. quod debitori. C. de solu.

cautionē sponte reddiderim, uidetur inter nos conuenisse ne peterem, profuturamq́; ei conuentionis exceptionem placuit, inquit Paulus.[a] Cōtrà quoq; soluto debito instrumenta licet non cancellata, neq; debitori reddita sint, uim suam nihilominus amiserunt.[b] Hactenus de instrumentis.

a l.2.ff.de pactis.

b l.nihil interest.& l.inductum.C.de solutionibus.

De testibus. Cap. XI.

Testimoniorum usus (inquit Arcadius) frequens & necessarius est, & ab his præcipuè exigendus, quorum fides non uacillat.[c] Proinde sciendum est, quibus modis testimonia subuertantur. Plurimum autem refert, quis qualis'ue sit is qui testimonium perhibet. In testimonijs (inquit Modestinus) fides, dignitas, mores, grauitas examinanda est: & ideo testes, qui aduersus fidem testationis suæ uacillāt, audiendi non sunt.[d] Eos testes (inquiunt Imp. Diocletianus & Maximianus) ad ueritatem adiuuandam adhiberi oportet, qui omni gratiæ et potentatui fidē religioni iudiciariæ debitā possint proponere.[e] Testiū fides (inquit Callistratus) diligenter examinanda est. Ideoq́; in persona eorum exploranda erunt in primis conditio cuiusq;: utrum quis decurio, an plebeius sit: & an honestæ & inculpate uitæ, an uerò quis notatus & reprehensibilis: an locuples uel egēs

c l.1.§.1.ff. de testib.

d l.2.ff.de testibus.

e l.eos testes. C.eod.

sit, ut lucri causa quid facilè admittat: uel an ei inimicus sit, aduersus quem testimonium fert: uel amicus ei, pro quo testimonium dat. Nam si careat suspicione testimonium, propter personam à qua fertur, quòd honesta sit: uel propter causam, quòd neq; lucri, neq; gratiæ, neq; inimicitiæ gratia fiat, admittendum est. [a] *Sancimus (in quit Imp. Iustinianus) ut qui in testimonium adhibentur, illæsa existimatione sint: atq; tales, qui ob constantem, sibiq; consentientem famã dignitatis, militiæ, opulentiæ aut professionis omnem longè calumniã superent: aut si tales non sint, saltẽ ab alijs, quòd fide digni existant, testimonium habeant: nõ autem sedentarij, aut humi repentes, & prorsus reiectæ conditionis homines ad dandum testimonium procedant: sed quorum studia facilè poßint (si quid incidit dubij) eorum uitam, qui ad dicendum testimoniũ accesserunt, inculpatam & honestam ostendere.* [b] *Planè ad officiũ iudicis (autore Papiniano) pertinet, eius quoq; testimonij fidem, quod integræ frontis homo dixerit, perpendere.* [c] *Iudicio publico damnatus testis, nisi fuerit in integrum restitutus, adhiberi non potest.* [d] *Proinde repetundarum,* [e] *adulterij,* [f] *ob carmen famosum,* [g] *& calumniæ in iudicijs publicis* [h] *damnatus, intestabilis est. Is quoque qui in iudicio publico reus*

a l.3.§.1.ff.de test.

b nouel.c.de test.§.corroborantes.

d l.quæsitũ scio.ff.de test.

d l.test.'um. §.lege Iul.ia. ff.eod.

e l.repetundarum.ff.eod.

f l.scio quidem. & ex eo quod.ff.de testib.

g l.ob carmẽ. §.1.ff.eod.

g l.quæsitum scio.ff.eod.

co reus est, qui ue in uinculis, custodiá ue publica est, testis produci non potest.[a] Is quoq; *qui ob testimonium dicendum, uel non dicendum, pecuniam accepisse iudicatus, uel conuictus erit, à testimonio dicendo arcetur.*[b] *Hæretici quoq; cum suis fautoribus & defensoribus, intestabiles sunt.*[c] Nec *eius insuper testimonium admittendum est, qui uel inimicus est ei contra quem, uel amicus ei pro quo producitur testis.*[d] Planè *si quidē inter eum qui testis producitur, & eum contra quem testis producitur, criminalis agitatur causa, testimonium eius nullum est: sin uerò alioquin inimicitias is contra quem producitur, alere dicatur, aut actione pecuniaria contendere, non infirmatur testimonium.*[e] Q*uia autem is qui amicus est actori uel reo conuento, pro eo testis produci non potest, idcirco domestici testimonij fides etiam iure ciuili improbatur,*[f] *testisq; idoneus pater filio, aut filius patri non est.*[f] Vnde dicit Paulus Iurisconsultus: T*estes eos quos accusator de domo produxit, interrogari non placuit.*[g] Neq; *item idonei testes esse uidentur, quibus imperari potest ut testes fiant.*[h] Possunt *tamē ex eadē domo plures testes alieno negocio adhiberi.*[i] Patroni *quoque causarum, in ea causa cui patrocinati sunt, testimonium dicere nō possunt: idq; & in*

a l. testium. §. l. Iulia. ff. de testibus.

b d l. testiū. §. lege Iulia. ff. eod.

c l. quoniam multi. C. de heret. & con. Frider. Imp. credentes præterea.

d l. testium ff des. §. 1. ff. de testib.

e nouel. e. de testib. §. nsuper si puis.

f l. 2. C. de testib.

g l. testis idoneus. ff. eod.

h l. penul. ff. eod. tit.

i l. pater & filius. ff. eod.

a l.fin.ff.eo.
b l.nullus ido neus.ff.eo. & l.omnibus.C. eod.
c l.produci testis. ff. eod.
d l.si qui,test. C.eod.
e l. parentes C.eod.
f l.3.§.lege Iulia.& l.inuiti. & l.in testimonium. ff. de testibus.
g l. ex eo prohib.ff.eod.
h l.qui testamento.§.mulier.ff.qui test. fa.poss.
i l.repe.ff.de test.
k l.testium fides.§.lege Iul. ff.de test.
l l.nec honore.C. de epis. & cle.
m l.ob carmē §.illud quoq; ff.de test.
n l. testium fides. §.l. Iulia. ff.de test.

executoribus negociorum obseruandum est. [a] *Nullus praeterea in sua, re testis idoneus intelligitur: quia unusquisq; sibi potius quàm alteri mauult consultum.* [b] *Insuper testis produci non potest, qui antè in eum reum testimoniū dixit.* [c] *Potest tamen quis testis produci contra eum, pro quo antea in alia lite dixit testimonium.* [d] *Adhaec parentes & liberi inuicem aduersus se, nec uolentes, ad testimonium admittendi sunt.* [e] *Praeterea impuberibus & pupillis, item minoribus uigintiquinq; annis, testimonij officio interdicitur.* [f] *Mulieres sanè testabiles sunt:* [g] *nō tamen in causa testamentaria.* [h] *Hermaphroditus (inquit Paulus) an ad testimonium adhiberi poßit, qualitas incalescentis sexus ostendit.* [i] *Ea uerò quae palàm quaestum facit, fecitue, testis esse nequit.* [k] *De episcopis insuper sic constituit Imp. Theodosius: Episcopum ad dicendum testimonium admitti non decet: nam & persona oneratur, & dignitas sacerdotis exempta cōfunditur.* [l] *Magistratus sanè, si res exigat, testimonium dicere potest.* [m] *In summa, quidam propter reuerentiam personarum, quidam propter lubricum consilij sui, alij uerò propter notam & infamiam uitae suae, admittendi non sunt ad testimonij fidem.* [n] *Porrò non sufficit, testabiles esse eos qui testimonium perhibent, sed certus*

item

item testium numerus requiritur. Nam sancimus (inquit Imp. Constantinus) ut unius testimonium nemo iudicum in quacunq; causa facile patiatur admitti. Et nunc manifeste sancimus, ut unius omnino testis responsio non audiatur, etiamsi praeclarae curiae honore praefulgeat. [a] *Proinde Imper. Iustinianus solutionem sine scriptis factam, cuius contractui scriptura interuenit, per quinq; testes probandā esse cōstituit*[b]. *Plane ubi numerus testium non adijcitur, etiam duo sufficiēt: pluralis enim locutio, duorum numero contenta est.* [c] *Recte quoq; inquit Arcadius Iuriscons. Quanquā (inquiens) quibusdam legibus amplissimus testium numerus definitus est: tamen ex constitutionibus principum haec licentia ad sufficientem numerum testium coarctatur: ut iudices moderentur, & eum solum testium numerum, quem necessarium esse putauerint, euocari patiantur: ne effrenata potestate ad uexandos homines superflua multitudo testium protrahatur.* [d] *Insuper si testes omnes eiusdem honestatis atq; existimationis sunt, & negocij qualitas & iudicis motus cum his concurrit, sequenda sunt omnino testimonia: si uero quidē ex his aliud dixerint (licet impari numero) credendum quidem est: sed quod naturae negocij conuenit, & quod inimicitiae aut gratiae*

a l. iurisiu. C. de testib. & l. maritus quidam. ff. de quaestionib.

b l. testium facilitatē. C. de test.

c l. ubi numerus. ff. eod.

d l. 1. §. fin. ff. de test.

suspicione caret: confirmabitq; iudex motum animi sui ex argumentis & testimonijs, quæ rei aptiora et uero propiora esse cõpererit. Nõ enim ad multitudinem respici oportet, sed ad sinceram testimoniorum fidem, & testimonia, quibus potius lux ueritatis adsistit. [a] *Videtur tamen huic quodammodo repugnare. §. si qui planè. Nouell. c. de testib. Si qui planè (inquit Imp. Iustinia.) sibijpsis aut inter se pugnantia protulerint, maximè ad eam rem iudices aduortant animum: & si circa potiorem causæ partem testium contrarietates deprehenderint, istiusmodi testimonia reijciant: his solis intenti, quæ à pluribus & maiore fide dignis prolata sunt. Planè iudex magis scire poterit, quanta fides habenda sit testibus: idq; diuus Hadrianus Iunio Vero rescripsit in hunc modum: Tu magis scire potes, quanta fides habenda sit testibus: quin & cuius dignitatis, et cuius existimationis sint: et qui simpliciter uisi sunt dicere, utrũ unũ eundemq; & præmeditatũ sermonem attulerint: an ad ea quæ interrogaueras, ex tempore uerisimilia responderint.* [b] *Multũ autem refert, utrũ ad factũ testificandũ antea adsciti fuerint: an uerò casu interuenerint. Nã si casu interuenerint testes, forte propter aliam aliquam necessitatem, & audierint dictum ab aliquo, accepisse se ab hoc aurũ in so-*

a l. ob carmen. §. si testes. ff. de testibus.

b l. testium fides. §. 1. ff. de testib.

in solutum, uel aliquid aliud factum esse testimonium, nullius momenti est. [a] Adhæc alia *authoritas est testium præsentium, alia testimoniorum quæ recitari solent. Vnde diuus* Hadrianus *rescripsit:* Te*stibus se, non testimonijs creditu-rum.* [b] Sed *tamen testes temerè per longum iter euocandi non sunt: & multo minus milites euocandi sunt à signis uel muneribus, perhibendi testimonij causa.* Proinde *quod ad testes euocandos pertinet, diligentiæ iudicantis est explorare, quæ consuetudo in ea prouincia, in qua iudicet, fuerit.* Nam *si probabitur, sæpe in aliam ciuitatem testimonij gratia plerosq; euocatos: nō est dubitandum quin euocandi sint, quos necessarios in ipsa cognitione deprehēderit qui iudicat.* [c] Te*stes item alio loco quàm quo litigatur constituti, possunt apud eius loci, in quo degūt, magistratum produci, & testari, testificataq; ad iudicem, apud quem litigatur, transmitti.* [d] Q*uod tamen in priuatis tantùm & ciuilibus causis locum habet.* Nam *in criminalibus, ubi de maximis rebus uersatur periculum, omnibus modis necesse est testes in conspectū iudicis prodire.* [e] Q*uandocunq; autem testes aliunde sunt accersendi, sciendum est id debere fieri sumptibus eius per quē producuntur, seu postulantur.* [f] De *eo sanè dubitatum fuit: Si apud cō-*

a nouel.c.de testib.§.& quāuis antea. usque ad §. in eiusmodi. Contraria lex est. ff.de test. l. ad fidem.

b l.testium fides. §.idem diuus.ff.testib.

c l.testium fides. §.fin.ff.de test.

d nouel.c.de testib. §. porro quoniam.

e ibidem.

f l. testium fides. §. camino.ff. de testi. & l.quoniam lib, C.eod.

promissarios iudices testes essent producti, utrum in iudicio iterum essent producendi: an uero sufficiat, depositiones illorum in iudicio exhibere? Et cõstituit Imp. *Iustinianus, ut id seruetur quod in cõpromissis de hac causa statutum est. Sin uerò nihil de eo sit statutum, tunc si quidem testes supersint, & is contra quem producti sunt, depositionibus illorum non adquiescat, ut iterum producantur: sin autem decesserint, ut depositionibus illorum prius factis omnino adquiescatur.*[a] *Insuper testibus productis omnino necessaria est aduersarij, contra quem producuntur, præsentia.* Nam *eo absente testificata, ex una tantùm parte præstita, utilitatem non habent.* Hoc *tamen ita uerum est, si non citatus sit aduersarius. at si citatus testificationi interesse per contumaciam noluerit, exceptio ei quasi absente se testificatũ sit, nihil prodest.*[b] Porrò *ut litigatores, aduocati, necnon & iudex de calumnia iurare coguntur: ita quoq; testes, antequàm testimoniũ perhibent, iurisiurandi religione arctandi sunt.*[c] Tormenta *insuper quandoq; testibus sunt adhibenda uel cõuincendi mẽdacij, uel ueritatis gratia: hoc est, si ignoti sunt, & undiquaq; obscuri, uidenturq; omnino aliquid de ueritate corrũpere uoluisse.*[d] *Inuiti quoq; testes, interdum ad dicendũ testimoniũ sunt cogendi.*[e] Inuitus *tamẽ quis testimoniũ dicere*

a l. cum apud. C. de testibus.

b Nouell. c. de test. §. scimus deniq.

c l. iurisiur. & l. testium facilitat. C. de testibus.

d Nouell. c. de testib. § siue ro ignoti, & § si eiusmodi testes. & l. ob carmen. § si ea rei. ff. de test. & l. unius facinor. § testes. ff. de quæsti.

e nouell. c. de test. § preterea.

cere non cogitur aduersus socerũ, generũ, uitricum, priuignũ, sobrinũ, sobrinã, sobrino'ue natum, eos'ue qui priore gradu sunt: [a] *neq; aduersus sponsum filiæ, sponsæ'ue patrem.* [b] *Parentes quidem & liberi, ne uolentes quidem testimonium aduersus se inuicem, ut suprà dictum est, dicere possunt. Non coguntur item senes, ualetudinarij, milites, & ij qui cum magistratu Reipublicæ causa absunt, uel quibus uenire non licet.* [c] *Publicanus quoq;, & absens, item is qui exercitui quid præbendum conduxit, cogi ad dicendum testimonium non possunt.* [d] *Idem dicendũ est de negocij mediatore, nisi utraq; pars in testimonium eius consentiat.* [e] *Limitatur insuper hoc ius de cogendis testib. l. si quando inuitos. C. de testib. Nemo item aduersus seipsum testes exhibere cogendus est.* [f] *Possunt demum testes secundò etiam, & tertiò uel quartò causa cognita produci: de qua re extat §. quia uerò multum. usq; ad §. porrò quoniam. nouell. c. de testibus. Postremò tam in criminalibus quàm in ciuilibus causis, testes adhiberi possunt.* [g] *Nec tamen causa, quæ alijs legitimis adminiculis caret, solis testibus probari potest.* [h] *confirmabit enim iudex motum animi sui ex argumentis & testimonijs, quæ rei aptiora & uero propiora esse compererit.* [i] *Sed hæc de testimonijs, an & quatenus illis fides habenda sit, iura præcipiũt.*

a l. lege Iulia. ff. de testibus,
b l. in legib. ff. eod.
c l. inuiti. ff. eod.
d l. Inuiti. ff. eod.
e nouell. c. de test. §. præterea quoniã.
f l. nimis graue. C. de testi.
g l. 1. §. 1. ff. de testib.
h l. 1. & l. 3. C. eod.
i l. ob carmen. §. si testes ff. de testibus,

De iureiurando. Cap. XII.

a l.1.ff.de iureiurando.

b l.2.ff.eod.

c l.qui iniuste.§.fin.ff.eo.

d l.iusiurandū etiā.ff.eo.

e l.iusiurādū à debitore.ff.eod.

f l.qui iurasse.§.fin ff.eod. & l.si deferente.ff.quib.modis pignus uel hypothe. soluitur. & l.1.§.1.ff quarū rerum actio non datur.

g l.2.ff.de iureiurando.

h l.3.§.1.ff.eo.

i l.1.&l.tutor pupilli.§.1.ff. de iureiuran. & l.3.C.eod.

MAximum (*inquit* Caius Iuriscons.) *remedium expediendarū litium in usum uenit, iurisiurandi religio: qua uel ex pactione ipsorum litigatorū, uel ex autoritate iudicis deciduntur controuersiæ.* [a] Proinde *iusiurandum aßimilatur nunc transactioni,* [b] *nunc nouationi,* [c] *nunc solutioni,* [d] *nunc acceptilationi,* [e] *nunc rei iudicatæ.* [f] Maiorem (*inquit* Paulus Iuriscons.) *habet autoritatem iusiurandum, quàm res iudicata.* [g] Probationis deniq; *uicem obtinet, ut patet ex l.non erit.§.octo. & l.sed etsi. §. fin. & l.tutor. ff. de iureiurando.* Porrò *non omne iusiurādum est obligatorium. Quid enim si nemine deferente iuratū sit?* Prætor (*inquit* Vlpianus) *id iusiurandum non tuebitur: sibi enim iurauit. alioquin facilimè quisq; ad iusiurandum decurrens, nemine sibi iusiurandum deferente, oneribus actionum se liberabit.* [h] *Itaq; quoties quæritur, an ex iureiurando detur uel actio uel exceptio: uidendum in primis est, an iuranti iusiurandū sit delatum uel ab aduersario uel à iudice. alijs enim probationibus deficientib. solet uel iudex uel actor reo conuento deferre iusiurandum, ad expediendam litem.* [i] *Multum tamē intereſt quis deferat.* Nam *prodigus* (*inquit* Paulus) *si deferat iusiurandum, audiendus*

diendus non est. Idemq; in cæteris similibus ei dicendum est. Nam siue pro pacto conuento, siue pro solutione, siue pro iudicio hoc iusiurandum cedit, non ab alijs delatum probari debet, quàm qui ad hoc habiles sunt.[a] Proinde pupillus quoquè non nisi tutore autore, iusiurandum potest deferre.[b] Minor quoq; uigintiquinq; annis si se in deferendo captum esse ostendat, aduersus exceptionem iurisiurandi replicatione tutus est.[c] Iusiurandum quoq; ab alio in alterius causa citra domini uoluntatē delatum, nullius momenti est.[d] Proinde nec filius in causa matris iusiurandum sine illius uoluntate potest deferre.[e] A` filiofamiliàs autem iusiurandū in causa peculiari delatum, parit actionem de peculio aduersus patrem.[f] Tutor sanè & curator iusiurandū deferentes, audiendi sunt.[g] Procurator quoq; quod detulit, ratum habendū est, scilicet si aut uniuersorum bonorum administrationē sustineat, aut si id ipsum ei nominatim est mandatum, aut si in rem suam procurator est: aliàs autē procurator deferens, audiendus non est.[h] Defensor itē cuiusuis corporis iusiurandū deferre potest, si super hoc mandatum habeat.[i] In duobus quoq; reis stipulandi ab altero delatum iusiurandum, alteri quoq; nocebit.[k] Planè si in fraudem creditorum debitori suo quis detulerit iusiurandum, replica-

a l. tutor pupilli. ff. eod.

b l. iusiurandū. ff. eo. & l. si ad excludēdam. C. eod. & l. 1. §. si pupillus. ff. quarum rerum actio nō datur.

c l. nam postea. §. si minor. ff. de iureiu.

d l. nec filius. C. eod.

e ibidem.

f l. quidā putāt. ff. de iureiurando.

g l. iusiurandū. §. si tutor. & l. tutor. §. 1. ff. eod.

h l. iusiurandum. §. fin. cū duab. legibus sequent. ff. de iureiuran.

i l. iusiurādū. §. defensor. ff. eod.

k l. in duob. §. 1. ff. eod.

replicatio fraudis creditorib. dari debet. [a] *Praeterea potest quis delatum iusiurandum ante litis terminum reuocare, aliasq; praestare probationes.* [b] *Si ergo reuocato iureiurando nihilominus iurauerit aduersarius, quasi non delato iureiurando, nihil ualet quod iuratum est.* Porrò *non sufficit delatum esse iusiurandum, sed aliarum circumstantiarum ratio quoq; est habenda. Sanè nihil refert, cuius sexus aetatis ue sit is qui iurasse dicitur: omnimodo enim custodiri debet iusiurandum aduersus eum, qui contentus eo, dum deferret, fuit: quamuis pupillus non uideatur peierare, quia sciens fallere non uidetur.* [c] Proinde *iusiurandum defensoris uel procuratoris ei ab aduersario delatum prodesse, exceptionemq; domino părere* Iulianus *scribit.* [d] Ex *duobus quoq; reis promittendi eiusdem pecuniae, si alter iurauit, alteri quoq; prodesse debebit.* [e] Iu*siurandum quoq; filij, quo iurat patrem nihil debere, patri prodest.* [f] Et *contrà, patris iusiurandum prodest filio.* [g] Item *si petitor fundi iusiurandum aduersario detulerit: si auctor eius iurasset se suum fundũ tradidisse, ab ea controuersia se discessurũ, exceptio possessori fundi dabitur.* [h] Praeterea *quacunq; actione quis conueniatur, iusiurandum locum habet.* [i] Pro*inde & de pecunia, & de operis, & de omnibus*

rebus

a l. nam postea §. sed etsi quis. ff. eod.

b l. si quis iusiurandum. C. eod.

c l. qui iurasse. §. 1. ff. de iureiur.

d l. nam postea. §. iusiurã. & l. fin. §. fin. ff. eod.

e l. in duobus. §. ex duobus. ff. eod.

f l. multo magis. ff. eod. & l. si filio famil. §. 1. ff. quarum rerum actio non datur.

g l. qui iurasse §. si pater. ff. de iureiuran.

h l. 1. §. si petitor. ff. quarum rerum actio non datur.

i l. 3. §. quacunq; ff. de iureiuran.

rebus iurari potest. [a] Nihil item interest siue de tota re, siue de parte sit iuratum. [b] Quid tamen si iurauero rem aliquam, quæ in rerum natura non est, mihi dari oportere? Certè nec æstimatio eius (authore Paulo) mihi est præstanda, nisi ex causa furtiua, uel propter moram. tunc enim etiam post mortem serui, æstimatio præstatur. [c] Sed si quis rerum, in quibus usufructus propter abusum constitui non potest, iurauerit usumfructum se habere, uel sibi deberi: effectum iurisiurandi sequendum, Vlpianus respondet: ideoq; tunc quoq; uideri rectè iurasse, & ex eo iureiurando posse petere usumfructum cautione oblata. [d] Adhæc, si quis cum debitore suo pepigerit, ne ab eo pecunia peteretur, si iurasset se Capitolium non ascendisse, uel aliud quodlibet fecisse, uel non fecisse, isq; iurauerit: & exceptio iurisiurandi dari debebit, & solutum repeti poterit. est enim iusta conuentio, si quælibet causa in conditione iurisiurandi deducta fuerit. [e] Cæterùm iurari oportet (inquit Vlpianus) ut delatum est iusiurandum. Nam si ego detuli, ut per Deum iurares, tu per caput tuum iurasti, uel filiorum tuorum: non erit ratum habendum iusiurãdum. Quòd si exegi, ut per salutem tuam iurares, & iurasti: stabitur. Omne enim omnino licitum iusiurandum, per quod uoluit quis sibi iurari,

a l. iusiurandum & ad. §. 1. ff. de iureiurar.

b l. ait prætor. ff. eod.

c l. eum qui iurauit. §. si iurauero. ff. eod.

d l. sed etsi, §. sed etsi rerũ. ff. de iureiurã.

e l. si quis cũ. ff. eod.

a l. ait prætor. §. 8. cum l. seque. & l. qui per salutē. ff. de iureiu.

b l. aduersus. ff. de excep.

c l. 1. C. de reb. cred.

d l. quod si deferen. ff. de do. ma. & l. 1. C. de re. cred. & l. admonendi. ff. de iure iur. contraria l. fi. C. de reb. cred. & l. si ex falsis. C. de trāsactionib.

e l. 2. ff. de iureiurando.

f l. in summa. §. 1. ff. de cō. ind. & l. nec inten. C. de transa.

g l. admonēd. ff. de iureiu.

h l. in duob. §. fi. ff. eod.

iurari, idoneum est, eiq; quod propria superstitione iuratum est, standum est. Sed si quis illicitum iusiurandum detulerit, scilicet improbatæ publicæ religionis: pro eo habendum est, atq; si iuratum non esset. [a] Porrò replicatio doli mali *aduersus exceptionem iurisiurandi, non debet dari: cùm prætor id agere debeat, ne de iureiurando cuiusquam queratur* [b]. *Proinde nec periurij prætextu, causa iureiurando decisa retractari potest, nisi specialiter hoc lege excipiatur.* [c] *Etsi ergo postea periurium fuerit approbatum, & rem aliter se habere manifestè compareat: iureiurãdo tamen standũ esse iura uolunt, quod eo transactum uideatur.* [d] *Iusiurandum enim uim transactionis continet.* [e] *Transactioni autem, licet res de qua transactum est, nulla fuerit, standum est: nam si lis fuerit, hoc ipsum quod à lite disceditur, causa uidetur esse.* [f] *Sed si non transactum, sed iudicatum ex iureiurãdo sit, & secundum eum qui iurauit, iudicatum, postea autem noua instrumenta inueniantur, ex integro causa est agenda.* [g] *Quid tamen, si extra iudicium ex delatione fit iuratum, & postea in iudicio relato iureiurando iuretur diuersum?* Posteriori iureiurando standũ esse, Paulus respondet. [h] *Iusiurandum insuper primò recusatum, postea uerò præstitum, nullius est momenti.*

Proinde

[a] Proinde si post dictam sententiam, uel prouocatione interposita iuratum sit: nihil ualet iusiurandum.[b] Nihil autem interest, siue præsens siue absens iurauerit quis.[c] Nam ad personas egregias (inquit Paulus) eosq; qui ualetudine impediuntur, domum mitti oportet ad iusiurandum.[d] Porrò si iuratum negetur, exceptio danda est.[e] idq; eo magis, si postea delato iureiurando iuratum sit, iuratum non esse.[f] Postremò causa iureiurando decisa, ius prouocandi ei qui iusiurandum detulit, non datur. Nimis enim crudele est (inquit Imp. Iustinianus) parti quæ hoc detulit, propter hoc ipsum, quod iudex eius petitionem secutus est, superesse prouocationem.[g] Hactenus ergo, an & quatenus ex iureiurando uel actio uel exceptio detur, satis est explicatũ. Euenit autem interdum, ut nullo etiam iureiurando præstito, nihilominus quasi iuratum sit, actio uel exceptio detur: utputa, si cum delato iureiurando aduersarius iurare paratus esset, is qui detulit, contentus uoluntate suscepti iurisiurandi, iusiurandum remittit.[h] Nam iureiurando dato uel remisso (inquit Vlpianus) reus quidem acquirit exceptionem sibi, alijsq;: actor uerò actionem, in qua hoc solùm quæritur an iuratum sit: uel cùm iurare paratus esset, iusiurandum ei sit remissum.[i] Absenti autem, & igno-

a l. non erit, §. fi. & l. remittit. §. fi. ff. eo.

b l. generaliter. §. omne igitur. C. eod.

c l. generaliter. §. his de præsen. C. eo.

d l. ad personas. ff. eod.

e l. nam postea quam. §. 1. ff. eod.

f l. quod si iuraui. ff. eod.

g l. generaliter. §. siue autẽ. C. eod.

h l. remittit. & l. nam postea quam. §. 1. ff. de iureiur.

i l. nam postea quam. §. 1. ff. eod.

& ignoranti quoq; iusiurãdum remitti potest: sed & per epistolam iurisiurandi gratia fieri potest.[a] Pupillus tamen *iurisiurandi gratiam facere non potest.*[b] Porrò *iureiurando delato, nec remisso, omnino is cui delatum est, aut iurare cogendus est, aut soluere. alterum itaq; eliget reus, aut soluet, aut iurabit. Si non iurauerit, soluere cogendus erit à prætore.*[c] Planè *datur & alia facultas reo, ut si malit, referat iusiurandum: & si is qui petit conditione iurisiurandi non utetur, iudicium ei prætor non dabit. æquißimè enim hoc facit: cùm non debeat displicere cõditio iurisiurandi, ei qui detulit.*[d] Non tamen *semper consonans est per omnia, referri iusiurandum quale defertur, forsitan ex diuersitate rerum uel personarum quibusdam emergentibus*, quæ *uarietatem inducunt: ideoq; si quid tale inciderit, officio iudicis conceptio huius iurisiurandi terminatur.*[e] Iusiurandum (inquit Paulus) *quod ex conuentione extra iudicium deferri non potest.*[f] Si *ergo iure potest, referat iusiurandum deferenti. quòd si neq; referat, neque ipse iuret, soluere cogendus est. nam manifestæ turpitudinis est, & confeßionis, nolle nec iurare, nec iusiurandum referre.*[g] Planè *is qui iusiurandum defert, debet prior iurare de calumnia, si hoc exigatur: & tunc demum aduersarius*

iurare

a l. labeo etiam. ff. eod.

b l. iurisiur. ff. eod.

c l. iusiurandũ. §. ait prætor. ff. de iureiurando. & l. delata. C. eod.

d l. iusiurandum. §. datur autem. ff. eod. & l. generaliter. §. omne igitur. C. eod.

e d. l. iusiurandum. §. datur. ff. eod.

f l. iusiurandum quod. §. 1. ff. eod.

g l. manifestæ. ff. eod.

iurare cogetur.[a] *Quòd si deferens iurare noluerit, erit remittēti similis, denegabiturq́; ei actio.*[b] *Sed hoc de calumnia iusiurandum remittitur parentibus.*[c] *remittitur referenti quoque: nam nec is de calumnia iurare cogetur.*[d] *Sunt tamen quædam personæ, quæ delatum iusiurandum, etiamsi relatum non sit, præstare non coguntur: utputa est pupillus, procurator, defensor.*[e] *item is qui peregrinans iudicium suscipere non cogitur, utputa sunt legati.*[f] *Parentibus sanè iusiurandum non remittitur,*[g] *nisi id quòd de calumnia datur: de quo paulò antè dictum est. Potest insuper recusari iusiurandum, si aduersarius semel delatum iusiurandum reuocauerit, & postea iterum deferat.*[h] *Quòd si nullam iustam iusiurandum recusandi causam habuerit, ad soluendum condemnādus erit, nihilq́; refert si post recusatum iusiurandum iurare paratus sit.*[i] *Planè superest ei qui recusauit, prouocandi auxilium ad allegandam causam, propter quam iurare noluerit.*[k] *is tamen cui iusiurandum est relatum, si recusauerit, prouocare non potest.*[l] *Porrò iureiurando delato uel relato, si quidem iuratum sit uel remissum, datur reo quidem iurisiurandi exceptio, actori uerò actio.*[m] *Ea autem siue actio, siue exceptio, non paßim cuiq́;, neq́; aduersus quemuis tribuitur. Nam actio ex*

a l. iusiurādū & ad §. qui iurand. ff. eo. & l. delata. C. eo.
b l. si non fuerit. ff. eod.
c l. iusiurādū & ad §. qui iusiurandū. ff. eo.
d d. l. iusiurā. §. debet autē. ff. eod.
e l. iusiurandum. §. pupillo. ff. eod.
f l. tutor pupilli. §. fin. ff. eod.
g l. quoties propter. ff. eo.
h l. si quis iusiurādū. §. 1. C. eod.
i l. non erit. §. fin. & l. remittit. §. fin. ff. eod.
k l. general. §. ipso autē qui. C. eod.
l d. l. generaliter. §. sed iuramento illato. C. eod.
m l. nam posteaquā. §. 1. ff. de iureiur. & l. actori. C. eo.

iureiurãdo aduersus eum tantum datur qui iusiurandum detulit, & aduersus successores eius. [a] Proinde si à te hæreditatem petijssem, & iurassem eam meam esse: nihilominus ab altero petendo idipsum aut iurare aut probare necesse habeo: nec prodest mihi iusiurandum, alio deferente præstitum. [b] Idem dicendum quoq; est de exceptione. [c] Sanè in duobus reis stipulandi ab altero delatum iusiurandum, etiam alteri nocebit. [d] In popularibus quoq; actionibus iusiurandum exactum, etiam aduersus alios proderit, si modò bona fide exactum fuerit. [e] Veniunt autem in hanc actionẽ, quæ ex iureiurando competit, omnia ea quæ uenire solent in actionẽ in qua est iuratum. [f] Proinde si iurauero (inquit Paulus) Stichum dari mihi oportere, qui non sit in rerum natura: nec æstimationem mihi reus præstare debet, nisi ex causa furtiua, uel propter moram: tunc enim etiam post mortẽ serui æstimatio præstatur. [g] Planè qui iurauit ex ea actione quæ infitiando crescit, aliquid sibi deberi: simpli, non dupli persecutionẽ sibi acquirit. abundè enim sufficit exonerare petitorem probandi necessitate: cum omissa hac parte, dupli actio integra maneat. & potest dici, hoc iudicio non principalẽ causam exerceri, sed iusiurandum actoris conseruari. [h] Idcirco Pomponius ait,

a d.l. nam posteaquã. §. fin. ff. eod.

b l. idem est etsi. ff. eo. & l. sed etsi res. §. si petenti. ff. de public. in rem actione.

c d.l. sed etsi res. §. si petenti. ff. de publi. in rem actione. & l. sed etsi. §. 1. & §. fi. ff. de iureiuran.

d l. in duob. §. 1. ff. de iureiu.

e l. eũ qui iurauit. §. in popularib. ff. eo.

f l. sed etsi possessori. §. fi. & l. si duo patroni. §. si quis iurauer. ff. eo.

g l. eum qui iurauit. §. si iurauero. ff. eod.

h l. eũ qui iurauit. §. [illegible] ff. eo.

nius ait, eum qui furtũ sibi alicuius rei factum iurauerit, non statim etiã cõdictionis causam nancisci.[a] Est insuper & hic iurisiurandi effectus, ut actionẽ perpetuet. Si is qui temporaria actione (inquit Vlpianus) mihi obligatus erat, detulerit iusiurandum, ut iurem eum dare oportere, egoq; iurauero, tẽpore non liberatur.[b] Is quoq; qui iurauit fundũ suum esse, post longi temporis præscriptionem etiam utilem actionem habet.[c] Cæterùm exceptio iurisiurandi non tantùm ei datur qui iurauit, sed etiam successoribus eius, etiam si in rem successerint.[d] Ex duobus quoq; reis promittendi eiusdem pecuniæ, si alter iurauit, alteri quoq; prodesse debebit.[e] Fideiussori quoq; proficit iusiurandum rei,[f] & à fideiussore exactum iusiurandum, prodest etiam reo.[g] Si tamen, quasi omnino non fideiußisset, iurauerit: non debet hoc iusiurandum reo promittendi prodesse.[h] Deniq; si is qui reum se exhibiturum promisit, si delato iureiurando, iurauerit se exhibitionẽ non promisisse: hoc iusiurandum principali reo non proderit. sin autem iurauerit se nihil præstare debere, tunc siquidẽ propterea iurauit, quòd exhibuerit, idem dicendum est: sin autem quòd soluerit ita iurauit, reo principali cõpetet exceptio.[i] Pupilli quoq; iusiurãdũ, quo à creditore cõuentus iurauit sibi mutuã pecuniã

a l. in duob. §. ită Pomponius. ff. eod.

b l. nam postea quã §. si is qui rem. ff. eo.

c l. si duo patroni. §. idẽ ait eum. ff. eod.

d l. ait prætor. cum l. sequent. ff. eod.

e l. in duob. §. ex duobus. ff. eod.

f d. l. in duobus §. 1. & l. si. ff. eod.

g ibidem.

h l. fin. §. si fideiussor. ff. eod. & l. 1. §. sed fideiussor. ff. quarum rerum actio.

i l. in duob. §. si ei qui. ff. de iureiurando.

non interueniente tutore datam esse, fideiussori non proficit.[a] *Defensore demum iurante exceptio datur domino, seu ei cuius nomine est iuratum: quin etiamsi defensor fideiussoris iurauit, exceptio quoq; reo datur.*[b] *Porrò exceptio iurisiurandi (ut inquit* Paulus*) non tantùm si ea actione quis utatur, cuius nomine exegit iusiurandum, opponi debet: sed etiam si alia, si modò eadem quæstio in iudicium deducatur: fortè si ob actionem mandati, negociorum gestorum, societatis, cæterasq; similes, iusiurandū est exactum, deinde ex ijsdem causis certum condicatur: quia per alteram actionem, altera quoque consumitur.*[c] Vnde *qui iurauit se furtum non fecisse, uidetur de toto iurasse: atq; ideo neque furti, neq; condictione tenetur: quia condictitia solus fur tenetur.* Quid *tamen, si cōtendat actor non quasi furi, sed quasi furis hæredi se ei condicere? exceptio iurisiurandi non obstabit:*[d] *Si quis iurauerit se non rapuisse, non debet adiuuari hoc iureiurādo, & in actione furti, & condictione: quia aliud est furtum fecisse, quod uel clàm fieri potuit.* Ea *quoq; quæ iurauit diuortij causa se non amouisse, nō debet defendi per exceptionem, si cum ea in rem agatur. si autem iurauerit rem suam esse, debet in actione rerum amotarū defendi: nam licet per aliam actionem*

a l. fin. §. 1. ff. de iureiuran.

b l. fin. §. fin. ff. eod.

c l. in duobus. §. exceptio. ff. eod.

d l. si duo patroni. §. item Iulianus. ff. eod.

eadem quæstio moueatur, tamen exceptio iurisiurandi locum habebit. [a] *Igitur si quis iurauit se non esse condemnatum, etiamsi ex stipulatu iudicatum solui ob rem iudicatam conueniatur; defendetur per exceptionem: contrà, si cùm ex stipulatu iudicatum solui conueniretur, iurauit se dare non oportere, agenti iudicati non utiq; obstabit exceptio. potest enim fieri, ut non sit commissa stipulatio, licet res iudicata sit: nisi ideo iurauit, quòd nec damnatũ se esse diceret.* [b] *Si insuper actor deferat iusiurandum de sola constituta pecunia, & reus iurauerit, exceptione utetur, si de constituta conueniatur. sed si de sorte, hoc est, de priore obligatione conueniatur: exceptio cessabit, nisi de hac quoq; iurauit aduersario deferente.* [c] *Cùm autem superius dictum sit, iureiurãdo præstito uel remisso, actori quidem actionem, reo uerò exceptionẽ acquiri: sciendum est, quandoq; actori quidem exceptionem quoq;, reo autem actionem dari: utputa si actor iurauit rem suam esse, remq; postea possidere cœpit: uel si reus iurauit rem suam esse, eamq; postea amisit, eiusq; possessionem actor nactus est. Sanè si ab actore, qui possessionem rei nactus est, alius quàm reus, aduersus quem iurauit, rem petat, exceptio actori non datur: similiter neque reo conuento datur actio si ab alio*

a l. in duobus. §. si quis iurauerit. ff. eod.

b d. l. in duobus. §. igitur si quis. ff. eod.

c l. si actor deferat. ff. de iureiurando.

quàm ab actore, aduersus quem iurauit, rem petat.[a] Reus quoq; qui iurauit se dare non oportere, actionem pignoraticiam habet ad repetendum pignus: item condictionem indebiti, ad solutum repetendum.[b] Vt demum actori ex suo iureiurando acquiritur aduersus reum actio, ita quoq; reo interdum ex eodem actoris iureiurando aduersus actorem actio datur: utputa si actor iurauerit reum sibi uendidisse centum, uel se ob decem fundum pignori dedisse, uel rem sibi in dotem datam esse. Nam ex priore iureiurando, reus habet actionē ex uendito aduersus actorem ad soluendū precium: ex altero, habet condictionem ad soluenda decem: ex postremo, uxor habet actionem de dote utilem.[c] Postremò in actionibus & exceptionibus iurisiurandi hoc tantùm quæritur, an iuratū sit: remissa quæstione, an debeatur, & an uerum sit id quod iuratum esse dicitur.[d] Proinde iurisiurandi actio & exceptio ex periurio quoq; datur, quod tamen aliquo modo mutatum est quibusdam legibus, quas suprà ad marginem annotaui. Is tamen quem peierasse constabit, non effugiet pœnam periurij à legibus determinatā.[e] Est autem pœna periurij, ut fustibus castigetur, & ei superindicetur προπετῶς μὴ ὄμνυε, idest, petulanter ne iurato.[f] Remittitur tamen periurij pœna pupillo,

a l. sed etsi possessori. §. 1. &. §. fi. ff. de iureiur. l. sed etsi res. §. si petenti. ff. de publ. in rem actio.

b l. iusiurandum à debit. ff. de iureiu.

c l. si duo patroni. §. si quis iurauerit. ff. eod.

d l. non erit. §. dato iureiu. & l. nam postea. §. 1. & l. in duob. §. fin. ff. eod.

e l. quod si deferente. cū l. seq. ff. de dolo ma. mutatur hoc ius quodammodo. l. 2. C. de rebus cred.

f l. si duo patroni §. fi. ff. de iureiur. uide mutationē iuris nouell. c. 77.

pillo, quia is peierare non uidetur.[a] *Sanè si duo iurauerint diuersa, alterius periurio per alterius iusiurandum praeiudicium non fit.*[b] *Hactenus de iureiurando.*

a l. qui iuraſſe. §. 1. ff. de iureiur.

b l. in duob. § fi. ff. eod.

De confessis & interrogationibus in iure faciendis. Cap. XIII.

Aduersarij quoq; confeßio, actorē probandi neceßitate exonerat. Confeſſus enim pro iudicato eſt: quia quodammodo ſua ſententia damnatur.[c] *Proinde reus conuentus, interrogatus ſi confeſſus fuerit, tenetur ex ſua cōfeßione ſeu reſponſione, nec ulla probatione ulterius eſt opus. Sic autē tenetur, quaſi ex cōtractu, pro quo pulſabatur.*[d] *Quinetiam ſi ſine interrogatione fuerit confeſſus, tenetur.*[e] *Refert autem, quis, qualis' ue ſit is qui confeſſus eſt. nam procuratores, tutores, curatores fateri non ſufficit.*[f] *Defenſoris itaq; confeßio & reſponſio non praeiudicat litis domino.*[g] *Sanè in ipſos confitentes datur actio utilis confeſſoria.*[h] *In pupillo quoq; tutoris autoritas exigitur.*[i] *Minor etiam uiginti quinq; annis à ſua confeßione reſtituendus eſt.*[k] *Quid tamen, ſi falſum quis cōfeſſus ſit: utputa ſi hominem quis ſe occidiſſe dicat, uel uulneraſſe, cùm tamen non occiderit, neque uulnerauerit? In hoc caſu intereſt, utrum occiſus uel uulneratus ſit homo,*

c l. 1. ff. de cō feſſ. l. 1. C. eo.

d l. de aetate. § qui interrogatus. ff. de interr. in iu. fa.

e l. ſi ſine. § 1. ff. eod.

f l. certum. § confeſſus ſed an & ipſos. ff. de confeſſ.

g l. ſi ſine. § Celſ. ff. de interrog.

h d. l. ſi ſcit. § Celſus. ff. eo. & l. proinde ſi occiſus. § ſi procurator. ff. ad l. Aqu.

i l. certū confeſſus. § in pupillo. ff. de cōfeſsis.

k l. certum § minorē. ff. eo.

a l. si is cum quo. ff. de confessis. & l. unde Neratius. §. fin. cũ l. sequ. ff. ad legem Aquiliam.

b l. proinde si occisus. ff. ad l. Aquiliã.

c l. confessionib. §. 1. ff. de interrogatio.

d l. si is cuius. §. fin. ff. eod.

e l. confessionib. §. etsi cũ. ff. eod.

f d. l. confessionib. §. etsi eum. ff. eod.

g l. si seruus ab hostibus. §. fin. ff. de interrog.

h l. de ætate. §. qui iusto. ff. eod.

i l. 2. ff. de confessis.

k l. de ætate. §. qui iusto. ff. eod.

nec ne. Nam si occisus uel uulneratus sit à quoquam alio, utiq; confessus tenetur. Sin autem homo adhuc uiuat, uel uulneratus non sit, non tenetur. [a] *Sed etsi mortuus sit, occisus tamen non sit, similiter non tenetur confessus.* [b] *Vnde confessionibus falsis (inquit Paulus) respondentes ita obligatur, si eius nomine, de quo quis interrogatus est, cum aliquo sit actio: quia quæ cum alio actio esset, si dominus esset, in nosmetipsos confessione nostra conferemus.* [c] *Proinde si id quod cõfessus quis est, neq; iure, neq; natura recipiatur, confessio non obligat:* [d] *Falsæ enim cõfessiones naturalibus conuenire debent.* [e] *Vnde si minor natu maiorem filium suum esse dixerit, ex cõfesso non tenetur.* [f] *Item, quanquam autem placet (inquit Vlpianus) etiam eum teneri qui alienum seruum suum esse confessus esset: tamẽ rectißimè placuit, eum demum teneri, qui eum seruũ potuit habere. Cæterùm si dominum quærere non potuit, non teneri.* [g] *Plurimum quoq; interest, ex qua causa fassus quis sit: qui enim iusto errore ductus negauerit se hæredem, uenia dignus est.* [h] *Non enim fatetur (inquit Vlpianus) qui errat, nisi ius ignorauit.* [i] *Sed etsi quis sine dolo malo, culpa tamen respondit: dicendum erit, absolui eum debere, nisi culpa dolo proxima sit.* [k] *Ex causa (inquit Vlpianus)*

succurri

succurri ei, qui interrogatus respondit, non dubitamus. nam etsi quis interrogatus, an patri hæres esset, responderit: mox prolato testamento inuentus sit exhæredatus: æquissimum est ei succurri. & ita Celsus scribit. hic quidem & alia ratione: quòd ea quæ postea emergunt, auxilio indigent. quid enim si occultæ tabulæ & remotæ, postea prolatæ fuerint? cur noceat ei qui respondit, quod in præsentiarũ uidebatur? Idem dico, etsi quis hæredem se esse respõderit, & mox falsum uel inofficiosum, uel irritum testamentum fuerit pronunciatum. non enim improbè respondit, sed scriptura ductus.[a] *Idem quoq; Vlpianus ait, si quis ultro de maleficio fateatur, non semper ei fides habenda est: nonnunquam enim metu, aut qua alia de causa, in se cõfitentur.*[b] *Quacunq; autem actione ciuili uel honoraria, uel interdicto quis cõuentus, quodcunq; confessus fuerit, regulariter pro iudicato habetur.*[c] *Nihil quoq; refert, siue res quam quis se debere cõfessus est, in rerũnatura sit, necné.*[d] *Cõfeßio tamen absente aduersario facta, nõ obligat. Planè si procurator, tutor uel curator eius præsens fuerit, cõfeßio rata est habenda.*[e] *Adhæc, licet respõdenti pœnitere, si nulla captio ex eius pœnitentia actori sit.*[f] *Sanè is qui ex sua responsione cõuenitur, exceptionibus quæ institu*

a l. de ætate. §. ex causa. ff. eod.

b l. 1. §. si quis ultro. ff. de quæstionibus.

c l. certum. §. si alia. ff de confessis.

d l. Iulian. ait. & l. qui Stichum. ff. de cõfessis. contraria est l. fin. ff. eod.

e l. certum. §. si quis absente. ff. de cõfess.

f l. de ætate. §. fin. ff. de interrogation.

tis in iudicio contra reos actionibus opponuntur, uti nō prohibetur: ueluti pacti cōuenti, rei iudicatæ, et cæteris.[a] Porrò *ab alio, quàm ab eo qui in iure interrogauit, respondens ex sua responsione conueniri non potest. unde si actore interrogante an hæres sit, reus responderit: cæteris creditoribus hæreditarijs non tenetur ex hoc responso.*[b] *Cùm autem dictum sit suprà, eum etiam qui falsum confessus est, teneri: utputa cùm quis se id quod alius fecerit, fecisse dixerit, uel se id debere quod alius debet: quæri potest, utrum ex hac confeßione uerus debitor liberetur? & respondet* Paulus: *Qui confessus est se occidisse seruū, quem alius occidit: uel si quis respōderit se hæredem, cùm sit alius hæres: non liberat eum qui fecit, uel qui hæres reuera est: nec debet impunitum esse delictum eius, qui fecit propter eum qui respōdit.* Diuersum *tamen respondetur, si quasi defensor eius qui admisit, uel hæredis litem subijt hoc genere. tunc enim in factum exceptione danda, submouendus est actor: quia ille negociorum gestorum, uel mandati actione recepturus est quod præstitit.* Idē *est in eo qui mandato hæredis hæredem se esse respondit, uel cùm eum aliàs defendere uellet.*[c] Planè *si is qui ex parte dimidia hæres erat, cùm absentem cohæredem suum defendere uellet, ut*

a l. si filius. §. fin. ff. eod.

b l. fin. ff. eo.

c l. qui seruū alienum 6. 1. ff. de interrogationibus.

let, ut satisdationis onus euitare posset, respondit se solùm hæredem esse, & condemnatus est: si is soluendo non sit, potest actor rescisso superiore iudicio, eum qui reuera hæres est, conuenire.[a] Is quoq; qui seruum alienum noxali iudicio conuentus, suum esse respondit, dominum liberat.[b] quod respondendum quoq; est, si quis actione, si quadrupes pauperiē fecisse dicatur, conuentus, responderit quadrupedem suum esse, cùm sit alterius: æquiparantur enim serui Romani & quadrupedes. Sed quatenus quis ex confeßione teneatur, hactenus est explicatum. Introduxit autem prætor Romanus ob probationis difficultatem, ius interrogandi reum. Edictum de interrogationibus (inquit Vlpianus) ideo prætor proposuit, quia sciebat difficile esse eis qui hæredem, bonorúm ue possessorem conuenirent, probare aliquem esse hæredem, bonorúm ue possessorem: quia plerunq; difficilis probatio hæreditatis est. Proinde uoluit prætor adstringere eum qui cōuenitur ex sua in iudicio responsione, ut uel cōfitendo, uel mentiendo se oneret.[c] Proinde interrogatus si quidem responderit, ex cōfesso tenetur, siue uerum sit siue falsum quod respondit, ut superius dictū est. Quid tamen si interrogatus non responderit? tunc in solidum tenetur, & pro confesso habetur:

a l. qui ex parte. ff. eod.

b l. qui seruum alienum. §. 1. & l. si quis interro. ff. de interrogationibus.

De interrogationibus in iure faciendis.

c l. 2. cum l. sequent. ff. de interrogationibus.

betur: quia contumax est. contumaciæ autem hanc pœnam ferre debet, ut in solidum cõueniatur, quia iudicem contemnere uidetur. [a] Huic *similis est is qui delatum iusiurandum neq; præstat, neq; refert: de quo dictũ est suprà.* De quacunq; *ergo re interrogatus fuerit reus, respondere debet: ubicunq; (inquit* Vlpianus*) iudicem æquitas mouerit, oportet fieri interrogationẽ.* [b] De *ætate quoq; interrogatus, respondere debebit.* [c] Ita *autem hæc uera sunt, si in iure interrogatus fuerit, hoc est, apud iudicem.* Proinde *siue domi siue in itinere iudex iuris dicendi uel iudicandi gratia cõsistat, respondere debet.* [d] Quid *ergo, si extra uel ante iudiciũ interrogetur?* Re*spondere non cogetur, quia nemo cogitur ante iudicium de iure suo aliquid respondere.* [e] Siue *autem iudex interroget, siue alius, nihil interest.* [f] Planè *non parum interest quis sit interrogatus, & quis sit is qui tacet.* Nam *alius pro alio non cogitur respondere: de se enim quis debet in iudicio interrogari, hoc est, cùm ipse cõueniatur.* [g] Proinde *inquit* Papinianus, *si filius, cùm pro patre suo ageret, tacuit interrogatus, omnia perinde obseruanda erunt, ac si interrogatus non esset,* [h] Adhæc *interdum interrogatus quis, an hæres sit, non cogitur respondere, ueluti si controuersiam hæreditatis ab alio patiatur.*

a l. de ætate. §. qui tacuit. ff. eod.

b l. ubicunque. ff. eod.

c l. de ætate. §. 1. ff. eod.

d l. noluit. §. fin. ff. eod.

e l. 1. §. interrogationib. ff. eod.

f l. si sine. §. interrogatũ. ff. de interrogationibus in iure fa.

g l. si sine. §. ff. alius. eod.

h l. si filius. ff. eod.

patiatur. nam tunc respondere cogendus nō est, ne aut negando hæredem se sibi præiudicet: aut dicendo se hæredem, illigetur etiam ablata sibi hæreditate.[a] *Filio quoq; qui se abstinuit paterna hæreditate, si interrogatus an hæres sit, tacuerit, succurrendum est.*[b] *Postremò interrogatus, tempus ad deliberandum impetrare debet, ne si perperàm confessus fuerit, incommodò afficiatur.*[c] *Perinde autem ut tacens ob contumaciam suam: ita quoq; is qui interrogatus perperàm negat, uel mentitur, in solidum cōuenien dus est. quod de eo quoq; respondetur, qui obscurè, & non ad interrogatum respondet. Nibil enim interest (inquit Vlpianus) neget quis, an taceat, interrogatus: an obscurè respōdeat, ut incertum dimittat interrogatorem.*[d] *Is tamē qui iusto errore ductus negarit, uenia dignus est.*[e] *Ergo si cùm res, cuius nomine actio intenditur, plurium esset, omnes sint mentiti, uel quidam ex his, unusquisq; eorum in solidum tenetur: is tamen qui non negauit, nōn tenebitur.*[f] *Si quis cùm ex quadrante hæres esset, responderit se ex asse hæredem, in assem instituta actione conuenietur: sin uerò, cùm ex semisse hæres esset, responderit se ex quadrante: mendacij hanc pœnam feret, quod in solidum conuenietur. non enim debuit mentiri, dum se minoris portionis hæredem*

a l. & quia hoc. §. fin. ff. eod.

b l. si filius, §. 1. ff. eod.

c l. qui interrogatur. ff. eo.

d l. de ætate. §. nihil interest. ff. eod.

e d. l. de ætate. §. interdū. & §. qui iusto. ff. eod.

f l. si seruus. ff. eod.

hæredem adseuerabat. Interdum tamen iusta ratione potest quis opinari, se hæredē ex minore parte. quid enim, si nescit partē sibi adcreuisse, uel si ex incerta parte fuit institutus? cur ei responsum noceat?[a] Is autem qui incertū confessus est, tacenti aßimilatur, et cogendus est ut certum respondeat: ueluti si corpus confessus, si Stichum uel fundum dare se oportere: urgeri debet, ut certum confiteatur. item is qui rem confessus est, ut certam quantitatem confiteatur.[b] Item in iure interrogatus (inquit Paulus) an fundum poßideat, respondere cogendus est, quota ex parte fundū poßideat: ut si minore ex parte poßidere se dicat, in aliam partem, quæ non defenderetur, actor in poßeßionem mittatur.[c] Ei tamen qui cùm ex dimidia parte hæres esset, interrogatus an ex asse hæres sit, responderit se ex parte hæredem esse, nihil responsum nocet.[d] Is autem qui interrogatus hæredē se responderit, nec adiecerit ex qua parte, in solidum tenetur: qui uerò interrogatus an ex dimidia parte hæres sit, responderit, hæres sum, ad interrogatum respondisse uidetur, & propterea responsum ei nihil nocet.[e] Ex his patet, an & quatenus quis ex sua responsione & mendacio, nec non ex sua taciturnitate & obscuro responso teneatur. Sequitur, ut dicamus de quæstionib. et tormentis.

a l. de ætate. §. qui ex quadrāte. ff. de interrogat.

b l. certum confessus. §. 1. ff. de confess.

c l. qui seruū. §. in iure. ff. de interrogationibus.

d l. de ætate. §. quod autem ait. ff. eod.

e l. si sine. §. qui interrogatus. ff. eod.

De

De quæstionibus & tormentis. Caput XIIII.

NOn minimam ad probandum uim habent quæstiones atq; tormenta, quæ nõ solùm in criminalibus causis, sed & in pecuniarijs adhiberi possunt, si aliter ueritas inueniri non poßit: sed hoc ita est, ut non facilè in re pecuniaria quæstio habeatur. Sed si aliter ueritas inueniri non poßit, nisi per tormenta, licet habere quæstionem. [a] *Quatenus autem quæstioni habenda fides sit, grauiter definit* Vl*pianus: Quæstioni (inquiens) fidem non semper, nec tamen nunquam habendam, constitutionibus declaratur.* Etenim *res est fragilis & periculosa, & quæ ueritatem fallat. nam plerique patientia, siue duritia tormentorum ita tormenta contemnunt, ut exprimi ab eis ueritas nullo modo poßit. alij tanta sunt impatientia, ut quoduis mentiri quàm pati tormenta uelint: & ita fit, ut etiam uario modo fateantur, & nõ tantùm se, uerùm etiam alios criminentur.* [b] A *tormentis itaq; incipiendum nõ est. Nam primùm excutienda sunt alia argumẽta: & si ex illis aliquibus suspicionibus reus urgeatur, tum demum ad tormẽta ueniri opòrtet.* [c] Nec *enim initiũ probationũ accusator debet de domo rei sumere, Si ergo alia argumenta nulla sunt, solis tormen*

a l. diuus Pius. §. 1. ff. de quæstionib.

b l. 1. §. quæstionib. ff. de quæstion.

c l. 1. §. 1. ff. eodem. & l. de minore. §. tormenta. ff. eod. & l. milites. §. oportet, C. eo.

tormentis credendum non est.[a] *Cùm autem in examinanda fide testimoniorum, earum maximè personarum ratio haberi debeat, quæ testimonium perhibet, tum eorum quoq; ratio haberi debet qui torquētur. Nec enim paßim quiuis contra quemuis est torquendus. Idcirco non licebat olim seruos nec contra dominos suos, nec pro dominis torqueri.*[b] *Idemq; obseruabatur circa libertos & patronos.*[c] *Ad quæstionē igitur non sunt prouocandi, quos accusator de domo sua produxit.*[d] *In eum quoque, in quem quis inuitus testimonium dicere non cogitur, nec torquendus est.*[e] *Proinde frater in caput fratris torquendus non est.*[f] *In seipsum autem quem torqueri, non est prohibitum.*[g] *Inimicorum insuper quæstioni fides haberi non debet, quia facilè mentiantur: nec tamen sub prætextu inimicitiarum detrahenda erit fides quæstioni, sed causa cognita, aut habenda fides est, aut non habenda.*[h] *Idem igitur respondendum de ijs qui à reo in causa capitali apprehensi & traditi sunt.*[i] *Is qui de se confeßus est (ut inquit Modestinus) in caput aliorum non torquebitur.*[k] *De eo qui in insulam deportatus est, habenda quæstio non est.*[l] *Minor quoque quatuordecim annorum, torquendus non est.*[m] *De muliere sanè quæstio haberi potest:*[n] *nisi prægnans mulier*

a l.1.§.di. Seuer. & l.ex libero. §.de minore. & l.unius. §.in ea causa.ff. eod.
b l.1.§.Anto. ff.de quæst. et l.pridem placuit.C.eod.
c l.1.§.si seruus bona. ff. eod. & l.pridem.C.eod.
d l.1.§.ad quæstionem.ff.eo.
e l.1.§.si seruus bona. ff. eod.
f ibidem.
g l.1.§.di.Hadrian.ff.eo. et l.cum probatio. ff.de pro. & l.interrogari.C.de quæst.
h l.1.§.præterea.ff.de quæstion.
i l.1.§.cū quis latrones.ff.eo. & l. sicuti cōuictus. C. eo.
k l. repeti posse.ff.eo. & l.sicuti.C.eod.
l l.diuus Pius.§.fi. ff. eod.
m l. de minore. §.1.& l. ex libero.§.de minore.ff.eod.
n l.1.serui.C.eodem.

mulier sit.[a] Viros item eminentes & spectabiles, necnon et eorum liberos, tormentis subijcere non licet.[b] Idem cauetur de militibus & ueteranis, filijsq; illorum.[c] Hæ igitur sunt personæ quas tormentis subijcere, iure prohibitum est: in causa tamen læsæ maiestatis, omnes sine respectu personæ sunt torquẽdi.[d] Porrò si plures ueniant torquendi, à suspectißimo quoq; est incipiendum, & ex quo facilimè posse uerum sciri iudex crediderit.[e] Vnius facinoris (inquit Paulus) plurimi rei ita audiendi sunt, ut ab eo primùm incipiatur, qui timidior est, uel teneræ ætatis uidetur.[f] Adhæc certo modo quæstio adhibenda est, quem iudicem arbitrari oportet.[g] nec enim tormenta adhibenda sunt, quanta accusator postulat, sed ut moderatæ rationis temperamenta desiderant.[h] Præterea qui quæstionem habiturus est, non debet specialiter interrogare an l. Titius homicidium fecerit: sed generaliter, quis id fecerit. alterũ enim magis suggerentis quàm requirentis uidetur.[i] Plurimum autem in excutienda ueritate uox ipsa, & cognitionis subtilis diligentia adfert. nam & ex sermone, & ex eo qua quis constantia, qua trepidatione quid diceret, uel cuius existimationis quisq; in sua ciuitate est, quædam ad illuminandam ueritatem in lucem emergunt.[k] Postremò

a l. prægnantis. ff. de pœ.

b l. diuo Marco. & l. decuriones, cum l. seq. C. de quæstion.

c l. milites. §. 1. C. eod.

d l. de minore. §. 1. ff. de quæst. & l. decuriones. §. fi. C. eod.

e l. 1. §. 1. ff. eo.

f l. unius. §. 1. ff. eod.

g l. quæstionis. ff. eod.

h l. de minore. §. tormenta. ff. eod.

i l. 1. §. qui quæstionem. ff. eo.

k l. de minore §. plurimũ. ff. eod.

nihil prohibet, etiam absente aduersario quæstionē haberi. nam statim exhibito reo quæstio haberi debet, siue præsens, siue absens sit aduersarius, ut noxius puniatur, innocēs absoluatur.[a] Cæterùm in quæstionē repeti potest reus, maximè si in tormenta animū corpusq; obduruerit.[b] Sed hæc de quæstionibus atq; tormētis ad forum nostrū maximè pertinentia, iura præcipiūt. Cæterùm si quæ alia, utputa de quæstionibus seruorum traduntur, ea prudens omisi, sicut & in alijs quoq; locis, quod ea foro nostro parum deseruire uidebantur. Hactenus de statibus & probationibus, sub quibus etiam confutandi ratio continetur.

a l. 1. §. 1. C. de cust. re.

b l. repeti. & l. unius. §. re. ff. de quæst.

De triplici referendi & iudicandi ratione.

Caput XV.

QVæ sint aduocatorum partes & officia, hactenus ostendi: quæ sint iudicū, nunc monstrabo. Maximè autem in iudicijs optandum est, ut ij qui causis cognoscendis, dirimendisq; litibus præsunt, ueram de causis cognoscendi & iudicandi rationē tenerent. Nam languente capite cætera membra suo officio rectè fungi quî possunt? non'ne languere totum corpus necesse est? Qui iudex ueram de causis iudicandi rationem ignorat, nunc in hanc, nunc in illam ab aduocatis rapitur sententiam, nec utri par-

utri partiū adhæreat ſatis certus eſt, neſcit quando diſputationes in cauſa permittēdæ ſint, quando contra ſint inhibendæ: hinc, ne neceſſarias inhibeat, non neceſſarias permittit, & aduocatis in infinitum diſputandi licentiam concedit. Sed illa leuiora ſunt mala. Hoc deplorandū eſt, quòd ſæpe pro malo ciue contra bonum, contra iuſtam pro iniuſta cauſa pronunciat. Quanto autem hæc in rebuspublicis ſunt peſtilentiora, tanto eſt optabilius, eum qui ſedet iudex rectam cauſarum cognoſcendarum rationem tenere, et iudicandi artis non eſſe ignarū. Hi uerò de cauſis rectius cognoſcere, de actionibus & exceptionibus, de probationibus & confutationibus iudicare ſciunt, qui harum rerum artis non ſunt imperiti. Nam melius de opere iudicat artifex. Verumtamen iſtiuſmodi iudices, nec ſemper nec quouis loco habere poſſumus, cùm iſtarum rerum artem in pleriſq; etiam aduocatis deſideremus. Sanè triplicem iudicandi rationē in uſu reperio: quarum prima ipſius facti ſpeciem, & omnes eius circumſtantias reſpicit. Secūda actiones, exceptiones, & harum requiſita. Tertia deniq; ſtatum cauſæ. Quæ ſingula genera qualia ſint, quodq; iſtorum putem, uerius in ſequentibus exponam. Iudicandi autem rationibus cognitis, referendi quoq; acta, cauſarum rationes

non erunt incognitæ: cùm eædem sint & iudicandi & referendi rationes. Nam is qui de actis causæ iudicaturus est, utique ea prius breuiter complectitur, quo modo sibi ipsi quasi refert.

De prima iudicandi ratione.
Cap. XVI.

Prima igitur iudicandi ratione Iudex facti speciem ex actis hinc inde collectam sibi proponit: quid actum uel factum sit considerat. Item quis, cui, cum quo & per quem fecerit. Item in qua re, ex qua causa, quo modo, quo instrumento, quo tempore, quo loco. Item quid euenerit, quid antecesserit, quid deniq; in ipso contigerit actu. De hisce omnibus & singulis inquirit, omnes causæ angulos non aliter ac aduocatus, cui exceptiones & argumenta quærenda sunt, diligenter perlustrat. Hinc motum quendam animi concipit, quo uel ad condemnandum, uel ad absoluendum reum commouetur. Quam actionem intentauerit actor, quam contrà reus exceptionē opposuerit, in quo consistat contrsuersia, non magnopere curat. Status loco in omni causa obseruat hanc quæstionem finitam, Vtrum ex proposita causa condemnandus an absoluendus sit reus? quæstiones infinitas, quibus de genere uniuerso quæritur, parùm attendit: manet in personis & temporibus in

bus in specie specialißima. Quoniam (inquit) ius in causa positum est. Omnis igitur cura eius, in causæ circumstantijs explorandis & considerandis consistit. Cùm autem causarũ circumstantiæ, earumq; qualitates multiplices et uariæ soleant esse: pro circumstantiarum uarietate uariatur sæpe & animus huius iudicis, & nunc in hanc, nunc in illam sententiam inclinat: tandem ex incerto quodam animi motu potius quàm ex certo rationis iudicio pronunciat: & alius aliter. Apud huiusmodi iudices, maximè locus est oratorijs uirtutibus: facilè enim ĳs artibus, quas Rhetores de mouendis affectibus tradunt: decipiuntur. Quanquam non dubito hanc in causis cognoscendis rationem, multis, magnis etiam uiris probari: cùm non poßit negari ius in causa positum esse. Et ad id cognoscendum omni modo esse opus omnes causæ circumstantias excutere & explorare. Verumtamen mihi (ut liberè fatear) ista iudicandi ratio uitiosißima uidetur. Etsi enim omnes causæ circumstãtiæ in iure eius inquirendo probè perlustrandæ sunt, & considerandæ: hoc tamen ad inueniendum spectat, non ad iudicandum. Omnibus constat actionis genus pro uarietate circumstantiarum uariari: exceptiones, replicationes, duplicationes, &c. ad defendendã causam ex circumstantĳs causæ

depromi solere. Argumenta item & probationes ad confirmandum id, quod causæ nostræ prodest, & ad confutandũ id quod obest, in iisdem circumstantijs inueniri. Ergo in circumstantijs causæ latet actio competens, itẽ contra actionem exceptio, contra exceptionem replicatio. Item argumenta confirmationis & confutationis, in quibus ius causæ consistit. Vt ergo ista omnia inueniri queãt, necessarium est facti speciem ob oculos habere positam, singulas causæ circumstantias excutere & perlustrare. Nec enim prædicta aliter inueniri possunt, nisi circũstantiæ causæ perlustrentur: nec perlustrare causæ circumstantias aliò spectare potest, quàm ad prædicta inuenienda. A quibus autem iam dicta quærenda sunt, à quibus inuenienda? ab aduocatis partium, qui causas agendas ac defendendas, quô illa pertinent, susceperunt. Nunquid etiam à iudicibus? non. Quod nam igitur iudicum munus est? de inuentis ab aduocato & propositis iudicare. Vnde quoq; illis nomen est. Aduocatorũ ergo proprium officium est, facti speciem probè perlustrare, personas, res, causam, locum, tempus, modum, antecedentia item, adiuncta & consequentia cõsiderare, ut actionem competentem edant, ut exceptiones, replicationes, duplicationes ad causám defendendã: argu-

menta & probationes ad statum cõfirmandum inueniãt: & sic ius, quod in causa latet, in lucem proferant, & iudici proponant. Posthæc subsequitur iudicis officiũ, quod circa inuenta ab aduocatis, & in medium adducta uersatur, quo de inuẽtis & propositis iudex cognoscit, & secundum acta & probata iudicat: nec opus illi ad hoc est ad causæ circumstãtias respicere, sed ad ea quæ ex circumstantijs desumpta in medium adducta sunt, hoc est, ad exceptiones, replicationes, statuũ argumenta & probationes. Cùm ergo duplex sit disserẽdi ratio: altera inueniendi, altera iudicãdi: illa quidem aduocatis, hæc uerò iudicibus conuenit: illa enim circumstantias causarũ ad inueniendas exceptiones & argumenta explorare: hæc exceptiones & argumenta inuenta in argumentationum formas redigere, & sic de illis iudicare docet. Quàm igitur uiciosa ex tribus iudicandi rationibus prima, qua iudex suo officio posthabito aduocatorum onera subit, seq; immiscet rei ad se non pertinenti, sit existimanda: ex iam dictis constat. Planè interdum licet iudici ad circumstantias potius & negocij qualitatẽ, quàm ad exceptiones & argumenta proposita respicere, & id quod deest aduocatis supplere. De qua re dicam inferius.

De secunda iudicandi ratione. Cap. XVII.

SEcunda autem ratione sic procedit iudex. Primùm cognoscit de actione, deinde de exceptione, tertio de replicatione, & deinceps de reliquis. In *actione cognoscēda primùm inquirit, quæ actio sit intentata: deinde an & quo iure subsistat: tertiò an de facto probata sit.* In *quo postremo non solum an ipsum factū, sed etiam an omnia causæ & actionis requisita, ab actore probata sint, considerat.* Ratio *est, quia actor tenetur probare suam actionē, & omnia eius requisita: quibus non probatis reus absoluendus est, etiamsi nihil præstiterit.* Examinata *igitur & cognita dicto modo actoris actione, ad exceptionem rei conuerti procedit, in qua similiter tria spectat: primùm quæ à reo conuento exceptio sit opposita: deinde an de iure actionem excludat: tertiò an factū cum omnibus eius exceptionis requisitis sit probatū.* Nam *& reum suam exceptionē & eius requisita probare teneri: & nisi probauerit, condemnandum esse constat.* Exempli *gratia, causa talis in iudicium deducta est.* Maritus *& uxor simul in eadē charta testati sunt ijsdem hæredibus institutis.* Mortuo *postmodum marito, uxor superstes aliud*

facit

facit Testamentum alijs hæredibus institutus: quia testatrice etiam defuncta, priore testamēto scripti hæredes hæreditatem eius ab ijs qui posteriore testamento hæredes scripti sunt, petūt. Causa diu multumq; hincinde ab aduocatis agitata, superuenit tandem iudex: notat primò petitionem hæreditatis in iudicium deductā: deinde eam de iure subsistere non dubitat: procedit igitur tertiò ad actionis probationem: & quoniam actores ex eo quòd hæredes se testamento scriptos asserunt, hæreditatem petunt: obseruat an satis probatum sit testamentum esse factum, actores hæredes institutos, septem testes actui interfuisse, eosq; uocatos, uno actionis contextu esse testatum, testatorem testamenti factionē habuisse, actores hæreditatem intra legitimum tempus agnouisse, reum conuentum hæreditatem poßidere &c. Nam hæc omnia actionis ex testamento, qua hæreditas petitur, necessaria sunt requisita, & à quolibet actore, qui ex testamento hæreditatem petit, probanda. Iam ergo cùm actionem satis probatam uidet iudex, procedit ad exceptionem rei conuenti, notans primùm exceptionem mutati testamenti esse oppositam: deinde eam optimo iure petitionem hæreditatis ex priore testamento intentatam excludere. Postremò examinat huius exceptio-

nis probationes: an scilicet satis à reo conuento probatum sit. Prius *testamentum esse mutatum, posterius solenniter coram legitimo testiũ numero, uno actionis contextu factum & perfectum esse &c.* Hisce *omnibus & singulis etiam probatis, conuertit se ad replicationem actoris similiter tria in ea spectans.* Primùm *quæ replicatio contra exceptionem rei conuenti ab actore sit opposita: deinde an de iure exceptionem excludat: tertiò an de facto probata sit.* In *causa proposita uidet ab actore replicatum esse hoc modo:* Testatricem *mortuo demum marito suo, cum quo testamentum suum fecerat, id mutasse, & aliud fecisse.* Quod *iure facere non potuerit.* Vtrum *hæc replicatio de iure exceptionem excludat, posthæc deliberat iudex: hoc est, an mulier, quæ cum marito suo testata est, mortuo suo marito, testamentum suum mutare, & aliud facere iure poßit?* Hic *est status totius negocij, ad quem post multa probationum examina deuenitur.* Sed *excludat de iure exceptionem mutati testamenti replicatio ista.* Considerat *iudex tertiò, an de facto ea probata sit: posthæc in duplicatione, triplicatione & c. eadem tria spectat.* Nam *non alia de hisce quàm de superioribus cognoscendi ratio uidetur, nisi fortè iudex in hisce illum iudicandi processum*

cessum, ob nimiam eius prolixitatem ac molestiam, soleat decurtare. Est enim infinitum quiddam ita iudicare, & res immensi propè laris. Omnium actionum, exceptionum, replicationum &c. & eorum quæ in istis à iure requirũtur probationes, simul exigit iudex. Hinc articulati libelli originem traxisse uidentur: item articuli defensionales, replicatorij, duplicatorij, triplicatorij. Item responsiones singulariter singulis: scilicet ut in ijs articulis & requisitis quæ aduersarius crederet, ponens probandi onere releuaretur. Hinc etiam articuli additionales, additionalium additionales, elisiui, elisiuorum elisiui, probatorij, reprobatorij, interrogatorij, generales & speciales, item alia plura articulorum genera fluxerunt. Nascitur etiam hinc litium incertitudo & immortalitas, ex immortalitate cumulatio litium ingens. Nam ea semper hac in re mea fuit opinio, litium multitudinem, infinitam potius ex diuturnitate, quàm hanc ex illa oriri: quanquam uulgò aliter existimatur. Dicta etiam ratione, iudex in tanto articulorum & responsionum numero, quî potest aliquid certò & constanter definire? Sanè non minus inanis quàm laboriosa & incerta, ista iudicandi ra-

di ratio uidetur. Nam si exceptio, quam actioni opposuit reus, actionem excludit, ut in superiori exemplo. Exceptio mutati testamenti excludit petitionem hæreditatis: ad quid, quæso, prosunt actionis et omniũ eius requisitorũ probationes & probationum examina? quorsum prodest probatum esse quòd testamentum sit factum, quòd actores hæredes sint scripti, testes uocati, quòd testator testamenti factionem habuerit, quòd actores intra legitimum tempus hæreditatem agnouerint &c. non ne omnia istiusmodi requisita, omnes omnium requisitorum probationes, quamlibet uariæ, multiplices & sumptuosæ cum sua actione per unicam mutati testamenti exceptionem excluduntur, ac perimuntur? Simili ratione quorsum pertinent exceptionis, omniũq; eius requisitorum probationes, probationumq́; examina, cùm exceptionem sequens replicatio excludit ac perimit? non ne labores, & sumptus in eas res facti, simul redduntur inánes omnes? Actorem actionem, reum contra suam exceptionem, & eius requisita probare teneri, uerum est. Nam si actor depositi agendo dicit se rem apud reũ deposuisse, idq́; reus negat: utiq; actor actionẽ suã, hoc est, se rem apud reum deposuisse, probare tenetur. Similiter si agat quis ex testamento,

quod

quod reus continuo actu factum esse negat: utique actor illud suæ actionis requisitũ, quod scilicet testamentum continuo actu factum sit, debet probare. Quid autem si reus non negando, sed distinguendo respondeat: concedat quidem uel etiam silentio prætereat factum ex quo agitur, exceptionem tamen distinctionis opponat, dicens fortè rem depositam sine facto suo perijsse, uel se rem restituisse, uel, ut in superiori exemplo, testamentum esse mutatũ. Hisce *atq; huiusmodi alijs casibus dico actorem, non actionem suam, non factum suum, nec actionis suæ requisita probare teneri: quòd de nullo istorum sit contentio.* Eadem *dicenda sunt de exceptione rei conuenti, ut is eam non aliter probare teneatur, nisi in ea controuersia consistat.* Vt *autẽ actor certam, qua experiri uolet, actionem edere debet: ita contrà quoq; reus certam, in qua persistere uolet, debet opponere exceptionem, qua aut negabit id quod in actione propositũ est, aut distinguet.* Si *distinguet, non poterit de actione existere controuersia. Quanquam alio iure nunc in iudicijs utimur.* Nam *cùm articulati libelli, in quibus uaria asseruntur, reo ad singulariter singulis respondendum proponuntur: reus, ne uel non respondendo causam suam suspectam faciat, uel respondendo nihil agat, plerosq;*

rosq; articulos propositos, quos non omnino notorios credit, ut aduersarium probationibus uexet, negat: etiamsi non in negando, sed in distinguendo, defensionem causæ suæ collocet: nec ea re periurium se credit committere, etiamsi iuramentum calumniæ præstiterit. Vsitatum enim hoc est, & quotidianum in iudicijs nostris. Vnde fit ut hodie, nullæ uel paucißimæ actiones, nulla prorsus probatiõe indigeãt: quod & in exceptionibus accidit. Sed nõ tam quid in usu sit, quàm quid in usu esse debeat, nobis est spectandum. Planè ut plures actiones cumulare, ita quoq; pluribus exceptionibus uti, non prohibemur. Rarißimè tamen quis ultra tres cumulat actiones. In excipiendo igitur, modus etiam excedendus non est, ne causam nostram non tam defendamus, quàm facimus suspectam.

De tertia iudicandi ratione & de statu indagando. Cap. XVIII.

VEnio tandem ad tertiam iudicandi rationem, quæ non ut prima ad circumstantias causarum respicit, sed ad ea quæ ex circumstantijs producta sunt: hoc est, ad exceptiones & argumenta: quæ item non ut secunda, infinitas probationes exigit, sed eius tantùm

in quo

in quo summa controuersiæ consistit, & eorum quæ ad hoc probãdum adducuntur: quæ deniq; non ut utraq; præcedens, nũc huc, nunc illuc uagatur, sed in causæ statum oculos figit, ad eum omnia alia dirigit, ac digerit acta. Proinde hac ratione iudex, antequàm ad probationis examen accedat, statum causæ, hoc est, illud de quo controuertitur, & quod probandum est, inquirit. Quoniam (autore Fabio) illud est quod & orator præcipuè sibi obtinendum, & iudex maximè spectandũ intelligit: in eo enim causa consistet. Quid autem & quotuplex status sit, nec nõ quæ sit eius inueniendi ratio, alio loco exposui. Hac igitur postrema iudicãdi ratione, iudex primo loco animaduertit, quare actionem intentauerit actor: ubi non tam de actionis nomine est sollicitus, quàm de re quæ petita est, de causa ex qua est petita, de iure deniq; quo est petita: quibus partibus omnis constat actio. Tria ergo in omni actiõe primùm inquirit, scilicet quid petitum sit, ex qua causa, & quo iure. Hæc ob certius iudicium, in formam syllogismi conijcit. Nam omnis causa ex qua uel agitur uel excipitur, etiamsi longißima narratione, uel mille proponatur positionibus, nihil aliud est, quàm argumentum quo uel actor sibi aliquid dari uel fieri, uel reus se absolui debere, probare conatur.

De

De argumento autem certius iudicari nequit, quàm si id in formam argumentationis fuerit redactum. Causam igitur omnem siue actionis siue exceptionis, siue replicationis, siue duplicationis, iudex in syllogismum redigere & coarctare potest. Sanè si uel ius, uel factum ex quo uel agitur, uel excipitur, notorium sit, eo omisso uniuersa uel actio uel exceptio enthymematis forma comprehendi potest. Tribus ergo prædictis in actione notatis, iisq; syllogistica forma comprehensis, procedit iudex ad exceptionem rei conuenti: & utrum ad ea quæ in syllogismo actionis proposita sunt, responderit reus: an uerò aliqua exceptione dilatoria sit usus, attendit. quod si ad ea, quæ proposita sunt, responsum uidet: utrum negando, an distinguendo responsum sit, obseruat. Quòd si alterum eorum quæ proposita sunt, negatum est, ibi statum causæ consistere intelligit. & siquidem maior propositio negata sit, de iure: sin minor, de facto controuersiam esse non ignorat. Nam ultra ista duo genera statuum, tertium genus nullum esse alibi ostendi. Sin autẽ ea quæ in syllogismo proposita sunt, negata non sunt, sed sub aliqua cõditione concessa: distingui hoc dicitur: quo casu status non nascitur. Transit igitur tunc iudex ad replicationem actoris, prius exceptione similiter

militer in Syllogismi formam redacta: & rursus ea quæ in Syllogismo, exceptionis proposita sunt, actor replicando negauerit, an distinxerit, attendit: & siquidem altera propositionum negata est, ibi statum causæ notat: sin autem rursus distinctum sit: ista distinctione similiter Syllogismo comprehensa ulterius, eo quo dixi modo, ad duplicationem, à duplicatione ad triplicationẽ procedit eousq;, donec ad aliquid quod ab altero litigatorum affirmatum aduersarius eius simpliciter negauerit, perueniat. Nam ibi statum causæ oriri, alio loco monstraui. Quæ omnia qualia sint, exemplis declarabo. Causa in iudiciũ talis deducta est. Titius Sempronio prædium quoddam uendidit precio centum florenorum, quod precium postea quidam amicus Titij, à Sempronio Titij nomine exegit. Sempronius falso credens illi, ut exigeret mandatum à Titio esse, centum florenos ei soluit. Is cui pecunia soluta erat, eam dedit Seio ad Titium uenditorem perferendam. Verùm cùm Seius Titium ex causa legati in centum florenos haberet obligatum, pecuniam compensationis iure retinuit. Nihilominus tamen Titius uenditi actione ad soluendum sibi precium contra Sempronium experitur, diu multumq; disceptatur, aliæ atque aliæ

leges hinc inde allegantur. Cōclusa disputatione superuenit iudex de causa & disputatione cogniturus, & ut statum controuersiæ, de quo in primis inquirere solet, intelligeret, notat primùm in actione centum peti florenos, quæ res est, ex causa uenditionis, iure quo emptor uenditori ad soluendum precium tenetur, de quo l. Iulianus. §. ex uendito. ff. de action. empti & uend. cùm autem ius hoc notorium sit, nec possit negari: totam actionem enthymemate comprehendit hoc modo: Actor reo prædium centum florenis uendidit: ergo reus centum florenos ex causa uenditionis soluere tenetur. Iam quid ad hæc excipiendo respondent, reus iudex animaduertit. Animaduertit ergo reum, id quod enthymemate propositũ est, concedere sub hac tamen conditione, Si non centum floreni essent soluti. Reus igitur excipiendo distinguit, quam exceptionē iudex similiter enthymemate complectitur hoc modo: Reus precium centum florenorum soluit. Ergo soluere amplius non tenetur. Quid ad hæc actor replicando respondeat, nunc attendit. Sed & hoc enthymema concedit sub hac cōditione: Si sibi, non alij, sine mandatu suo esset solutum. Adhuc nullum statum: nullam litem inter actorem & reum iudex intelligit.

Syllo-

Syllogiſmo igitur & iſtam actoris replicationē complectitur hoc modo: Si ſine mandatu creditoris alij ſoluitur, ſolutio debitorem non liberat. Sed reus ſine mandatu creditoris alij ſoluit. Ergo ſolutio illa, reū non liberat. Tranſit poſthæc ad duplicationem rei conuenti: qua nec maiorem, nec minorem propoſitionē, negat reus. Nam ſi negaret minorē, teneretur probare creditorem Titium mandaſſe, ut alij exigenti ſolueretur: quod mandatū probare nequit. Ius etiam illius replicationis, ſeu maior propoſitio omnibus conſtat. Adhuc ergo diſtinguit duplicando hoc modo: Niſi pecunia alij ſoluta, ad creditorem actoris perueniſſet. Nec adhuc ſtatus cauſæ iudici apparet, cùm nihil eorum quæ hactenus ab utraq; parte propoſita ſunt, negatum ſit: ſed omnia ſub conditione quadam conceſſa & diſtincta. Procedit igitur ad triplicationem actoris, duplicatione prius in Syllogiſmum redacta hoc modo: Quando pecunia alij ſine creditoris mandato ſoluta, ad creditoris creditorem peruenit: debitor per ſolutionem iſtam liberatur. Sed hoc caſu, pecunia alij ſoluta, ad creditorem Titij cui debebatur peruenit. Ergo debitor Sempronius per ſolutionem, licet alij ſine mandatu Titij creditoris factā, eſt liberatus. Quid ad hæc

triplicando actor respondeat, iudex nunc animaduertit. Negat autē actor maiorē propositionem Syllogismi, affirmat eam reus: ibi tandem lis inter actorem & reum oritur, ibi latet anguis in herba, ibi status causæ apparet: hîc nimirum, Vtrum debitor per solutionem alij sine mandatu creditoris factum liberetur, si pecunia soluta ad creditorem sui creditoris peruenerit? In hac quæstione tota causa consistit, qua decisa, nulla lis, nulla controuersia superest.

De examine probationum. Cap. XIX.

IAm ergo statu causæ inuento, iudex secundo loco probationū examen suscipit: & utrum status causæ satis probatus sit nec'ne, perquirit: & quæ sint probationes necessariæ, quæ non necessariæ, ex statu causæ metitur. Proinde *siquidem in iure controuersia consistat, ut controuersia exempli loco proposita: quibus legibus & rationibus, is cui probandi onus incumbit, ad statum probandum sit usus: sin autem de facto disceptatio sit, quot & quibus probationibus, utrum instrumentis, an testibus, an signis & circumstantijs nitatur, obseruat.* Hinc quid

ad ea confutanda aduersarius proposuerit, notat. Tandem *probationes & confutationes inuicem librat, & utrum hæ, an illæ ad faciendam fidem, & iudicem in hanc uel illam partem mouendum sint, grauiores ponderat.* Sanè *si in iure controuersia consistit, leges, constitutiones & consuetudines sequitur, nec distinguit ubi non distinguit lex.* Etiamsi *fortè sua ratio sibi aliud suadeat: erubescit sine lege loqui, & prudentior lege uideri non uult.* Attamen *si quando euidens poscit æquitas, certisq; constat argumentis, & casu aliquo simili mentem legis distinctioni non refragari, à uerbis legis, quo æquitati subueniat, recedere non abhorret, ex l. etsi nihil. ff. de reg. iur.* Sin *autem de facto ambigitur, tum quod sibi credibilius uidetur, sequitur.* Et *rectè: cùm facti quidem quæstio in arbitrio iudicantis sit: iuris autem autoritas non sit. l. ordine. ff. ad municipalem. & l. 1. §. calumniat. ff. ad senatus. turpill.* Ius *enim certum finitumq; esse & potest & debet: facti autem interpretatio plerunque prudentißimos fallit. l. in omni. ff. de iur. et fact. ignor.* In *iuris ergo quæstione illud obseruare debet iudex, ne aliter iudicet, quàm aut legibus aut constitutionib. aut moribus proditum est.* In *prin. inst. de offi. iudi.* In *facti uerò quæstione*

confirmabit motum animi sui, ex argumĕtis & testimonijs quæ rei aptiora & uero proximiora esse compererit. l. ob carmen. ff. de testibus. Nec enim quæ argumĕta ad quem modum cuiq; rei probandæ sufficiant, ullo certo modo satis definiri potest. Non ergo ad unam probationis speciem, cognitionem statim alligare debet, sed ex sententia animi sui existimabit, quid aut credat, aut parùm probatum sibi opinetur. l. testium fides. §. eiusdem. ff. de testibus.

Omnes controuersias ad uniuersi generis uim & naturam referendas. Caput XX.

Tota ergo postrema iudicandi ratio in hisce duobus capitibus consistit. Primò in statu causæ indagando: deinde in examinandis probationibus. Probationum uerò examen consistit in notandis & obseruandis primò probationibus, deinde confutationibus, aduersus eas adductis: postremò in utrisq; inuicem liberandis. Status autem causarum & aliæ quæstiones non in personis nec temporibus, sed generaliter extra causæ circumstantias considerandæ sunt. Exempli gratia, Titius Sempronio

ædes

ædes suas uendidit, uenditas emptori tradidit, emptori postea de ijs, precio nondum soluto, ab alio quodam dominij quæstio mouetur. Titius uenditor nihilominus contra eum uenditi actionem ad soluendum sibi precium intendit, offerens idoneam cautionē de euictione ædibus euictis præstādā. Caūsa actionis est uenditio, quam reus non negat, sed opponit. Controuersia quæ sibi ab alio de ædibus mota est, pendente se ad precium soluendum non teneri, actor replicat. Nisi idoneam cautionem de euictione præstanda offerret. Sed nec hoc casu teneri se reus dicit: lis oritur, non tam de præsenti causa quàm de genere uniuerso. Quanquā enim status seu quæstio fortasse sic formabitur: utrum emptor Sempronius, cui domini quæstio de emptis ædibus mouetur, Titio uenditori, eo casu quo idoneam cautionem de euictione offert, precium de quo conuenit, soluere teneatur, nec ne? tamē nec Titij, nec Sempronij, nec ædium uenditarum consideratio, ad hanc quæstionem decidendam quicquam ualet, sed uis totius quæstionis est in genere uniuerso. Vtrum scilicet emptor, cui de re empta dominij quæstio mouetur, uenditori qui idoneam de euictione cautionem offert, uenditi actione ad soluendū precium teneatur, nec ne?

Iudex ergo in decidendis huiusmodi quæstionibus, non ad personas, nec ad tempora respiciet, sed ad genus uniuersum. Quæ ne fortè alicui uel nimium obscura, uel parùm probabilia uideantur: hac de re locum ex lib. 2. Ciceronis de Oratore, postea sub finem libri adijciã. Ex isto enim loco, & postrema hæc iudicandi ratio confirmatur, & prima quæ contrarium obseruat, refellitur.

Quando iudex non ad statum causæ, nec ad acta & probata in iudicando respicere teneatur? Cap. XXI.

PLanè dißimulandum hoc loco non est, iudicem interdum & posse & debere, non secundum acta & probata iudicare, nec ad statum causæ in cognoscendo respicere, sed ad ipsius causæ, actionisq; circumstantias, & qualitates. Vtputa si actio intentata, uel exceptio opposita, ipso iure non ualet. Nam tunc etiamsi eius aduersarius excipiendo uel replicando non fecerit mentionẽ: iudex tamen istiusmodi actionem uel exceptionem ex officio debet reijcere. Ipso iure autem non ualet actio,

cum

cùm nullum ius apparet quo actio ista introducta sit uel subsistat: uel si appareat quidem, per sequens tamen aliquod ius sit sublatum. Veluti *si quis rem aliquam uindicat ex hac causa: quod ea res nũmis suis sit empta: item quòd solennibus pensionibus rei pro alio satisfecerit.* Nam *ex hisce causis, dominium rei nullo iure acquiritur. l. ad probationem. C. de probat. item l. 25.* C. *de rei uindicat.* Sic *ipso iure non ualet exceptio,* Si *quis contra ui bonorũ raptorum actionem opponat.* Veram *tantùm rem, eamq́; minimam se rapuisse.* Nam *nullo iure ista exceptio est concessa. §. 1. inst. de ui bonorum rapt.* Item *si quis cõtra fratrem hæreditatem patris ab intestato petentem excipiat, eu[m i]n potestate morientis patris nõ fuisse.* Nam *licet hæc exceptio iure ciuili olim introducta fuerit: tamẽ iure prætorio postmodũ est sublata. §. emancipati.* Inst. *de hæred. quæ ab intest. deferun.* Quoties *ergo genus causæ ex qua uel agitur uel excipitur, nullo iure subsistit: nec eo posito id quod infertur, ullo iure consequitur: ueluti si quis ita argumentetur,* Baculus *stat in angulo.* Ergo *sum probus.* Actio *uel exceptio ista, ipso iure non ualere dicitur: & iudex etiamsi hoc ab aduersario nõ sit oppositum, suo tamen officio istiusmodi a-*

ctionem uel exceptionem non debet admittere. Quod de replicatione, duplicatione &c. similiter est dicendũ. Cæterum euenit interdum ut actio uel exceptio, ipso quidem iure subsistere uideatur: & id quod infertur, ex antecedenti ipso iure consequi: ipsa tamen causa ex qua agitur uel excipitur, tale in se uicium habeat, ut perinde ista actio uel exceptio habenda sit, ac si ipso iure non ualeret, nec etiamsi uicium illud aduersarius errore quodam silentio præterierit, sit admittenda: utputa si mulier nullo publico instrumento interueniente, nec à tribus testibus subscripto pro alio intercesserit, & ex hac intercessione fideiussoria actione conueniatur. Nam hæc quid[illegible] actio ipso iure subsistere, & non nisi per exceptionem tolli posse uidetur: quoniam qui pro alio intercedit, utiq; fideiussoria actione tenetur. Attamen iudex istam actionem etiam exceptione senatusconsulti Velleiani non opposita, non debet admittere, sed reum absoluere, iuxta l. antiquæ. §. fin. C. ad senatusconsul. Velleian. Ergo si mulier instrumento publico à tribus testibus subscripto interueniente pro alio fideiusserit, non aliter nisi exceptione senatusconsulti Velleiani opposita, ei debet subueniri. Eorum igitur quæ inter homines

mines inutiliter aguntur uel contrahuntur, ut inde obligatio nulla nascatur: quædam ipso iure, quædam per exceptionem non ualere dicuntur. Illa quidem, etiamsi nihil de ijs excipiendo uel replicando sit oppositum, iudex & potest & debet reijcere, id'que quod defuit aduocatis partium supplere. C. ut quæ desunt adult. part. iud. sup. Hæc uerò non aliter nisi exceptione uel replicatione opposita, reijcere illi permittitur. Sic si cùm Titius Sempronio ex testamento Seij deberet legatum, inter eos conuenerit, ne petatur legatum: postea rursus conuenerit, ut petatur: petatq; Sempronius legatum, reus exceptionem pacti de non petēdo opponat, actor uel eius aduocatus replicationem posterioris pacti de petendo errore quodam amittat: etsi fortè eius pacti in narratione alicuius alterius rei obiter non replicandi animo meminit: non debet iudex hoc casu quod defuit parti, & eius aduocato supplere, nec secundum posterius pactum iudicare, sed potius secundum acta & probata. l. si unus. §. pactus. ff. de pactis. Similiter si non quidem de iure causæ, sed de facto sit controuersia, nec id satis sit probatum: constet tamen iudi-

ci de

ci de eo aliter, non quidem ut iudici, ſed ut priuato: non debet iudex ſecundum id quod ei conſtat, ſed ſecundum id quod probatum uel nõ probatum eſt, iudicare: uel ſi conſcientiam ſuam grauare nolit, in totum ab iſta cauſa abſtinere: quæ eſt communior doctorum opinio.

Effectus poſtremæ iudicandi rationis. Caput XXII.

Porrò ex ijs quæ hactenus dicta ſunt apparet, iudicem qui tertiam in iudicando rationem ſequitur, non prolixas, nec artificioſas orationes, nec item articulatos libellos, & ad ſingulos articulos reſponſiones deſiderare: nec Rhetorum artes, quibus affectus mouendo animos iudicum obcæcare & ſeducere ſolent, apud eum quidquam proficere. Nam certo conſilio, recto iudicio hic iudex cognoſcit, non ex uano quodam animi motu. Actionem tribus (quod aiunt) uerbis complectitur, quod petitum ſit, ex qua cauſa, & quo iure notat. Syllogiſmum uel enthymema ex hiſce conficit: omnia alia in libello actionis propoſita, quæ ſyllogiſmus uel enthymema illud non capit, iudex non aliter curat quàm ad exponendum

dum tantùm, non ad argumentandum, nec ad fidem faciendã pertinentia. Eandem in exceptione, replicatione, duplicatione cognoscenda rationem obseruat: ad illud unum, in quo summa controuersiæ consistit, properat, iuxta illud reliqua omnia dirigit ac disponit: ex illo quæ uel ad pertinentia uel impertinentia sint, metitur: quæ ad illud non pertinent, tanquam superflua & impertinentia respuit. Desiderat ergo hic iudex, ut actor causam ex qua agit, narratiõe breui, probabili & perspicua exponat: hinc quid ex ea uelit, inferat: interdum etiam ut ius quo agit, si id obscurius sit, libello inserat. Posthæc ut reus similiter suam proponat exceptionem, actor rursus suam replicationem &c. apparente tandem statu desiderat, ut is cui eius probandi onus incumbit, suas leges, suas probationes, instrumenta, testes &c. sine uerbosa commendatione producat: ut ex aduerso aduersarius rationes suas, si quas ad confutandas probationes habet, breuiter proponat. In examinandis quoq; testibus non exigit plures articulos probatorios, nec interrogatorios, generales & speciales. Vnum illum articulum, qui controuersiæ caput est, probandum: & si qua signa ad eum probandum allegata probatione indigent,

testi-

testibus proponit, de ijs testes interrogat. Scit pro sua prudentia, etiam non admonente aduersario, de omnigenis facti circumstantijs testes interrogare, ut utrum uerum an falsum deponant, conijciat. Hanc postremam iudicandi rationem, omnium uerissimam puto.

FINIS.

OMNES CONTROVERSIAS AD VNIVERSI GENERIS VIM ET NATVRAM REFERendas.

Aſſertio Antonij apud Ciceronem lib. 2. de Oratore. Cuius uerba hæc ſunt:



Tque hic illud uidendum eſt, in quo ſummus eſt error iſtorum magiſtrorũ, ad quos liberos noſtros mittimus: non quòd hoc quidem ad dicendum magnoperè pertineat, ſed tamen ut uideatis quàm ſit genus hoc eorum, qui ſibi eruditi uidentur, hebes atq; impolitum. Conſtituunt enim in partiendis orationum modis duo genera cauſarum: unum appellant, in quo ſine perſonis atque temporibus de uniuerſo genere quæritur. Alterum, quod perſonis certis & temporibus definiatur. Ignari, omnes controuerſias ad uniuerſi generis uim & naturam referri. Nam in ea ipſa cauſa, de qua antè dixi, nihil pertinet ad oratoris locos Opimij perſona, nihil Decij: de ipſo enim uniuerſo genere infinita que-

quæstio est, Num pœna uideatur esse afficiendus qui ciuem aliquem ex senatusconsulto patriæ conseruandæ causa interfecerit, cùm id per leges non liceret. Nulla denique est causa, in qua id quod in iudicium uenit, ex reorum personis, ac non generum ipsorum, uniuersa disputatione quæratur. Quinetiam in ijs ipsis ubi de facto ambigitur: Ceperit'ne contra leges pecunias P. Decius: argumenta & criminum & defensionis reuocentur oportet, ad genus & ad naturam uniuersam: quod sumptuosus, de luxuria: quòd alieni appetens, de auaritia: quòd seditiosus, de turbulentis & malis ciuibus: quòd à multis arguitur, de genere testium: contráq; quæ pro reo dicentur, omnia necessariò à tempore atq; homine, ad communes rerum & generum summas reuoluentur. Atq; hæc forsitan homini non omnia quæ sunt in natura rerum, celeriter animo comprehendenti permulta uideantur, quæ ueniant in iudicium, tum cùm de facto quæratur: sed tamen criminum est multitudo, non defensionum, aut locorum infinita. Quæ uerò cùm de facto non ambigitur, quæruntur qualia sint, ea si ex reis numeres, & innumerabilia sunt & obscura: si ex rebus, ualde & modica & illustria. Nam si Mancini causam

sam in uno Mancino ponamus: quotiescunq; is quē paterpatratus dederit, receptus non erit, toties causa noua nascetur: sin illa cõtrouersia causam facit, uideatur, ne ei quem paterpatratus dediderit, si is non sit receptus, postliminium esse: nihil ad artem dicendi, nec ad argumenta defensionis, Mancini nomen pertinet. At si quid adfert præterea hominis aut dignitas, aut indignitas, extra quæstionem est: & ea tamen ipsa oratio, ad uniuersi generis disputationem referatur necesse est. Hæc ego nõ eo cõsilio disputo, ut homines eruditos redarguam: quanquam reprehendendi sunt, qui in genere definiendo istas causas describunt in personis & temporibus positas esse. Nam etsi incurrunt tempora & personæ, tamen intelligendum est non ex ijs, sed ex genere quæstionis pendere causas. Sed hoc nihil ad me. Illud ad me, ac multo etiam magis ad uos, Cotta noster & Sulpiti: quomodo nunc se istorum artes habent, pertimescenda est multitudo causarũ. Est enim infinita. Si in personis ponitur, quot homines tot causæ: sin ad generũ uniuersas quæstiones referantur, ita modicæ & paucæ sunt, ut omnes eas diligentes & memores & sobrij oratores percursas animo, & prope decantatas habere debeant: nisi forte existi-

natis à M. Curio causam didicisse L. Crassum, & ea re multum attulisse: quamobrem posthumo non nato, Curium tamen hæredem Coponij esse oporteret. Nihil ad copiam argumentorum, neq; ad causæ uim ac naturam nomen Coponij ac Curij pertinuit: in genere erat uniuerso rei negocium, non in tempore ac nominibus omnis quæstio, cùm scriptum ita sit: Si mihi filius gignitur, isq; prius moritur, &c. tum ut mihi ille sit hæres. Si natus filius non sit, uideatur, ne is, qui filio mortuo institutus hæres sit, hæres esse: perpetui iuris & uniuersi generis quæstio, non hominum nomina, rationem dicendi & argumentorum fontes desiderat. In quo etiam isti nos Iurisconsulti impediunt, à discendoq; deterrent. Video enim in Catonis & Bruti libris nominatim ferè referri, quid alicui de iure, uiro aut mulieri responderint. Credo, ut putaremus in hominibus, non in re, consultationis aut dubitationis causam aliquam fuisse: ut quod homines essent innumerabiles, debilitati à iure cognoscendo, uoluntatem discendi simul cum spe perdiscendi abijceremus, &c. & paulò pòst. Huius quidem loci, quem modò sum exorsus, hic est finis (inquit Antonius) quoniam intelligitur non hominum innumera-

uumerabilibus personis, neq; in infinita temporum uarietate, sed in generum causis, atq; naturis, omnia sita esse, quæ in dubium uocarentur: genera autem esse definita, non solùm numero, sed etiam paucitate: ut eam materiem orationis &c.

VLTIMI LIBRI FINIS.

CATALOGVS CAPITVM HVIVS PRACTICÆ FORENSIS,

PARTIS PRIMÆ DE ACTIONIS GENERE INVESTIGANDO.

Capita libri primi.

Si socie-

Capita libri secundi.

Capita libri tertij.

PARTIS SECVNDÆ DE EXCEPTIONIBVS, REPLICATIONIBVS, DVPLICATIONIBUS, *cationibus, &c.*

Capita libri quarti.

Capi-

Capita libri quinti.

Capita libri sexti.

PAR-

CAPITVM:

PARTIS TERTIÆ DE STATI-
BVS CAVSARVM, ET PROBA-
TIONIBVS, NEC NON DE RE-
*ferendi & iudicandi
ratione.*

Capita libri ſeptimi.

De pri-

INDICIS FINIS.

BASILEÆ, PER IACOBVM
PARCVM, EXPENSIS
IO. OPORINI, AN-
NO M. D. LVIII.
MENSE IV-
NIO.